image
not
available

Georgia Augusta.
Anno MDCCLXV.
C. A. Holsche

INSTITUTIONES
JURIS NATURÆ
ET
GENTIUM

IN QUIBUS
EX IPSA HOMINIS NATURA
CONTINUO NEXU
OMNES OBLIGATIONES
ET JURA OMNIA
DEDUCUNTUR.

AUTORE
CHRISTIANO L. B. DE WOLFF
POTENTISSIMI BORUSSIÆ REGIS
CONSILIARIO INTIMO ET UNIVERSITATIS
HALENSIS CANCELLARIO ET
SENIORE.

CUM PRIVILEGIIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ
PROSTAT IN OFFICINA RENGERIANA.
MDCCLIV.

SERENISSIMO

CELSISSIMOQUE

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

AUGUSTO

WILHELMO

BORUSSIÆ PRINCIPI

ET REL.

DOMINO

LONGE CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME
CELSISSIMEQVE
PRINCEPS,



Veritas & juſtitia fulcimenta Reipublicæ ſunt, quibus deſerta in ruinam labitur. Veri-

Veritas a justitia separari nequit, nisi mores, quos communis opinio probat, speciem ejus fallacem induere debeant. Consistit justitia in voluntate constante ac perpetua jus suum cuique tribuendi, ideoque neminem lædendi, seu injuriam faciendi. Jus intime non perspicitur, nisi simul cognoscatur, quid bonum, æquum atque rectum sit. Justus igitur nil facit, nisi cum sensu officii,

)(3 nec

nec ſine ſtudio recte agendi, ac ita demum ſolidam veramque gloriam acquirit, invidiæ obtrectatione non lacerandam. Actionum humanarum bonitatem, æquitatem & rectitudinem non facit hominum opinio, quæ ſtabilis non permanet, nec ſibi in omnibus conſentit, ſed ut ſint bonæ, ut æquæ, ut rectæ, id ab ipſa hominum natura venit & in rerum eſſentia atque natura rationem ſufficien-

cientem habet. Differt igitur ab opinione veritas, quæ æternitatem & sempiternitatem ab ipsa hominum atque rerum essentia & natura immutabili trahit. Neque etiam opinio, assensum firmum atque immotum parere nescia, voluntatem efficit constantem & perpetuam; sed haud raro in re maxime ardua animus incertus fluctuatur; & in præceps pervenitur. Sola veritas, quæ unica & immu-

tabilis eſt, nec ulli unquam imponit, conſtantiæ ac perpetuitatis mater eſt. Hæc ratio me permovit, ut caſtum illud & ſanctum jus, quod ipſa natura inter homines ſingulos atque gentes conſtituit, inconcuſſum felicitatis totius generis humani fundamentum, ex ipſa natura humana continuo nexu, concinna tamen brevitate, ut prodeſſem plurimis, deductum in ſyſtema quoddam breve,

ſed

ſed veri nominis redigerem, ea ſollicitudine, ne brevitas detraheret perſpicuitati. Quoniam abunde convictus ſum, PRINCEPS CELSISSIME, TIBI veritas & juſtitiæ amanti non diſplicitum iri laborem, quem exantlavi; libellum hunc mole quidem, aſt non utilitate parvum & ubertate rerum gravem ſumma animi devotione CELSITVDINI TUÆ REGIÆ offero, meque Cle-

mentiæ TUÆ commendo, additis votis: Deus TE servet!

REGIÆ
CELSITUDINIS TUÆ

humillimus & devotissimus Cultor,
CHRISTIANUS L. B. DE WOLFF.



PRÆFATIO.



oſtquam opus arduum Juris naturæ & gentium abſolvi & ad exitum perduxi, vt prodeſſem plurimis, ea, quæ in illo diffuſe pertractata fuerunt, concinna brevitate in compendium coëgi, & nunc ſub titulo Inſtitutionum Juris naturæ & gentium in publicum profero. Reddenda vero mihi eſt inſtituti huius ratio. Cum amor veritati mihi quaſi natura ſit inſitus, ac ideo jam ſaepe monuerim, me non alio fine ad ſtudium Matheſeos animum appuliſſe, quam ut cauſam tantæ certitudinis in Geometria intime perſpicerem; ea cognita nihil mihi antiquius fuit,

fuit, quam ut veritatem in aprico collocarem, nec assensum eidem præberem persuasus, sed convictus. Eodem animo ad jura enodanda accessi, & fontem omnis juris in natura humana deprehendi, quod dudum inculcatum a veteribus & a recentioribus repetitum, ast minime demonstratum, non opinione mihi persuasi, sed ad veritatem convictus fui. Ita vero mihi non modo innotuit modus, quo ipsa natura obligamur ad certas actiones committendas, vel omittendas; verum etiam omnis amplitudo Iuris naturæ qua ad quaslibet actiones humanas, qualescunque tandem illæ fuerint, extenditur; tandemque intellexi, quomodo Jura positiva ex Jure naturæ fieri debeant, ut ab omni censura immunia a tribunali rationis minime vereantur, ne adversus se pronuntietur. Sequitur hinc, veluti sua sponte, ut etiam Juri positivo omni non minus, quam naturali insit veritas & ea via demonstrationis patefiat, sicque

que quod pro jure habetur, vel habendum ab eo, quod eſt, certo & accurate discernatur. Regit nimirum Jus naturæ ſicut voluntatem omnium hominum in ſingulis actibus; ita etiam voluntatem legislatoris, cujus perinde libertas, ac ſingulorum hominum naturalis obligationem minime tollit. Ea igitur alio modo in lucem proferri non potuerunt, niſi veſtigiis *Euclidis*, legum verioris Logicæ rigidi obſervatoris, inſiſtendo ſinguli termini exacta definitione explicarentur, propoſitiones ſingulæ ſufficienter determinarentur, & non minus definitiones ita ordinarentur, vt ſequentes per antecedentes penitus intelligantur, ſed propoſitiones quoque ita, ut ſequentium veritas per antecedentes pateat. Finem hunc mihi propoſitum ut aſſequerer, in opere vaſto Jus naturæ & gentium demonſtrare aggreſſus ſum, & idem nuper ad umbilicum perduxi, neque ullus dubito (abſit jactantia verbis!) me omni Juris-

risprudentiae lucem affudiſſe, & nunc demum intelligi, quod a *Cicerone* ſcite dictum non ex duodecim Tabulis, nec ex edicto prætorum, ſed penitus ex intima philoſophia Juris ſcientiam hauriendam eſſe. Neque enim ſolum leges naturæ ad omnia jura tam privata, quam publica atque gentium extenſæ in concordiam reductæ ſunt, verum etiam ſi leges poſitivæ in quibus a naturalibus abeunt, ad normam naturalium iuxta theoriam naturalem legum civilium, ſeu poſitivarum, quae ipſa pars haud infima eſt Juris naturæ, etſi hactenus deſerta & inculta, exigantur, inter Jurisprudentiam naturalem & poſitivam pulcherrimus naſcitur concentus, ita vt omnium una ſit concordia, una conſonantia. Qui Jurisprudentiam colunt, imperiti plerumque ſunt methodi, quæ ſola ad ſcientiam ducit, nec amplitudinem Juris naturæ proſpiciunt. Opus itaque noſtrum non videtur eſſe ad ipſorum palatum compoſitum: multo

to minus autem captui tyronum convenit, quibus etiam obſtat prolixitas. Quamobrem cum munus docendi Jus naturæ & gentium mihi demandatum ſit; opera quoque mihi danda erat, ut cupidam legum juventutem ad ſolidam certamque juris ſcientiam perducerem, veris autem juſtitiæ ſacerdotibus ad penetralia Themidos viam planam ſternerem, ne longius, quam par erat, amplius videatur iter, quod in opere Juris naturæ & gentium ingresſus ſum. Finem hunc mihi propoſitum ut conſequerer, in his Inſtitutionibus complexus ſum omnes definitiones & propoſitiones in opere majore contentas, paucis quibusdam exceptis, quæ per illas facile intelliguntur, nec quicquam omitteretur, quod ad omne jus privatum, publicum univerſale & gentium proprium ſpectat. Præterea, quod palmarium eſt, curæ maxime id habui, ut ſingularum propoſitionum rationes ſufficientes inſpiciantur, nec in definitio-

tionibus quicquam ſumatur, quod obſcuritatem quandam adhuc in mente relinquat, quo minus penitus intelligatur. Ac propterea omnia in eum ordinem redegi, ut ſequentia cum antecedentibus continuo cohæreant, & hæc per illa continuam lucem fundant. Equidem fieri non potuit, ut rationes evolvendo, quantum rigor demonſtrandi exigit, & quod in opere majore præſtiti, demonſtrationes darem completas, quas præſens inſtitutum non fert; id tamen non obſtat, quo minus ſingulorum pateant rationes genuinae, abunde ſatisfacientes iis, quorum aciei lux clariſſima adhuc officit: neque enim omnibus, ac nemini ſtatim ipſum ſolem inſtar aquilarum intueri datum eſt, ſed in luce meridiana initio caligant omnes. Succeſſive autem creſcente luce mentis, quæ naturæ conſuetudo eſt, majorem lucem deſiderant, qui in clariſſima ſe verſari arbitrabantur, & ita tandem evenit, ut,

ut, quod antea fastidiebant, nunc avidi appetant, nec satisfaciant nisi demonstrationes Euclidearum imitamenta. Et sic demum plenissime constabit, nos in opere vasto Juris naturæ & gentium non inutiles quæsivisse ambages, sed breviori via ad metam tendi non potuisse. Ceterum ut uno quasi conspectu exhibeam, quomodo ex ipsa natura humana tanquam fonte suo fluant omnes obligationes omniaque jura hominum, quædam adhuc mihi dicenda supersunt. Constat homo ex anima & corpore, & quemadmodum hoc ex variis componitur organis, quorum functiones conjunctim ad communem quendam scopum tendunt, veluti organorum vitalium ad totius corporis, seu vitæ ac sanitatis ejusdem conservationem; ita animæ insunt diversæ facultates, quarum socio usu homo rationis particeps, qua a ceteris animalibus disjungitur, aptus

efficitur ad vitam rationi convenientem vivendam. Illa aptitudo organorum ad functiones ſuas obeundum, facultatum ad ſuum uſum, quem habent in vita hominis viuenda, perfectionem hominis eſſentialem abſolvunt. Cum natura a veritatis tramite nunquam ne latum quidem unguem diſcedens non ullam ferat contradictionem, veritatis perpetuo capitalem hoſtem; eidem non alia convenit actionum humanarum directio, quam ut determinentur per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales, & ſic cum naturalibus ad eandem metam tendant. Atque aptitudo actiones liberas ſic & non aliter determinandi perfectionem hominis accidentalem abſolvit: quæ ubi ad eſſentialem accedit, integram hominis perfectionem perficit. Et inde eſt, ut actiones hominum liberæ intrinſeca bonitate atque malitia diſcriminentur. Cum vero homo per natu-

naturam in genere determinatus ſit ad bonum appetendum, malum averſandum; bonitas intrinſeca motivum eſt actionum committendarum, malitia omittendarum: unde naſcitur obligatio naturalis & directio actionum, quam diximus, induit formam legis ab ipſa natura latam. Ut obligationi huic ſatisfieri poſſit, conceſſa quoque homini eſſe debet facultas ea faciendi, ſine quibus illi ſatisfieri nequit, & ita ex illa tanquam fonte derivatur jus cum ad uſum rerum, tum ad certos actus. Ea vero eſt hominum natura, ut nonniſi conjunctis viribus & mutuo adjutorio ad illam perfectionem tendere poſſint quæ unicus felicitatis fons eſt. Ac propterea officia erga ſe ipſum cum officiis erga alios amico charitatis vinculo ipſa natura copulavit, ut ad utraque eadem ſit obligatio neceſſaria & in ſe immutabilis. Enimvero cum non inexhauſtæ ſint hominis vires, nec ideo ſine ratio-

 ne

ne profundendæ; officia aliis non debentur cum neglectu sui, & ultra id, quod in potestate est, nec iis, qui, quod ab aliis petunt, ipsimet in potestate habent. Ast quoniam nemini hominum natura competit jus in actiones alterius, sicuti petenti de indigentia, ita præstituro relinquendum est judicium de neglectu sui & eo, quod in potestate sua est. Interest autem haud raro hominis alienæ opis indigi, ut de eo, quod ab altero petit, certus sit. Quamobrem ipsa natura eidem competit jus alios ad certas præstationes sibi obligandi, ita vt ad præstandum adigi possit, si nolit. Hinc enascitur quoad ea, quæ aliis debentur, differentia inter obligationem perfectam et imperfectam, unde porro oritur jus ad id, quod nobis debetur ab aliis, vel perfectum, vel imperfectum. Cessat differentiæ hujus ratio in iis, quæ ne facias alteri prohibentur, cum semper certum sit id omittendum esse.

Quam-


Quamobrem quoad actus negativos perfecta est obligatio naturalis, ut alteri competat jus perfectum non patiendi, ut fiat, & facientem adigendi, ne faciat, aut in posterum denuo facere audeat. Quoniam denique nemini competit natura jus ad rem quandam in singulari proprium; natura res omnes quoad usum earundem necessarium communes sunt. Ex hactenus dictis intelligitur, quinam sit status hominum naturalis, isque originarius, quem a natura habent. Enimvero non una fuit ratio, quæ homines coëgit, ut, lege naturæ non invita, immo urgente, à communione primæva discedentes res antea communes juri proprio subjicerent. Atque hinc ortum est dominium, quod jus sibi obligandi alios ad certas præstationes latius extendit, operas rebus propriis æquiparavit & obligationem rerum ac operarum communicandarum officiis superaddit. Hinc prono

alveo fluunt omnia jura rerum, tam in re, quam ad rem, quocunque demum nomine veniant, & jus defensionis ulteriores acquirit limites. Obligatio propagandi genus humanum cum generatione indivulso nexu copulat educationem, ac ideo parentibus tribuit jus quoddam in actiones prolis. Cumque eo fine contrahenda sint matrimonia, conjux unus ex consensu acquirit jus quoddam in actiones alterius. Et quia præstatio operarum perpetuarum pro alimentis perpetuis, in qua servitus naturaliter consistit, juri naturæ convenit; ex subjectione oritur jus domini in actiones servi. Quamobrem cum jus in actiones alterius Imperii nomine veniat; patet jam origo Imperii privati, quo jus, quod vulgo dicitur, personarum continetur. Jam cum singuli jura sua non satis tueri nec ab aliis invitis sine vi ac dubio maxime eventu consequi possent, immo nec commode sibi pro-

prospicere de iis, quæ ad vitæ sufficientiam faciunt, & felicitati serviunt; legi naturæ convenienter contractæ sunt societates civiles, & sic ex subjectione natum est Imperium civile, sive publicum, ex quo jus omne publicum, seu ciuitatis universale derivatur. Denique cum jam civitates inter se spectari debeant tanquam personæ singulares in statu naturali viventes, in eas cadunt obligationes & jura, quæ singulos in statu naturali viventes respiciunt. Inter ista jura cum etiam locum habeat jus alterum ad certas præstationes sibi obligandi; inde jura fœderum aliarumque pactionum gentium manant. Et quia obligatio conjunctis viribus commune bonum promovendi per hoc tolli minime potuit, quod societates ciuiles contraxerint singuli; sicuti vi illius ipsa natura homines in universum omnes in societatem quandam redegit, ita etiam inter gentes societatem instituit, ex cujus custodia theoriæ naturali legum civilium convenienter deducitur jus quoddam civili affine, quod, ut cum *Ulpiano* loquar, neque in totum a naturali recedit, nec per omnia ei servit. Ex iis, quæ modo breviter dicta sunt, haud obscure liquere arbitror, jura omnia inter se continuo connexa ex ipsa natura humana derivari, & patere, quod a veteribus dictum, ipsa natu-

natura jus esse constitutum. Plenius nexum hunc perspiciet, qui Institutiones ipsas attento animo perlegere voluerit. Ceterum non vanus augur prædico fore, ut, si quis hasce Institutiones sibi familiares reddiderit, scientia juris solida veraque animum imbuat, lucem plenissimam, quamprimum ea aciem ejus non amplius offendit, ab opere majore expectaturus, & qui animum ad jus civile appellit, nullo fere negotio notitiam eius sibi comparet. Unum adhuc superest, quod monendum esse duxi, nimirum me in hisce Institutionibus nihil supposuisse, quod aliunde petendum sit, quemadmodum in opere majore Jus naturæ & gentium cum ceteris philosophiæ partibus connexum est, ut inoffenso pede in iis progredi liceat, etiamsi in operibus nostris philosophicis lector non fuerit versatus; immo si vel maxime adhuc peregrinus & hospes fuerit in philosophia. Si quæ enim notiones aliunde mutuandæ fuerant, eas una explicavi Quemadmodum vero muneri, quod mihi demandatum est, satisfeci; ita nihil magis in votis habeo, quam ut omnes, qui labore nostro se juvari posse confidunt, eos, quos polliceor, inde percipiant fructus Faxit Deus, juris, quod enucleavimus, ipse Autor, ut veritas & justitia floreat in omni terra! Halæ, die quarta Septembris Anno 1749.

INSTI-



INSTITUTIONES JURIS NATURÆ ET GENTIUM.


PARS I.

DE JURE NATURÆ IN GENERE ET OFFICIIS ERGA SEIPSUM; ERGA ALIOS ET ERGA DEUM.

CAPUT I.

DE ACTIONUM HUMANARUM DIFFERENTIA, EARUMQUE IMPUTATIONE.

§. 1.



A*ctiones internæ* dicuntur, quæ sola vi animæ eliciuntur; *externæ* autem, quæ motu organorum corporis perficiuntur. Sunt autem vel *liberæ*, quæ a libertate *Actiones internæ & externæ, liberæ ac necessariæ.*

animæ quomodocunque dependent; vel *naturales*, seu *necessariæ*, quæ ab ea non dependent, sed per essentiam & naturam animæ ac corporis determinantur. Unde patet, *actiones liberas externas non dari sine internis, cum quibus cohærent.*

§. 2.

Actio positiva & privativa, seu negativa.

Lex 181 de V. S.

Est præterea *Actio* vel *positiva*, quæ actu editur; *privativa* vero, cessatio actionis, quæ edi poterat. Positiva libera vocatur *Factum commissionis*; privativa, seu negativa *Factum omissionis.* Illa etiam *Factum* simpliciter; hæc *non-Factum* appellatur. Sæpissime *sub facto etiam intelligitur non-factum, pro substrata materia.*

§. 3.

Imputatio.

Quando homo libere agit, vel non agit; *actionis causa libera* dicitur, quemadmodum etiam ejus, quod ex ea consequitur. Et judicium, quo causa libera declaratur agens actionis suæ, vel ejus, quod ex ea sequitur, sive boni, sive mali, *Imputatio* appellatur. Quamobrem *non imputari possunt nisi actiones liberæ, quatenus liberæ sunt*, consequen-

ſequenter etiam *eæ*, *quæ in ſe ſpectatæ naturales quidem ſunt*, *attamen ab actione quadam libera præcedente dependent* (§. 1.).

§. 4.

Actio coacta. *Coacte agit*, qui ab alio vi externa impulſus agit, in actione ſeſe habens per modum inſtrumenti; aſt *coacte patitur*, qui alterius in ſe actioni reſiſtendi vires non habet. In eo caſu nonreſiſtentia eſt *Actio privativa coacta*. *Actio coacta*, cum libera non ſit (§. 1.), *imputari nequit*, *niſi cogenti*: *ſi vero approbetur*, *approbatio imputatur*.

§. 5.

Actio invita, voluntaria. Differt a coacta *Actio invita*, ſi quis facit, quæ non facere mallet, & contra, modo aliquod malum ex actione contraria emergens evitare poſſet. Ei opponitur *voluntaria*, quæ nec coacta, nec invita eſt. *Actio* igitur *invita eſt*, *ſi quis vi vel metu ab altero incuſſo permotus agit*, *vel non agit*. Aſt *invita imputatur*, *etſi minus*, *quam voluntaria* (§. 3.), ut qui invitus agit, aliquam habeat excuſationem.

§. 6.

Actio deliberata, indeliberata, consultatio. Sunt autem *actiones* liberæ, vel *deliberatæ*, quæ nonnisi prævia consultatione eduntur: vel *indeliberatæ*, si quis nulla prævia consultatione agit. Est autem *Consultatio* actus intellectus, quo disquiritur, num sit agendum, aut non agendum, & quomodo agendum. Quamobrem cum *actio* deliberata magis libera sit, quam indeliberata (§. 1.); *deliberata magis imputatur indeliberata, & quo magis deliberata fuerit, eo magis imputatur* (§. 3.).

§. 7.

Determinatio actionum. Facultates animæ omnes per se aptæ sunt ad certos actus, & omnia corporis membra ad certas functiones, consequenter tam illæ, quam hæc destinantur certo cuidam fini, ad quem tendunt actiones naturales (§. 1.). Patet autem a posteriori, *actiones liberas determinari posse vel per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales, vel per diversas.*

§. 8.

Status internus & externus. *Status* in genere est coëxistentia mutabilium, hoc est, eorum, quæ etiam

etiam aliter se habere possunt, cum iisdem fixis, quae scilicet aliter se habere nequeunt. Estque vel *internus*, quatenus mutabilia ista subiecto insunt, vel *externus*, quatenus eidem adsunt, vel extrinsecus ad idem referuntur.

§. 9.

Perfectio entis in genere est consensus in varietate, seu plurium a se invicem differentium in uno. Et *Consensus* vocatur tendentia ad unum quid obtinendum. Ita perfectio horologii consistit in aptitudine, quam per structuram suam habet, accurate indicandi horam eiusque partes. *Perfectio.*

§. 10.

Ex adverso *Imperfectio* est dissensus in varietate, seu plurium a se invicem differentium in uno. Consistit autem *Dissensus* in contrarietate tendentiarum ad commune quid obtinendum. Ita oculus imperfectus est, si qua instructura ejus concurrunt, quae impediunt, quo minus imago clara & distincta in fundo delineetur. *Imperfectio.*

§. 11.

Perfectio essentialis & accidentalis. Actiones ad eam tendentes.

Est autem *Perfectio essentialis*, quæ continetur consensu determinationum essentialium, per quas scilicet ens tanquam ens hujus generis, vel speciei concipitur. *Accidentalis* vero, quæ in consensu determinationum accidentalium cum essentialibus consistit, veluti si promptitudo utendi facultatibus animæ, vel organis corporis motoriis acquiritur *Perfectio* igitur *accidentalis eandem rationem determinantem habere debet, quam habet essentialis* (§. 9.). Consequenter *actiones liberæ, quæ cum naturalibus per easdem rationes finales determinantur, ad perfectionem hominis eiusve statum tendunt* (§. 8. 9.), & ideo *quæ per diversas determinantur, ad imperfectionem tendant necesse est.*

§. 12.

Actiones bonæ, malæ.

Cum *bonum* dicatur, quicquid hominem ejusque statum perficit, *malum* vero, quod imperfectiorem reddit; *actiones liberæ ad perfectionem hominis ejusque status tendentes*, consequenter *cum naturalibus per easdem rationes finales determinatæ, bonæ sunt*; *quæ*

quæ vero tendunt ad imperfectionem hominis ejusque status, consequenter *quæ cum naturalibus non per easdem rationes finales determinantur, sed per diversas, malæ sunt* (§. 11.)

§. 13.

Actio in se bona, *in se mala*, *per se indifferens*.

Actio in se bona est, quæ per determinationes essentiales, hoc est, eas, per quas tanquam talis actio concipitur, bona est. Et eodem sensu *Actio in se mala* intelligitur. Quæ vero in se spectata nec bona, nec mala est, ea *per se indifferens* dicitur, *quatenus* tamen *propter determinationes accidentales supervenientes ad perfectionem, vel imperfectionem nostram statusque nostri tendit, in bonam, vel malam abit.*

§. 14.

Bonitas et malitia intrinseca actionum.

Actiones igitur quatenus in se bonæ sunt, vel malæ, aut propter determinationes accidentales accedentes bonæ, vel malæ fiunt, *bonitatem, vel malitiam intrinsecam habent*, ut ideo opus non sit, eas demum jubendo fieri bonas, vel vetando malas.

§. 15.

Motivum in se conti-

Quoniam ea est hominis natura, ut bonum appetat, malum aversetur,

 actio-

nent & per se appetibiles & aversabiles.

actiones vero *bonitatem vel malitiam intrinsecam habentes* in se bonæ et malæ sunt, aut propter determinationes accidentales accedentes tales fiunt (§. 14.), consequenter *motivum volitionis & nolitionis in se continent*, ut, si distincte cognoscantur, eas velimus, vel nolimus: *actiones intrinsece bonæ, vel malæ, per se appetibiles, vel aversabiles sunt.* Hinc autem porro patet, *actiones ad perfectionem hominis ejusve status tendentes continere motivum volitionis & esse per se appetibiles, quæ vero tendunt ad imperfectionem hominis ejusve status, motivum nolitionis continere & esse per se aversabiles.*

§. 16.

Rectitudo actionis.

Rectitudo actionis est convenientia cum omnibus determinationibus hominis essentialibus, ut scilicet ea rationem sufficientem in iis simul sumtis agnoscat, consequenter per eas intelligi possit, cur talis potius esse debeat, quam aliter. *Actio* igitur *recta requirit omnium facultatum animæ & facultatis locomotivæ corporis consentientem usum.*

§. 17.

§. 17.

Quamobrem *si quid in actione libera desideretur ex parte intellectus, vel voluntatis, vel denique facultatis locomotivæ, a rectitudine deficit* (§. 16.). Dicitur autem defectus rectitudinis actionis vincibilis, quoad intellectum *Culpa*; quoad voluntatem et noluntatem *Dolus*. In genere quoque defectus rectitudinis actionis *Culpa* vocari solet. *Vincibile* vero dicitur, quod usu facultatum vitari poterat: *Invincibile* vero, quod non poterat. Atque ideo patet, *actiones non minus culposas, quam dolosas agenti imputari* (§. 3.). Ex adverso autem *Invincibile* dicitur, quod usu facultatum nostrarum evitari minime poterat. Quamobrem cum *quæ casu fiunt, nulla culpa antecedente*, ea a nobis evitari impossibile sit, veluti si grando segetem prosternit, inundatio domum subvertit; *nobis* quoque *imputari nequeunt* (§. *cit.*). Defectus ejus, culpa, dolus. vincibilis C. 14. §. 1. de re militari.

§. 18.

Quoniam ignotum ut velimus, vel nolimus fieri non potest, ac ideo voluntas et noluntas ab intellectu, aut Actio culposa & dolosa.

f L. 7. §. 2. de tributaria actione. facultate cognoscendi dependet; f*actio dolosa committitur a sciente ac volente*, f L. 30. §. 3. ad Leg. Aquilian. *culposa vero nec a sciente, nec a volente.*

§. 19.

Culpæ & doli origo. Culpa & dolus consistunt in defectu rectitudinis actionis vincibili (§. 17.). Defectus vincibilis a *non-usu facultatum nostrarum*, hoc est, omissione usus earundem nobis concessi venit (§. *cit.*). *Culpa* igitur *et dolus non-usui facultatum nostrarum debetur.*

§. 20.

Impotentia agendi. A non-usu distinguenda est *Impotentia utendi*, quæ est indepedentia usus a voluntate nostra, ut scilicet is nobis sit impossibilis. *Quæ impotentiæ utendi facultatibus animæ ac corporis tribuenda, ea invincibilia sunt* (§. 17.), consequenter *ea imputari nequeunt, nisi illa culpa nostra fuerit contracta* (§. *cit.*).

§. 21.

Culpæ species. Actus ad facultatem cognoscitivam, quos supponunt actus facultatis locomotivæ in actionibus liberis, pertinentes complures sunt. Unde pro eorum

eorum diversitate diversæ sunt culpæ species. Ita defectus attentionis circa actiones nostras *Incogitantia* est; omissio actuum intellectus, quorum ope agenti innotescere poterat, quidnam ex actione sua sub præsentibus circumstantiis boni vel mali consequi possit, *Inconsiderantia*; defectus attentionis ad malum in dato casu eventu possibile, quod agens prævidere poterat, *Improvidentia*; determinatio sui ad agendum, seposito omni facultatum cognoscendi usu ad rectitudinem actionis requisito. *Præcipitantia in agendo*; defectus iudicii, quid vi circumstantiarum præsentium fieri consultius sit, *Imprudentia*; absentia omnis sollicitudinis de rectitudine actionis, *Incuria*; omissio eorum, quæ certo fine fieri debent, non-usui facultatum cognoscendi debita, *Negligentia*. Hinc patet, cur plerumque omnes culpæ species sub nomine negligentiæ comprehendantur, & quod *Diligentia*, quæ eidem opponitur, sit commissio omnium illarum actionum, quæ certo fine committendæ, seu eorum omnium, quæ certo fine fieri debent.

§. 22.

§. 22.

Culpa media, propositi. Datur etiam defectus rectitudinis actionis ob exceptionem in casu collisionis officiorum minus recte factam, quam *Culpam mediam* appellare lubet, alii *Culpam propositi* vocant, veluti si quis misericordia ductus solvit servum alterius compeditum, ut fugeret. *Quod igitur culpa media fit, id fit a sciente, non tamen directe volente.* Culpa hæc media ex inferioribus de collisione officiorum clarior evadet.

§. 23.

Intentio agentis directa, indirecta. *Intentio agentis* est volitio ejus, propter quod agens agit, veluti si testimonium perhibet, ut innocens damnetur. Estque *intentio directa*, qua id præcise intenditur, propter quod agens agit, ut in exemplo dato directe intenditur damnatio innocentis: *indirecta intentio* est, qua quidem agens per se non vult, quod ex actione sua sequitur, quod autem perinde ac id, quod vult, ex eadem sequi potest. Similiter alia *immediata* est, qua quid propter se intenditur, alia *mediata*, qua quid intenditur propter alterum,

quate-

quatenus ſcilicet per hoc conſequimur, quod intenditur.

§. 24.

Veteres *Dolum bonum* dixerunt, ſimulationem voluntatis finis cujusdam non illiciti cauſa factam. Unde in oppoſitione ad eum *Dolus malus* vocatur, de quo ante dictum (§. 17.). *Dolus bonus, malus.*

§. 25.

Dolus malus dividitur in *dolum ex propoſito*, quo malum, quod ex actione ſua reſultat, intendit agens ſive directe, ſive indirecte, & *Dolum ex re*, quo malum iſtud equidem agens non intendit, ubi vero idem ex facto cognoſcit, eum, in quem redundavit, id ferre vult. Ita in priori caſu gemma adulterina pro vera venditur a ſciente; in poſteriori a neſciente, ſed pretium reſtituere nolente. *Dolus ex propoſito, & ex re.*

§. 26.

Concurrunt etiam haud raro *homines ad actionem alterius*, quatenus ſcilicet actione quadam ſua ad actualitatem illius aliquid conferunt, vel actu intel- *Concurſus ad actionem alterius.*

intellectus, notionem actionis ignotæ agentis animo insinuando, circumstantias in casu dato obvias patefaciendo, consilium dando, docendo motiva agendi aut non agendi; vel actu voluntatis, aut noluntatis, veluti jubendo, orando, vetando, adhortando, dehortando, comminando, alliciendo, sollicitando, svadendo & dissvadendo, cum istiusmodi actibus voluntatem & noluntatem alteri sufficienter indicemus: vel denique actu facultatis locomotivæ, veluti adjuvando, instrumenta ad agendum necessaria suppeditando, exemplum præbendo animo alterum ad idem faciendum invitandi. Facile patet, *homines concursu suo ad actionem alterius ejusdem fieri participes*, consequenter *factum alienum, ad quod concurris, tibi imputari, quatenus id a voluntate tua libera dependet* (§. 3.), *factum* autem *alienum, ad quod nullo modo concurris, imputari non posse*. Diversi autem modi concurrendi ad factum alienum satis loquuntur, *non minus culpam, quam dolum in concursu ad factum alienum committi posse* (§. 17.), &

l. 52. pr. de furtis
l. 169. de regulis iuris.

& factum alienum nunc magis, nunc minus imputandum esse (§. 6. 17.).

§. 27.

Ad actiones internas pertinet *Consensus*, qui est volitio, ut fiat, vel non fiat, quod alter fieri, vel non fieri vult. Quodsi disertis verbis, vel alio signo declaratur, nos idem velle, quod alter vult, *Consensus* dicitur *expressus*; si vero aliunde, veluti ex factis & non-factis colligitur, *tacitus* vocatur, & idem *præsumtus* audit, si probabiliter saltem colligitur. *Præsumtio* enim est collectio probabilis rei dubiæ in casu singulari. Cum modus declarandi voluntatis ipsum actum non variet; *Consensus tacitus non minus verus consensus est, quam expressus.*

Consensus quid & quotuplex.

§. 28.

Opponitur consensui *Dissensus*, qui est volitio, ut fiat, quod alter fieri non vult, vel ut non fiat, quod is fieri vult. Patet autem, ut ante (§. 27.), *Dissensum* esse vel *tacitum*, vel *expressum*, & quinam *præsumtus* dicatur & dissen-

Dissensus.

dissensum non minus tacitum, quam expressum esse verum dissensum.

§. 29.

Ratihabitio.

Declaratio autem consensus sive expressa, sive tacita ex postfacto accedens *Ratihabitio* appellatur. Quamobrem *qui quod factum ratihabet, in id consensisse intelligitur*, ut ideo perinde sit, ac si consensu suo factum fuisset.

§. 30.

Consensus præsumtus cur verus dici nequeat.

Ceterum eodem sensu aliquid *expresse velle, vel nolle* dicimur, & *volitio* aut *nolitio præsumi.* Probabilia possunt esse falsa, nec certo constat, vtrum vera sint, nec ne. Quamobrem *consensus* etiam *præsumtus, aut volitio & nolitio præsumta fallere potest*, ac per consequens *vera dici nequit, sed pro vera habetur, donec contrarium probetur, quemadmodum probile omne.* Quodsi ergo contrarium probetur, cum jam falsum esse constet, quod pro vero habebatur; *præsumtionem vincit veritas*, ut illa jam cesset.

§. 31.

Requisita ratihabitionis.

Cum consensum suum ex post facto

facto declaret, qui factum alterius ratihabet (§. 29.); *ratihabitio tacita supponit notitiam facti ratihabendi*, cumque consensus tacitus ex factis colligatur (§. 27.), *eadem requirit factum, vel non-factum, quod agens velle non poterat, nisi facto, quod ratihabendum, supposito.*

§. 32.

Ignorantia dicitur absentia notionis sive rei simpliciter apprehendendæ, sive judicio cuidam respondentis. *Ignorantia* igitur *non admittit tacitam ratihabitionem* (§. 31.), & *si ea invincibilis fuerit, excusat; non vero, si vincibilis* (§. 17.), *atque hæc in culpam influit* (§. *cit.*). *Ignorantia.*

§. 33.

Scholastici eam *simplicem* vocant, & errorem *compositam ignorantiam* appellant, qua notiones combinantur, quæ combinari nequeunt. *Errat* nimirum, qui propositionem veram pro falsa habet, consequenter subjecto tribuit prædicatum vel affirmativum, vel negativum, quod eidem tribui nequit. Unde *Error* dicitur disconve- *Ignorantia composita, sive error.*

nientia notionis cum objecto. Patet autem, *errorem vincibilem influere in culpam, nec excusare* (§. 17.).

§. 34.

De ignorantiæ & erroris imputatione. Similiter manifestum est, tam *ignorantiam simplicem* (§. 32.), *quam compositam, sive errorem* (§. 33.) *vincibilem recte imputari* (§. 3. 17.). Ex adverso autem liquet, *ignorantiam & errorem invincibilem imputari non posse.* Atque idem statuendum est de actionibus ex ignorantia & errore profectis.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONE, JURE ET LEGE, AC JURIS NATURÆ PRINCIPIO.

§. 35.

Obligatio activa. *Obligatio* active sumta, quam *activam* appellare lubet, est connexio motivi cum actione sive positiva, sive privativa. Consistit autem *Motivum* in repræsentatione boni ex actione positiva, & mali ex negativa fluentis. Cum non velimus, nisi quod nobis tanquam bonum repræsentamus, & nolimus, quod tanquam malam re-

præ-

præsentamus; ex natura voluntatis & noluntatis patet, *hominem aliter obligari non posse, nisi motivum cum actione connectendo.*

§. 36.

Quamobrem cum actiones ad perfectionem hominis eiusque status tendentes motivum volitionis, quæ vero ad imperfectionem tendunt, motivum nolitionis contineant, ac illæ per se appetibiles, hæ aversabiles sint (§. 15.); *ipsa natura homo obligatur ad committendas actiones, quæ ad perfectionem ejus atque status ejusdem tendunt*, consequenter *cum naturalibus per easdem rationes finales determinantur, sed non per diversas* (§. *cit.*). *Dari obligationem naturalem.*

§. 37.

Quoniam impossibile est, ut idem simul sit & non sit, ideo necesse est, ut homo sic, non aliter actiones suas determinet, vitam hominis, seu naturæ suæ convenientem acturus. Hinc moraliter *impossibile* dicitur, quod cum natura hominis tanquam agentis rationalis contradictionem involvit; *moraliter* autem *possibile*, quod nullam in- *Moraliter possibile, impossibile & necessarium, obligatio passiva.*

volvit, seu eidem convenit, hoc est, rationem sufficientem in eadem habet. Et *moraliter necessarium* est, cujus oppositum moraliter impossibile. Ipsa autem necessitas moralis agendi *obligatio* est, quam *passivam*, in oppositione ad activam (§. 35.), appellamus, vulgo autem simpliciter obligationem dicunt, activa insuper habita. *Neminem obligari posse ad id, quod vel in se, vel ipsi impossibile, per se patet.*

§. 185. de reg. juris

§. 38.

Obligatio naturalis qualis.

Hæcce autem *obligatio* tam activa, quam passiva, quæ ab ipsa natura venit, *naturalis* dicitur, ut ideo *obligatio naturalis* sit, quæ rationem sufficientem in ipsa hominis rerumque essentia atque natura habet: quæ cum immutabilis sit ac necessaria, *obligatio* quoque *naturalis immutabilis & necessaria est*, quippe *quæ ponitur*, *posita hominis rerumque essentia atque natura.*

§. 39.

Lex naturalis & positiva, di-

Lex dicitur regula, juxta quam actiones nostras determinare obligamur. Vocatur autem *naturalis*, quæ ratio-

rationem sufficientem in ipsa hominis rerumque essentia habet: ast *positiva*, cujus obligatio dependet a voluntate entis cujusdam rationalis, & in specie *divina*, si a voluntate Dei, *humana* vero, si a voluntate hominis dependet. Lex naturæ communiter quoque *Jus naturæ* appellatur. *vina, humana.*

§. 40.

Quoniam *lex naturæ* rationem sufficientem in ipsa hominis rerumque natura habet (§. 39.), ideoque *obligationem naturalem continet* (§. 38.), hæc autem immutabilis & necessaria est (§. *cit.*), *lex* etiam *naturæ immutabilis & necessaria est*. *Immutabilitas legis naturæ.*

§. 41.

Et cum Deum autorem habeat essentia atque natura hominis & rerum, qua posita, ponitur lex naturæ (§. 40.) & ejus obligatio (§. 38.); *Autor legis naturæ ipse Deus est, & ad actiones suas eidem conformandas hominem obligat*, sicque *obligatio naturalis* etiam *divina est, & lex naturalis lex divina* (§. 39.). *Autor legis naturæ.*

§. 42.

Universalitas legis naturæ.

Similiter quia lex naturalis rationem sufficientem in ipsa hominis rerumque essentia atque natura habet (§. 39.), & obligatio, quam continet (§. 40.), ponitur, ista posita (§. 38.); *lex naturæ omnes homines obligat, nec ab obligatione naturali ullus hominum liberari potest.*

§. 43.

Principium generale Juris naturæ.

Ex eadem prorsus ratione *lex naturæ nos obligat ad committendas actiones, quæ ad perfectionem hominis atque status ejusdem tendunt, & ad eas omittendas, quæ ad imperfectionem ipsius atque status ejusdem tendunt,* consequenter *ad actiones liberas cum naturalibus per easdem rationes finales* (§. 36. 39.); *itidemque ad periculum omne a nobis & statu nostro avertendum.* Atque hoc *principium Juris naturæ* generale ac universale est, ex quo continuo ratiocinationis filo deducuntur omnia, quæ Juris naturæ sunt, prouti ex sequentibus abunde elucescet. Cumque Deus homines obli-

obliget ad actiones suas legi naturæ conformandas (§. 41.); qui a voluntate divina Jus naturæ derivare volunt, principium hoc admittere tenentur.

§. 44.

Eam hominum esse indigentiam, ut nemo solus se statumque suum perficere possit, sed unusquisque aliorum indigeat auxilio, satis notum. Quamobrem cum lex naturæ homines obliget ad se statumque suum perficiendum & imperfectionem avertendum (§. 43.); *lex naturæ homines obligat, ad se statumque suum conjunctis viribus perficiendum, & unusquisque ad perfectionem alterius conferre obligatur, quantum potest*, consequenter *quantum fieri potest salva obligatione erga seipsum* (§. 42.), *& in quibus unus alterius ope indiget*, quia scilicet nemini liberum, ut obligationi suæ erga se ipse desit (§. *cit.*), *omittere autem actiones, quibus alter, vel status ejus imperfectior redditur.*

Quod & quomodo homines sibi invicem obligentur.

§. 45.

Cum quilibet obligationi suæ satisfacere teneatur (§. 42.); *cuique* etiam libe-

De iis, quæ ad satisfaciendum

obligationi necessaria. *liberum est ea facere, sine quibus obligationi naturali satisfacere nequit.* Quousque igitur pateat hæc libertas, ex necessitate eorum ad satisfaciendum obligationi naturali æstimandum.

§. 46.

Jus quid sit & ejus origo. Facultas ista, seu potentia moralis agendi dicitur *Jus*. Unde patet, *Jus oriri ex obligatione passiva, nec jus ullum fore, si nulla esset obligatio, & lege naturæ nobis dari jus ad ea, sine quibus obligationi naturali satisfacere non possumus* (§. 45.). Ita jus datur ad usum ciborum, quia corpus nostrum conservare obligamur, & id consistit in facultate de cibis obligationi huic convenienter disponendi. *Quodsi ergo lex naturæ obligat ad finem, jus* quoque *dat ad media,* consequenter *si medium nonnisi unicum fuerit, jure eodem utimur.* Sine mediis nimirum fine potiri minime datur.

§. 47.

Lex præceptiva, prohibitiva, permissiva. *Lex naturæ* dicitur *præceptiva*, quæ ad actiones committendas nos obligat; *prohibitiva*, quæ obligat ad actiones omittendas; *permissiua*, quæ jus dat ad

ad agendum. Eadem divisio quoque convenit legibus positivis.

§. 48.

Cum ea sit hominis natura, ut, quod melius altero esse cognoscit, eidem præferat, obligatio vero naturalis ponatur, posita hominis rerumque natura & essentia (§. 38.), & lex naturæ obligationem naturalem contineat (§. 40.); *lex* quoque *naturæ nos obligat ad id, quod melius est, alteri præferendum*, & quatenus nos ad hoc obligat, *Lex perfectiva* vocatur. *Lex naturæ perfectiva.*

§. 49.

Id, ad quod agendum obligamur, *Debitum*; ad quod non agendum, seu omittendum obligamur, *Illicitum*; ad quod agendum tantummodo jus habemus, *Licitum* dicitur. *Naturaliter* igitur *debitum a lege naturæ præceptiva venit; illicitum prohibitiva, licitum permissiva facit* (§. 47.). *Honestum* vero in genere vocatur, quod legi naturæ convenienter fit, ita ut *Honestus* audiat, qui actiones suas quascunque ad normam legis naturæ componit, quatenus scilicet agere non vult, nisi quod *Debitum, licitum, illicitum.*

 salva

ſalva obligatione ſua & jure ſuo agere poteſt. Unde porro patet, quid ſit *honeſte vivere*.

§. 50.

De non impediendo juris uſu. Nullus foret juris uſus, ſi aliis jus eſſet eundem impediendi, & lex naturæ ſibimetipſi contraria foret, ſi uni daret jus ad agendum, alteri vero concederet jus, uſum illius pro lubitu impediendi: quod cum ſit abſurdum, *lex naturæ, dum nobis dat jus, ceteros quoque obligat ad non impediendum ejus uſum*, ac inde nobis naſcitur *jus non patiendi, ut impediamur*, conſequenter *impedire conanti reſiſtendi*. Et hactenus apparet, quod lex permiſſiva non invita definitione legis in genere lex dicatur (§. 39. 47.).

§. 51.

Lex præceptiva ponit prohibitivam contrarii. Et quoniam obligatio in neceſſitate agendi morali conſiſtit (§. 37.), naturalis vero prorſus immutabilis (§. 38.); ſi lex naturæ ad hoc agendum obligat, ad contrarium non agendum ſimul obligat, conſequenter *lex præceptiva una continet prohibitivam contrarii.*

§. 52.

§. 52.

Lex naturæ nos obligat ad nos perficiendum (§. 43.), consequenter etiam *ad facultatum omnium consentientem usum in agendo consequendum* (§. 9.). Quamobrem cum actionum rectitudo a consentiente usu omnium facultatum dependeat (§. 16.); *ad recte agendum nos obligat.* Et *Rectum* est, in quo ex parte nullius facultatis aliquid desideratur.

Obligatio ad recte agendum. Rectum quid sit.

§. 53.

Quia in actione recta nihil desiderari debet ex parte ullius facultatis (§. 52.); *ad actionem rectam requiritur ex parte intellectus notio actionis sufficienter determinata, atque iudicium verum de ejus bonitate & malitia, vel jure nobis competente, ex parte voluntatis & noluntatis determinatio voluntatis per bonitatem intrinsecam, aut jus nobis competens, noluntatis per malitiam intrinsecam, aut absentiam juris, ex parte denique facultatis locomotivæ organorum corporis actionibus internis consentiens motus* (§. 16. 14. 43. 46.). Latius hæc patent, quam primo intuitu

Ad rectitudinem actionis requisita.

tu videtur, cum ad quodlibet actionum humanarum genus, qualescunque tandem eædem sint, extendatur rectitudo.

§. 54.

Decorum & indecorum. *Hominem decere* dicitur id, cujus aliqua ratio continetur in iis, quæ eidem insunt, aut inesse concipiuntur, vel ejus statu, cur ita potius agere debeat, quam aliter: *dedecet* vero, quod cuidam eorum, quæ eidem insunt, aut inesse concipiuntur, vel ejus statui disconvenit, seu repugnat. Et id, quod hominem decet, *Decorum*; quod dedecet, *Indecorum* appellatur.

§. 55.

Lex naturalis decori. Cum lex naturæ urgeat perfectionem hominis (§. 43.), consequenter non ferat actionum externarum ullam contrarietatem (§. 9. 10.); *ad actiones quoque decoras committendas, indecoras omittendas obligat. Datur* igitur *lex naturæ decori.* Naturale autem hoc decorum, quod lex naturæ urget, non confundendum cum *arbitrio*, quod nonnisi hominum opinione pro tali habetur. Ex hactenus dictis abunde patet Juris naturæ amplitudo.

§. 56.

§. 56.

Jus naturæ rationem sufficientem habet in natura & essentia hominum (§. 39.). Quodsi ergo eandem habet in natura & essentia hominum ac brutorum communi, *Jus naturæ hominum ac brutorum commune* dicitur, ICtis Romanis *Jus naturæ* in significatu strictiori; sin in natura & essentia hominum propria, seu iis, quibus homo a brutis differt, *Jus hominum proprium*, ICtis Romanis *Jus Gentium*; si denique in iis, quæ quibusdam hominum individuis, aut uni eorum insunt, *Jus quorundam* hominum, *aut unius proprium.* Unde etiam patet, quænam sint *obligationes omnium hominum communes*, quænam *quorundam, vel unius propriæ.* Et idem intelligitur de juribus ex obligationibus istis manantibus (§. 46.). Atque ideo *homines nonnulli ad plura obligantur, quam ceteri*: prouti suo loco distinctius docetur. *De diversitate subjectiva Juris naturæ.* L. 1. §. 3. et 4. de O. J.

§. 57.

Actio juxta legem determinata, quatenus ad eam ita determinandam obli- *Officii definitio & divisio.*

obligamur, dicitur *officium*, ac in specie *officium erga seipsum*, quod homo sibimetipsi debet; *officium erga alios*, quod aliis debet; *officium* denique *erga Deum*, quod Deo debemus. *Dari officia omnium hominum communia & quorundam, sive etiam unius propria*, ex modo dictis (§. 56.) patet.

§. 58.

Peccatum, transgressio & custodia legis. Actio legi naturæ contraria *Peccatum* dicitur, estque *Peccatum commissionis*, si in actu positivo consistit, *Peccatum* vero *omissionis*, si in negativo, quando scilicet non fit, ad quod faciendum obligamur. Quemadmodum vero *legem servare* dicitur, qui facit id, ad quod faciendum obligat, & contra; ita eam *transgreditur*, qui contrarium facit, seu peccat. Hinc patet, quid sit *Transgressio legis*, cui opponitur *Custodia legis*, quæ est studium servandi legem.

§. 59.

Officia erga alios quando denegari possint. *Officia erga alios* non debentur, nisi quatenus ¹/sunt in potestate præstantis, ²/nec alter in iis sibimetipse sufficit (§. 44. 57.). Quamobrem *si in potestate*

state tua non sint, *aut alter in iis sibimetipse sufficit*, *denegari possunt*, *jure denegandi tibi competente* (§. 46.). Unde simul patet, quando sine jure denegentur, consequenter quando denegando peccetur (§. 58.).

§. 60.

Necesse igitur est, ut rite expendatur, quid sit in potestate nostra, quid non sit. Nimirum *in potestate nostra sunt*, quæ facultatum, virium ac rerum nostrarum usu, aliorumque ope ac auxilio consequi, vel evitare possumus. Ast *non sunt*, quæ facultatum, virium ac rerum nostrarum usu, aliorumque ope ac auxilio consequi, vel evitare minime valemus. *Tibi* autem *imputandum est*, *quod in potestate non sit*, *si ipsemet in causa fueris*, *cur non sit* (§. 3.). Usum vero habet hæc consideratio non modo in præstatione officiorum erga alios, verum etiam in aliis actionum generibus. Ita *nulla obligatio extenditur ultra id*, *quod in potestate est* (§. 37.).

Quænam sint in potestate, quænam non sint.

§. 61.

Officia erga alios, ad quæ homo homini naturaliter obligatur, vulgo offi-

Officia humanitatis eorumque

denegatio. *officia humanitatis* appellantur. Ea igitur *jure denegantur*, *si in potestate non sint*, *aut alter in iis ipsimetipse sufficit* (§. 59.), consequenter *si ex parte præstantis desit potentia physica*, *vel moralis* (§. 60.), seu, *si id*, *quod præstandum vel physice*, *vel moraliter impossibile fit*, *ex parte autem ejus*, *cui præstari debet*, *desit indigentia invincibilis* (§. 17.).

§. 62.

Obligatio primitiva & derivativa. Ceterum *obligatio alia primitiva* est, quæ rationem proximam in essentia atque natura hominis habet; alia *derivativa*, quæ eandem in alia obligatione, vel aliis obligationibus & juribus simul habet. Et idem intelligitur de officiis (§. 57.), & quia ex obligationibus descendunt jura (§. 46.), ideoque cum iis simul ponuntur, de juribus quoque valet. Constans nimirum omnium obligationum ac jurium inter se nexus est, ut alia ex aliis deduci continuo ratiocinationis filo possint, & veritatum inter se connexarum compagem constituant, quod *systema* appellatur, ac a nobis *systema veri nominis*

dici-

dici ſolet, quia auguſtum hoc nomen, quemadmodum etiam alias accidit, nimis profanatur.

§. 63.

In caſu emergente ſubinde contingit, ut pluribus legibus naturalibus, quibus ſimul ſatisfaciendum erat, ſimul ſatisfieri non poſſit, tumque *Leges inter ſe collidi* dicuntur. Cum igitur una alteri ſit præferenda, *Exceptio* fit, & ea *vincit*, cui ſatisfaciendum, *cedit* autem ipſi altera, cui ſatisfieri minime poteſt. *Colliſio legum. Exceptio.*

§. 64.

Ita patet, *in colliſione legum præceptivarum de officiis erga ſe ipſum & erga alios, in caſu colliſionis officiorum erga ſeipſum & erga alios vincere officium erga ſeipſum:* cum lex præcipiens officia erga alios exceptionem actu contineat (§. 44. 59.). Et quia præceptiva ad agendum, prohibitiva ad non agendum obligat (§. 47.), permiſſiva vero ſaltem ad agendum jus dat (§. *cit.*), conſequenter actionem nonniſi licitam facit (§. 49.); *in colliſione legis præceptivæ, vel prohibitivæ cum permiſſiva vincit præceptiva, vel prohibitiva* (§. 37.). *De legum colliſione.*

Cum prohibitiva id, quod præceptiva exigit, faciat moraliter impoſſibile (§. 37. 47.); *lex prohibitiva vincit præceptivam* (§. 37.). Similiter *in caſu colliſionis legum præceptivarum vincit perfectiva* (§. 48.). Alia dabimus ſuo loco, cum ſicuti ſyſtema id non aliter permittit (§. 62.), ita nec ejus, quod in præſenti meditamur, imitamentum. Idem obſervamus in aliis.

§. 65.

De colliſione eorundem officiorum. Fieri poteſt, ut ad id, ad quod aliis promiſcue qua hominibus obligamur, alia adhuc de cauſa obligemur, & ſic *obligatio* ex duplici, vel etiam pluribus cauſis orta efficiatur *fortior.* Unde *ſi idem officium pluribus præſtandum, in caſu colliſionis vincit obligatio fortior*, ſeu *is præferendus, cui magis obligati ſumus.*

§. 66.

De exercitio juris. *Exercitium juris* ſunt ipſi actus vi ejusdem liciti ei, cui id competit. Jus enim ipſum in nuda agendi poſſibilitate conſiſtit (§. 46.). Et *jure ſuo utitur*, qui actu facit, quod vi juris facere poteſt. Quamobrem *nemo in exer-*

citio

citio juris ſui impediendus (§. 50.). Cumque jus detur ad ſatisfaciendum obligationi (§. 46.), *rectus juris uſus is eſt, quem officia exigunt* (§, 57.): *in contrario abuſus conſiſtit.*

§. 67.

Legis promulgatio eſt actus, quo ad notitiam legis ii perducuntur, quos eadem obligare debet. Quamobrem cum *lex naturæ* rationem ſufficientem habeat in ipſa natura & eſſentia hominis rerumque (§. 39.), per hanc intelligitur, ad quænam nos obliget & jus det, conſequenter, cum ejus notitia uſu facultatum cognoſcendi comparari poſſit, *promulgatione nulla opus habet.* Aſt *leges poſitivæ* cum veniant a voluntate alterius (§. 39.), quæ ignoratur, niſi manifeſtetur, *promulgandæ ſunt, nec obligare poſſunt, antequam publicentur*, cumque obligatio veniat a voluntate legem ferentis (§. *cit.*), *vel a die promulgationis, vel a termino in lege expreſſo obligant.* Quibusnam vero competat jus ferendi leges, ſuo dicetur loco.

De promulgatione legis.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONE ET JURE HOMINUM UNIVERSALI IN GENERE.

§. 68.

Obligatio universalis. Jus universale.

Obligatio *universalis* est, qua quilibet homo tenetur, quatenus homo est. Et *Jus universale*, quod ex ea oritur (§. 46.), est, quod homini cuilibet competit, quatenus homo est.

§. 69.

Dari obligationes & jura universalia, & quaenam ea sint.

Quoniam obligatio naturalis in ipsa hominis essentia atque natura rationem sufficientem habet & cum ea ponitur (§. 38.), natura autem & essentia in genere omnium hominum eadem est; *obligatio, qua homo, quatenus homo est, tenetur, in omnibus hominibus eadem est*, consequenter *jura, quae homini competunt, quatenus homo est, omnis hominis eadem sunt* (§. 46.). Atque ideo patet, *dari obligationes universales & jura universalia.* Immo cum in Jure naturae ea potissimum tradantur, quae ex natura & essentia omnium hominum communi deducuntur, in eodem quoque inprimis explicantur obli-

obligationes universales & jura universalia.

§. 70.

In sensu morali *homines æquales* sunt, quorum obligationes et jura eadem sunt: ast *inæquales*, quorum non sunt obligationes & jura eadem. *Homines* igitur, *qua homines, natura æquales sunt* (§. 69.). *Naturalis hominum æqualitas.*

§. 71.

Cum *Prærogativa* sit jus, quod alicui præaliis, eodem ceteroquin jure utentibus, competit; *natura homini, qua homini, nulla prærogativa competit, nec ideo ulla datur prærogativa naturalis* (§. 70.). *Prærogativa naturalis nulla.*

§. 72.

Immo quoniam natura homo omnis eadem jura habet & easdem obligationes (§. 69.); *quod naturaliter homini uni, quatenus homo est, licitum, id etiam licitum est alteri, immo quod unus alteri debet, id etiam alter ipsi debet* (§. 49.). *De eo, quod licitum, illicitum, debitum.*

§. 73.

Hinc porro patet, *quod jure tuo tibi non vis fieri ab altero, id nec alteri facien-* *Quanam alteri fa-*

cienda & non facienda. Et officiorum erga alios perpetuitas. *faciendum esse, & quod iure vis fieri, id alteri quoque faciendum.* Qui secus faciunt, prærogativam affectant, qualis natura non datur (§. 71.), & æqualitatem naturalem tollunt (§. 70), quæ quoad obligationes & iura universalia subsistit, quamdiu homo homo est, consequenter quamdiu existit (§. 38. 46.). *Quæcunque* igitur *facto hominum inæqualitates introducantur*, quod fieri posse suo loco constabit, *officia tamen iis debentur, quæ homo homini debet*, seu *officia humanitatis* (§. 61.)

§. 74.

De iure connato. *Jus connatum* dicitur, quod ex obligatione connata oritur. Est autem *obligatio connata*, quæ cum essentia & natura hominis ponitur. Quamobrem cum hæc propter essentiæ ac naturæ immutabilitatem immutabilis sit, utpote ab ea inseparabilis; *Jus* quoque *connatum homini ita inhæret, ut ipsi auferri non possit:* datur nimirum ad satisfaciendum obligationi (§. 46.).

§. 75.

De præcedentia. *Præcedentia* est jus prioritatis in ordine a pluribus simul observando.

Cum

Cum inter æquales nulla ſit præcedentia (§. 70.); *natura* quoque *nulli hominum præcedentia competit.*

§. 76.

Natura hominum omnium eadem ſunt iura (§. 69.). Quodſi ergo tibi competeret jus in actiones alterius, ut is actiones ſuas ad voluntatem tuam componere deberet, nec facere poſſet, quod libet, ipſi viciſſim idem jus in actiones tuas competeret: quod cum ſit abſurdum, præſertim cum id extendendum foret ad homines promiſcue omnes; *natura nemini jus in actiones alterius competit.* In eſſentia & natura hominis, in qua rationem ſufficientem habet lex naturæ (§. 39.), adeoque omnis obligatio & jus ab eadem veniens, nulla continetur ratio, cur homini huic vel iſti in huius vel illius hominis actiones jus aliquod competere dabeat. *De jure in actiones alterius.*

§. 77.

Sunt igitur *natura actiones hominis independentes a voluntate alterius cujuscunque, nec is in agendo dependet niſi a* *De libertate naturali.*

seipso. Atque hæc indepentenția in agendo a voluntate alterius, seu dependentia a propria saltem voluntate *Libertas* dicitur. *Natura* igitur *homines omnes liberi sunt* Cum tamen obligatio naturalis sit immutabilis (§. 38.); *libertas obligationem naturalem minime tollit, nec quicquam in ea immutat.*

§. 78.

Quænam inde sit ceterorum obligatio.

Cum *vi libertatis naturalis* homo in agendo non dependeat nisi a seipso (§. 77.); vi ejusdem *ipsi permittendum, ut in determinandis actionibus suis suum sequatur judicium, nec ulli hominum rationem reddere tenetur, cur hoc faciat, vel non faciat, modo tibi nil faciat, ad quod non faciendum tibi perfecte obligatur* (§. 80.).

§. 79.

De judicio quoad præstationem officiorum humanitatis.

Atque hinc porro liquet, *in præstandis officiis humanitatis standum esse judicio præstantis, num in potestate sua sint, sicuti petentis de indigentia,* consequenter *si officium humanitatis denegetur, id petenti ferendum esse, nec ab eo alterum ad præstandum cogi posse.* Hoc tamen non obstante, *qui officium huma-*

humanitatis sine jure denegat, *peccat* (§. 58.).

§. 80.

De obligatione perfecta & imperfecta, jure perfecto & imperfecto.

Atque hinc patet, quo sensu obligatio ad officia humanitatis imperfecta, & ipsa hæc officia imperfecte debita dicantur, nimirum ita dicuntur, non quasi obligatio naturalis imperfecta sit, ut aliquid libertati agentis relictum, utrum eidem satisfacere velit, an nolit, quod naturali libertati repugnat (§. 77.); sed quia petens cogere nequit alterum, ut id præstet (§. 79.). Ideo *imperfecta* dicitur *obligatio*, cui ut satisfaciat, nemo cogi potest: sicuti ex adverso *perfecta* vocatur, cui ut satisfaciat, alter cogi potest. Et propterea porro *Jus perfectum* dicitur, quod conjunctum est cum jure cogendi alterum, si obligationi satisfacere nolit, ut satisfaciat: *Jus* autem *imperfectum*, quod jus ad coactionem non continet. Jus perfectum etiam simpliciter *Jus* appellatur, præsertim in Jure civili, ubi nonnisi Juris perfecti habetur ratio: imperfectum autem a *Grotio*+ dicitur *Aptitudo*, ab *Aristotele* vero *Meritum*,

+ de Iure B. et P. Lib. 1. Cap. 1. §. 4.

quatenus dignus eſt, cui quid præſtandum, ut præſtetur. *Meritum* itaque *officium humanitatis petentis indigentia eſt* (§. 44. 57.).

§. 81.

Quale ſit jus ad ſatisfaciendum obligationi naturali requiſitum.

Jus, quod lex naturæ dat ad ſatisfaciendum obligationi, cum ea neceſſaria & immutabilis ſit (§. 38.), conſequenter pati non tenearis, ut in ejus uſu ab altero impediaris, *perfectum eſt*. Oritur nimirum ex perfecta obligatione ejus uſum non impediendi (§. 66.), cui reſpondit jus non patiendi, ut is impediatur, quod cum ſit perfectum (§. 80.), jus quoque, unde ortum ſuum trahit, perfectum eſſe debet. Ac ideo *jus connatum perfectum eſt* (§. 74.).

§. 82.

De jure petendi officia humanitatis.

Atque hinc patet, quoniam obligaris aliorum opem requirere in iis, in quibus tibimetipſi non ſufficis (§. 44.); *jus petendi officia humanitatis eſſe perfectum, etſi jus ad officia humanitatis, ut hic & nunc ab hoc præſtentur, ſit imperfectum* (§. 79. 80.). Cumque nemo alterum in exercitio ſui juris impedire de-

debeat (§. 66.); *nemo* quoque *impediendus*, *quo minus officium aliquod humanitatis petat*, *&*, *si petit*, *æquo animo ferendum*. Quia officia humanitatis præstare non obligamur nisi indigenti; ut petantur omnino necessarium est.

§. 83.

Injustum dicitur, quidquid fit contra jus perfectum alterius: *iniquum* vero, quod contra imperfectum. *Fit autem contra jus alterius id*, quo idem vel tollitur, vel diminuitur, vel usus ejus quomodocunque impeditur; sicuti ex adverso *secundum jus alterius fit*, quando nihil contra id committitur, nec quicquam omittitur, quod eodem stante fieri debet. Et *justum* appellatur, quicquid fit secundum jus perfectum alterius; *æquum* vero, quod secundum imperfectum. Quoniam vero leges civiles quædam tolerant, quæ naturaliter injusta sunt, prouti suo loco videbimus; ideo *civiliter justum* arctius patet naturaliter justo, & in oppositione ad hoc *æquum* dicitur, quod soli naturali legi convenit.

De justo & injusto, æquo & iniquo.

§. 84.

De Licentia. Cum libertate non confundenda est *Licentia*, quæ contra obligationem naturalem & jus extenditur ad quidlibet, quod lubet, estque effrenata quædam appetentia ejus, quod lubet. Quoniam cum obligatione naturali, a qua nullus homo liberari potest (§. 42.), pugnat; *licentia nulli hominum competere potest.*

§. 85.

De justitia & injustitia. Quemadmodum vero *Virtus* in genere est habitus actiones suas componendi ad legem naturæ; & *vitium*, quod ei opponitur, habitus actiones suas ratione contraria dirigendi, quam lege naturæ præscribitur: ita in specie *Justitia* dicitur virtus, qua unicuique tribuitur jus suum perfectum, nihil scilicet faciendo, quod contra id fit, sed faciendo, quicquid secundum id fieri debet (§. 83.); & ex adverso *Injustitia* vitium, qua alteri jus suum non tribuitur, faciendo nimirum, quod contra id est, & non faciendo, quod secundum id fit. Quodsi *Justitia* extendatur ad jus omne, tam imperfectum,

ctum, quam perfectum, & in qualibet actione spectetur, quatenus ad alios refertur, vel referri potest, si vel maxime seipsum respiciat, *universalis* appellatur, tumque in sensu strictiori accepta *particularis* audit. Ceterum *Justitia naturalis latius patet civili* (§. 83.), *& licentia injustitiæ mater est* (§. 84.).

§. 86.

Quoniam nemo in usu juris sui impediendus (§. 50.), nec idem alteri auferri potest (§. 74.); *nemo quicquam facere debet, quod est contra jus alterius, sed quilibet potius facere debet, quod secundum jus ejus fit* (§. 83.), adeoque *unicuique jus suum tribuere, nullius vero jus violare*, ac per consequens *justi, non injusti esse debemus* (§. 85.). Et quia jus imperfectum perinde ac perfectum nascitur ex obligatione naturali in se perfecta, ita ut peccet, qui contra id agit (§. 79. 80.); *æquos nos omnibus, iniquos nemini præbere debemus* (§. 83.). *De justitia & æquitate præcepta, contrariis prohibitis.* l. 8. C. de indi...

§. 87.

Violatio Juris perfecti alterius *Injuria* vocatur. Unde liquet, *injuriam* *Injuria quid sit* pro-

& quod prohibita. *prohibitam* (§. 86.) *& naturaliter illicitam esse* (§. 49.). Quamvis vero hactenus non stabilivimus nisi jus connatum: suo tamen loco ostendemus, quæ de justitia & injuria hic dicuntur, ad jura quoque acquisita trahenda esse. Ceterum sicuti *licentia* injustitiæ (§. 85.); ita etiam *injuriis latas fores pandit* (§. 84.).

§. 88.

De læsione. *Alterum lædere* dicitur, qui jus perfectum ipsius violat, seu ei injuriam facit, & ideo *omni læsioni inest injuria.* Quamobrem cum nemini injuriam facere debeamus (§. 87.); *nemo lædendus est.* Quamvis vero læsio & injuria in eodem actu consistant: in eo tamen differentia conspicitur, quod læsio respiciat personam, cujus jus violatur, tanquam actus ab ipso minime ferendus; injuria autem violatio juris in se spectetur, citra respectum ad personam, cui fit, tanquam actus in se illicitus, seu ius ipsum, quod violatur, respiciatur. Ast sicuti justitia naturalis latius patet civili (§. 85.); ita etiam læsiones naturaliter latius patent, quam in Jure civili definiuntur. Clarius hoc elu-

escit

cescit ex iis, quæ mox sequuntur & quæ in posterum sequentur.

§. 89.

Quod lege naturæ prohibetur, cum in omissione consistat (§. 47.), obligatio semper certa est. *Ex obligatione igitur, quæ lege prohibitiva inducitur, enascitur jus perfectum non patiendi, ut alter faciat, ad quod non faciendum tibi obligatur* (§. 46.). Quamobrem cum nemo sit lædendus (§. 88.); *cuilibet homini natura competit jus non patiendi, ut lædatur ab alio*, atque hoc jus natura unicuique competens *Jus securitatis* vocatur, quæ in vacuitate læsionis consistit. Liquet hinc porro, *naturaliter læsionem extendi ad omnem actum lege naturæ respectu aliorum prohibitum*, consequenter *læsionem esse omnem actum, quo alter, vel status ejus redditur imperfectior* (§. 44.): *denegationem* vero *officii humanitatis læsionem non esse* (§. 79.). *De securitate & læsionis extensione naturali.*

§. 90.

Quia pati non tenemur, ut alius nos lædat (§. 89.); *læsionem intentanti resistere licet.* Quamobrem cum actio, *De jure defensionis.*

qua reſiſtitur læſionem intentanti, *defenſio ſit*, *homini natura ius defenſionis competit*, conſequenter *eidem liciti ſunt actus*, *ſine quibus læſionem a ſe avertere nequit* (§. 46.), *ex circumſtantiis obviis determinandi.*

§. 91.

De læſionibus præcavendis.

Similiter quia pati non tenemur, ut alius nos lædat (§. 89.); *læſiones præcavere*, conſequenter *alios obligare licet*, *ne nos lædant.*

§. 92.

Quomodo præcaveantur.

Cum alterum obligare non poſſimus ad non faciendum, niſi cum actione conjungendo motivum (§. 35.), motivum autem nolitionis in repræſentatione mali conſiſtat; *ei*, *qui nos actu læſit*, *inferre licet malum quoddam phyſicum* (§. 91.), *ne* ſcilicet *nos denuo lædat*, *vel ejus exemplum ſecuti lædant alii*, *vel etiam ipſe*, *aut alii alios.*

§. 93.

De pœna & jure puniendi.

Malum phyſicum ob malum morale immiſſum ab eo, qui obligandi jus habet, *Pœna* dicitur. *Natura* igitur

tur *homini competit jus puniendi eum, qui ipsum læsit.* Et quatenus *pœna* tendit ad mutandum animum lædendi, *emendatrix* dicitur; quatenus vero ad deterrendum alios a lædendo, *exemplaris.* Quamobrem cum pœna se habeat per modum medii, & emendatio animi lædendi ac metus iis incutiendus, quos libido lædendi incessere poterat, sint fines punientis; *magnitudo pœnæ æstimanda ex circumstantiis obviis* (§. 46.).

§. 94.

De jure infinito. *Jus infinitum* dicitur, cui in genere limites præfigi nequeunt, ex circumstantiis in casu dato obviis demum determinandi. *Est* igitur tam *jus defensionis*, quam *jus puniendi infinitum* (§. 90. 93.).

§. 95.

Jura connata quæ sint. Ex hactenus dictis patet, quænam sint jura hominum connata, nimirum Jus ad ea, sine quibus obligationi naturali satisfieri nequit (§. 46.), sub quo comprehenditur jus petendi officia humanitatis (§. 52.), et jus alterum sibi obligandi ad ea perfecte (§. 97.), æqualitas (§. 70.), libertas (§. 77.), jus secu-

ritatis (§. 89.), & inde natum jus defensionis (§. 90.) & jus puniendi (§. 93.): quænam vero hinc alia jura descendant, & quomodo legi naturæ convenienter aliæ obligationes contrahantur, & alia jura acquirantur, suo ostendetur loco.

§. 96.

Persona moralis, status moralis, naturalis.

Homo *persona moralis* est, quatenus spectatur tanquam subjectum certarum obligationum atque jurium certorum. Atque hinc *status* ejus *moralis* dicitur, qui per obligationes & jura determinatur; vocaturque idem *naturalis*, quatenus obligationes & jura, per quæ determinatur, naturalia sunt, seu vi legis naturæ eidem competunt. Ac ideo *in statu naturali homines reguntur solo jure naturæ.*

§. 97.

De modo alterum sibi perfecte obligandi & jus perfectum acquirendi.

Enimvero quoniam homo, obligationi suæ satisfacturus, sæpissime aliena ope indiget, interest autem ut de ea præstanda certus sit, & ipsi competit jus ad eos actus, sine quibus obligationi suæ satisfacere nequit (§. 46.); *eidem* quoque *competit jus*, *alterum ad certas præstationes sibi obligandi*, & hoc

hoc modo *jus perfectum ad eas acquirit*, ut cum ante denegatio eſſet ferenda, nunc ad eas cogi poſſit, ſeu vi compelli (§. 79. 80.), ſicque *quod erat voluntatis, nunc ſit neceſſitatis, & non præſtando alter lædatur & injuria committatur* (§. 88.).

§. 98.

Violenta juris ſui perſecutio, qua vel læſionem intentatam, ſeu injuriam faciendam avertere, vel eos, qui læſerunt, ſeu injuriam fecerunt, ad non lædendum in poſterum obligare, vel denique ad præſtationem, ad quam alterum nobis obligavimus, eum vi compellere conamur, quatenus alter eidem reſiſtit, *Certatio per vim* dicitur. Status vero per vim certantium *Bellum* vocatur. Atque hinc patet, *homini competere jus belli, & ejus cauſam juſtam non eſſe niſi injuriam vel faciendam, vel factam* (§. 87. 83.): *denegationem vero officii humanitatis juſtam belli cauſam non eſſe* (§. 79.). *De jure belli.*

§. 99.

Pax opponitur bello, & ideo vocatur ſtatus, in quo bellum non eſt. *De pace.*

Cumque nemo ſit lædendus, conſequenter ab omni injuria abſtinendum (§. 88.); *homines pacem colere obligantur*, & ideo *pax ſecundum naturam eſt*, *bellum contra eandem* (§. 38.), cui non natura, ſed malitia hominum obligationi ſuæ ſatisfacere nolentium locum facit, ſeu injuria (§. 98.).

Marc. IX, 50.

§. 100.

De obligatione contracta & jure acquiſito.

Ex antea dictis porro manifeſtum eſt, præter obligationes & jura connata dari quoque obligationes facto hominum interveniente ortas & jura per eas acquiſita (§. 95.), quorum illæ *obligationes contractæ*, hæc *jura acquiſita* appellantur. Patet quoque, *neminem ſeipſum ab obligatione contracta liberare poſſe* (§. 97.), *nec jus* ideo *acquiſitum*, ex ea ortum (§. 46.), *invito auferri poſſe*: id quod ſupra de obligatione connata & de jure connato oſtendimus (§. 42. 74.). Cum itaque obligationes ſint connatæ, vel contractæ, & jura vel connata, vel acquiſita; in genere jam conſtat, *neminem ſe ab obligatione ſua liberare*, *nec jus ſuum alicui invito auferri poſſe*.

§. 101.

§. 101.

Cum obligationes connatæ teneant homines omnes (§. 74.), contractæ nonnisi eum, quem tibi ad certam præstationem obligasti (§. 100.), & eodem modo jura connata omnibus hominibus promiscue, jus vero acquisitum nonnisi ei competat, qui alterum sibi obligavit ad certam præstationem (§§. *cit.*); inde liquet dari jura, tam quæ omnibus promiscue competunt, quam quæ nonnisi uni in singulari, aut pluribus junctim sumtis, in oppositione ad omnes spectatis, competunt, & similiter obligationes, quæ eodem modo ad omnes, plures conjunctim, vel unum in singulari pertinent. Hinc *Jus commune* dicitur, quod omnibus promiscue competit; *proprium* vero, quod nonnisi uni, aut pluribus conjunctim, in oppositione ad ceteros omnes, competit. Et eodem modo intelligitur, quænam *Obligatio communis*, quænam *propria*. Patet autem, *jus proprium eodem excludere ceteros omnes*, & *si pluribus conjunctim jus proprium est, id inter ipsos commune esse.* *De jure communi & proprio.*

§. 102.

De statu originario & adventitio.

Status hominum naturalis, vel *originarius* est, quatenus determinatur per sola jura & obligationes connata; *adventitius* vero, quatenus determinatur per obligationes contractas & jura acquisita, vi solius legis naturæ. *Originarium* itaque homo a natura sola habet; *adventitium vero nonnisi facto quodam humano interveniente.* Facile quoque patet, *ad statum originarium pacem* (§. 99.), *ad adventitium bellum pertinere* (§. 98.), & quoniam bellum tendit ad tollendam, vel delendam injuriam, belli causam (§. 98.); *bellum naturaliter permitti pacis causa* (§. 99.), consequenter *nec gerendum esse nisi propter pacem.* Nimirum *bellum gerere* idem est ac per vim certare. Ne vero in discernendo statu adventitio ab originario subinde hæsitetur, notandum est, posse homini competere jus in se spectatum in statu originario, cujus tamen exercitium locum non habet nisi in adventitio, quatenus nimirum isti locum facit factum alterius. Exemplum habes in jure defendendi & puniendi, si originem utriusque curatius consideres (§. 90. 93.).

CAPUT



CAPUT IV.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SEIPSUM ET CUM IIS CONNEXIS JURIBUS.

§. 103.

Homo tum se, consequenter tam animam, quam corpus, tum statum suum perficere debet (§. 43.), quantum potest (§. 37.). Dantur igitur *officia erga animam, erga corpus & quoad statum externum* (§. 57.), atque ea *sunt conjungenda, non uni eorum ita studendum, ut negligantur cetera, & cui amplior est facultatum rerumque usus, & auxilium alienum majus, is ad plura præstanda obligatur.* *De officiorum diversitate & conjunctione.*

§. 104.

Cum *bona animi* sint, quæ animam, *corporis*, quæ corpus; *fortunæ*, quæ statum externum perficiunt; *quilibet studere debet, ut ea consequatur animi, corporis ac fortunæ bona, quæ in potestate ipsius sunt* (§. 103. 60.), consequenter *sibi cavere a malis animi, corporis atque fortunæ* (§. 51.). *De studio bonorum consequendorum.*

§. 105.

De se & aliis cognoscendis. *Necesse* igitur *est*, *ut homo seipsum cognoscat*, *qua animam*, *corpus & statum suum*, cumque cognitio sui cognitione aliorum promoveatur, quatenus apparet, quarum perfectionum & imperfectionum homo & status ejus sit capax, & quonam usu facultatum illæ obtineantur, quonam non-usu & abusu earundem in has inciditur, *etiam alios*, *eo fine spectator sedulus aliorum.*

§. 106.

De perfectione animæ. Usus facultatum animæ consistit in eliciendis actibus: in consensu omnium usuum facultatum omnium animæ tam superiorum, quam inferiorum *perfectio animæ* consistit (§. 9.). Quamobrem cum *homo* se perficere obligetur (§. 43.), *operam dare debet*, *ut aptus fiat non modo ad quemlibet facultatum animæ usum*, *sed etiam ad reducendum usus omnium facultatum in agendo ad consensum*, quemadmodum jam supra docuimus (§. 52.), consequenter *vitandus est tam facultatum non-usus*, *quam dissensus in agendo* (§. 51.). Cumque promptitudo agendi *habitus* sit;

ſit; *homo obligatur acquirere habitus facultatibus ſuis utendi, earumque uſus ad conſenſum reducendi.*

§. 107.

Ac propterea *homini competit jus ad ea, quæ ad conſequendum uſum facultatum ſuarum & uſus iſtos ad conſenſum reducendum neceſſaria ſunt* (§. 46.). *De jure eo fine competente.*

§. 108.

Quoniam *Intellectus* facultas eſt, res diſtincte repræſentandi, conſequenter non ſolum a ſe invicem diſcernendi, quæ rei eidem inſunt, verum etiam judicia determinata formandi, ut ſcilicet vi eorum, quæ de ſubjecto ſumuntur, eidem conveniat, vel repugnet prædicatum, & recte ratiocinandi; *operam dare debemus, ut acquiramus habitum in objecto cognoſcibili obvio ea diſtinguendi, quæ eidem inſunt, judicia determinata formandi & recte ratiocinandi.* Quoniam vero hoc fieri nequit, niſi valeamus *attentionem conſervare*, hoc eſt, efficere, ut objecti, de quo cogitamus, nobis magis conſcii ſimus, quam aliorum, quorum cogitatio animum una ſubit, vel ſubire poterat, & *ſuper iis reflectamus*, hoc eſt, attentionem *De intellectu perficiendo.*

 noſtram

nostram successive ad alia aliaque dirigamus, quæ objecto insunt; *curæ* quoque *habendum*, *ut omnem attentionis gradum*, *quantum datur*, *& habitum reflectendi acquiramus*.

§. 109.

De appetitu & aversandi facultate perficienda. Appetitus hominis generaliter determinatus est ad bonum appetendum, & facultas aversandi ad malum aversandum. Quamobrem cum *perfectio appetitus* consistat in determinabilitate nonnisi per bonum verum, *facultatis* autem *aversandi* in determinabilitate nonnisi per malum verum: ex adverso *illius imperfectio* in determinabilitate per bonum apparens, quod ex voluptate præsente, sed nocua æstimatur, *hujus* autem *imperfectio* in determinabilitate per malum apparens, quod ex molestia præsente, sed minus nocua æstimatur; *operam dare debemus*, *ut appetitus nunquam feratur nisi in bonum verum*, *nec aversandi facultas abhorreat nisi a malo vero*, consequenter *studendum*, *ut bonum verum verumque malum ab apparente semper discernere valeamus*. Et quia usus omnium facultatum consentire debent (§. 106.); *opera* inprimis

dan-

danda est, ut appetitum sensitivum ad consensum cum rationali, sive voluntate, & aversationem sensitivam itidem ad consum cum rationali, seu noluntate, consequenter, cum voluntas & noluntas ab actibus intellectus, appetitus sensitivus & aversatio sensitiva ab actibus sensuum & imaginationis pendeant, *intellectum in repræsentando bono vel malo ad consensum cum sensu & imaginatione reducamus.*

§. 110.

Ad appetitum sensitivum & aversationem sensitivam referuntur *affectus*, qui in appetitionibus & aversationibus vehementioribus consistunt: unde porro conficitur, *operam dandam esse, ut eos ad actiones legi naturæ convenienter dirigamus*, hoc est, regamus, atque *iis resistamus, ne in actus externos, legi naturæ contrarios, ad quos tendunt, erumpant*, hoc est, eos compescamus (§. 109.), & sicubi contingit eos nobis impedimento esse in agendo, & quando eorum regimen nondum in potestate est, *ut extinguantur, uti subito oriuntur*, hoc est, sedentur. Unde liquet, *habitus* quoque *voluntatis & noluntatis* *De affectibus regendis, compescendis & sedandis.*

tis actiones legi naturæ convenienter determinandi acquirendos esse.

§. 111.

Quorum scientia comparanda. Patet etiam, *hominem obligari ad consequendum eorum scientiam, quæ ad bona & mala vera ab apparentibus discernenda* (§. 109.) *& ad recte agendum scitu necessaria sunt* (§. 52. 53.).

§. 112.

De corpore perficiendo & conservando. Constat corpus humanum ex *organis vitalibus*, quæ vitæ ac speciei conservationi destinantur; *sensoriis*, quæ sensationi ac pendentibus inde actibus imaginationis ac memoriæ inserviunt, & vel *externa*, extus in corpore conspicienda, vel *interna*, intus latentia; & denique *motoriis*, quæ ad motum localem corporis ejusve membrorum externorum faciunt. *Perfectio* igitur *corporis, qua vivi*, consistit in aptitudine se conservandi & speciem suam propagandi; *qua sentientis*, in aptitudine ideas rerum sensibilium materiales producendi; *qua se moventis* denique, in aptitudine appetitionibus & aversionibus animæ convenientes motus producendi & situs tam totius corporis, quam mem-

brorum ejus externorum determinandi (§.9.). Ex his ſimul ſumtis enaſcitur aptitudo conſervandi harmoniam inter animam & corpus, in qua *Perfectio corporis* conſiſtit: cui cum accedit perfectio animæ, quam ipſa hæc harmonia exigit, *Perfectio hominis* prodit, quæ, cum ex principiis Theologiæ naturalis conſtet, hominem tum quoad animam atque corpus repræſentare Deum, in aptitudine Deum repræſentandi conſiſtit, ut ſcilicet in eodem conſpiciatur quaſi imago Dei, & ideo *atheus perfectionem hominis intime perſpicere nequeat.* Cum perfectio corporis, qua humani, ſupponat omnium membrorum integritatem, a poſteriori autem conſtet, varios habitus facultatis locomotivæ acquiri poſſe; *homo* utique *obligatur, integritatem omnium membrorum corporis conſervare, & eos habitus facultatis locomotivæ acquirere, quibus ad recte agendum indiget* (§. 106. 52.), conſequenter *eorum depravatio & jactura vitanda*, adeoque *corpus ſuum*, ac ideo quoque *vitam ſuam conſervare* debet, conſequenter *propricidium ſive avtochiria illicita* (§. 51.).

§. 113.

§. 113.

De sanitate conservanda & recuperanda, ac morbis præcavendis.

Status ille corporis, in quo singulæ ipsius partes munere suo rite funguntur, *Sanitas* dicitur; status vero oppositus, quo una vel plures ad usus suos, quibus destinantur, aptæ non sunt, *Morbus*. Intelligitur autem hoc etiam de partibus fluidis, & in sermone vulgari morbus inprimis attenditur, in organis vitalibus. *Errorem externum* vocat *Galenus* impedimentum actionis organi, ad quam producendam ipsum in se spectatum aptum deprehenditur. Cum omnes partes corporis conservandæ sint in eo statu, ut sint aptæ ad usum suum (§. 112.); *homo obligatur sanitatem conservare, & a morbis sibi cavere*, ne scilicet culpa sua in eos incidat; *quodsi* vero *contingat eum morbo corripi, operam dare, ut sanitati restituatur.*

§. 114.

De jure ad cibum, potum ac medicamenta.

Homini igitur *jus est ad ea, quæ ad vitam & sanitatem conservandam & recuperandam faciunt*, consequenter, cum sanitas sine cibo ac potu conservari, nec semper sine medicamentis recuperari possit, *jus ad usum earum rerum, quæ cibo ac potui inserviunt, &*

qua-

quarum usus ad sanitatem restituendam facit, quæque *Medicamenta* appellantur (§. 46.). Quoniam vero hoc jus sanitatis causa datur; *cibus ac potus sanitatis conservandæ, non voluptatis ex eo percipiendæ causa appetendus*, consequenter *a cibo ac potu insalubri nimiaque utriusque quantitate abstinendum*, cumque *Ebrietas* status corporis sit, quo ex potu nimio functiones cerebri turbantur, consequenter *homo* primum usu rationis, inde porro imaginationis, immo sensus, tandemque ipsius facultatis locomotivæ privetur, *ebrietatem fugere tenetur.*

§. 115.

De jure ad vestimenta.

Similiter patet, sanitatis causa *corpus adversus injurias tempestatum vestimentis muniendum* (§. 113.), ac homini esse *jus ad eas res, quæ vestimentis eo fine necessariis conficiendis inserviunt, & ad eos actus, quibus conficiuntur, vel res ad ea necessariæ parantur* (§. 46.), *observato simul decoro naturali* (§. 55.).

§. 116.

De jure ad ædium extructionem.

Quoniam etiam a posteriori constat, homines ædibus opus habere, ut ab injuriis tempestatum tuti laboribus

&

& negotiis fungi, cibos præparare, corpus lassum somno reficere & res suas, quibus indigent, asservare & custodire valeant; non minus facile patet, *homines ædes commodas exstruere debere, & natura iisdem competere jus ad ea omnia, quæ ad eas exstruendas necessaria, omnes etiam actus ad exstructionem requisitos*, etiam hic *observato decoro* (§. 55.).

§. 117.

De pulchritudine naturali & artificiali atque ornamentis corporis.

Pulchritudo naturalis dicitur, quæ corpori hominis natura inest. Consistit autem, quemadmodum a posteriori patet, in *Symmetria*, conveniente partium externarum ad se invicem & ad totum corpus proportione; *Eurythmia*, similitudine partium, quæ ab utroque latere sunt mediorum dissimilium, conveniente earum figura atque colore. Ast *artificialis* vocatur, quæ facto nostro corpori conciliatur. Cum *pulchrum* sit, quod placet, consequenter pulchritudo naturalis ad aliud tendere nequeat, quam ut placeas aliis, artificialis vero defectum naturalis suppleat & eam augeat; *naturalem conservare debemus* (§. 43.), & *decori minimum gratia*

artifi-

artificialis non illicita (§. 55.). Ac propterea *natura nobis jus est ad ea, quæ ad pulchritudinem artificialem corpori conciliandam faciunt.* Dicuntur hæc *Ornamenta*, consequenter *homini jus competit ad ornamenta, & ad ea, quæ ornamentis parandis inserviunt, eosque actus, quibus parantur & quos eorum usus requirit.* (l. 27. §. 10. de auro et arg. legato.)

§. 118.

De felicitate & infelicitate.

Felicitas est status voluptatis ac lætitiæ durabilis, quæ scilicet nec molestiam parit, nec in eam degenerat, seu *innocua* est: *Infelicitas* vero status molestiæ, nimirum animi, ac tristitiæ durabilis. Appetitus hominis natura determinatus est ad appetendum ea, ex quibus voluptatem percipit, consequenter generaliter ad felicitatem; aversatio vero ad aversandum ea, ex quibus molestia percipitur, consequenter ad fugam infelicitatis. *Homo* igitur *curæ habere debet, ut sit felix, & ne infelix fiat* (§. 36.), consequenter *ipsi jus est ad ea, quæ ad felicitatem quidpiam conferunt* (§. 46.). Patet autem ex ipsa definitione felicitatis, *veram ab apparente esse discernendam*, ne scilicet, dum

felix esse cupis, te reddas infelicem. Liquet porro, *omnem molestiam quantumlibet exiguam esse aversandam*, utpote felicitati adversam.

§. 119.

De vita commode ac jucunde transigenda.

Vitam commode transigimus, si, quæ a nobis agenda sunt, ea absque omni molestia peragere valemus, seu si ea ab actionibus nostris molestiam removent: *jucunde* autem, si ea agimus, ex quibus voluptas innocua percipitur. *Homo* itaque *curæ habere debet, ut vitam commode ac jucunde transigat* (§. 118.), consequenter ipsi *jus est ad ea, quæ ad vitæ commoditatem & jucunditatem faciunt* (§. 46.).

§. 120.

De voluptate transitoria.

Voluptas transitoria est, quæ nonnisi exiguo temporis spatio durat, nunquam reditura, quales sunt delectationes sensuales. Quodsi innocua fuerit, ad felicitatem hominis quidpiam confert; si vero nocua, ad infelicitatem concurrit (§. 118.). Quamobrem *voluptas transitoria licita est, si fuerit innocua; illicita, si nocua* (§. *cit.*).

§. 121.

§. 121.

Rei nomine venit ens omne, quod nobis usui esse potest, veluti ad vitam conservandam & commode atque jucunde transigendam, vel ad animæ corporisque perfectionem quomodocunque promovendam, imperfectionem vero avertendam. Est autem vel *corporalis*, quæ sensu percipi potest; vel *incorporalis*, quæ sensu non percipitur, seu intellectu tantummodo concipitur, qualia sunt jura & habitus animæ. Sunt etiam vel *necessariæ*, quæ ad vitæ ac sanitatis conservationem & ad animam perficiendam requiruntur; vel *utiles*, quæ ad vitam commode degendum faciunt; vel *voluptuariæ*, quæ nonnisi jucunditati inserviunt. Porro aliæ sunt *pure naturales*, quas natura sua sponte producit; aliæ *industriales*, quas natura nonnisi opera humana interveniente producit; aliæ *artificiales*, quæ arte humana parantur. *De rebus & earum divisione.*

§. 122.

Facile intelligitur, *res necessarias utilibus & voluptuariis esse præferendas* (§. 121.), utpote ab obligatione princi- *Quænam res aliis præferendæ.*

 pali

pali requisitas (§. 36.), *utiles autem voluptuariis*, cum voluptuariæ nonnisi sensus delectent (§. 121. 119.), ut cautus admodum esse debeat earum usus (§. 120.).

§. 123.

De rerum sufficiente copia.

Cum rebus necessariis homines carere nequeant (§. 121.); *si natura non sua sponte eas tanta copia profert, quanta omnibus sufficit, earum proventum homines opera sua multiplicare debent, aut quas natura non profert, eas arte parare.* Unde fluit obligatio ad culturam agrorum, hortorum, sylvarum, rem pecuariam &c. Immo cum rerum quoque utilium & voluptuariarum licitus sit usus (§. 119. 121.); *homines operam dare debent, ne desit sufficiens rerum utilium & voluptuariarum copia*, ex prælatione utilium determinanda (§. 122.).

§. 124.

De labore.

Quoniam *Labor* opera est, quæ rebus corporalibus & incorporalibus producendis, & vitæ commoditati, jucunditati & decori promovendis impenditur; *Otium* vero vacatio a labore, homi-

homines vero ad res non minus corporales (§. 123.), quam incorporales producendas obligantur (§. 108. 110. 121.); *homini omni laborandum eſt, nemini otiandum:* quatenus tamen ſanitatis habenda eſt ratio (§. 113.), *labor nimius*, qui ſc. cum diſpendio ſanitatis continuatur, ac *nimis gravis*, cui vires noſtræ vix ac ne vix quidem ſufficiunt, *vitandus;* & quatenus obligamur ad recte agendum (§. 52.), *unusquisque labore ſuo recte perſungi*, conſequenter *curare debet*, *ne res artificiales careant perfectione ſua* (§. 11. 16.), *& ſibi comparare eum facultatum uſum, qui ad laborem recte obeundum requiritur.* Et quoniam labor tam multiplex eſt, ut nullius vires omni ſufficiant, homines autem conjunctis viribus ſe ſtatumque ſuum perficere debent (§. 44.); *unusquisque eum laborem ſeligere debet, cui ſe parem ſentit*, ac ideo *id vitæ genus eligere, ad quod aptus eſt*, hoc eſt, eum ſtatum, in quo vitam impendit labori, qui, ut recte obeatur, requirit uſum facultatum per diſpoſitiones atque inclinationes naturales acquiſitu ipſi poſſibilem.

§. 125.

De existimatione, laude ac honore.

Aliorum de perfectione nostra judicium *Existimatio* dicitur, quæ verbis declarata, *Laus*; aliis autem actibus externis significata, *Honor* dicitur. Unde patet, *laudem & honorem non esse in nostra potestate* (§. 60.), *nec quenquam alterum per se laudare ac honorare posse, nisi qui verum de perfectione alterius judicium per se ferre potest.* Quoniam tamen obligamur nos statumque nostrum perficere (§. 43.); *operam dare debemus, ut simus existimatione*, consequenter *laude ac honore digni.* Et quoniam perfectio animæ consistit in habitibus intellectus et habitibus voluntatis legi naturæ convenienter determinandis (§. 106.), quorum illi *Virtutes intellectuales*, hi *morales*, vel etiam *virtutes* simpliciter dicuntur; *existimationem, laudem ac honorem verum non pariunt nisi virtutes intellectuales atque morales*, quas produnt facta, vel etiam verba, consequenter *bona animi* (§. 104.), *corporis vero ac fortunæ bona nonnisi quatenus eorum acquisitio ab istis pendet*, ut ideo sint existimationis, laudis atque honoris occasio.

§. 126.

§. 126.

Fama est communis hominum sermo de perfectione, vel imperfectione ejusdem, consequenter de dictis & factis, quæ eam produnt. Unde vel *bona* est, vel *mala*. Quoniam *homo* se perficere debet (§. 43.) & recte agere (§. 52.); *operam dare debet, ut fama bona fruatur & merita, eamque servare*, hoc est, sollicite sibi cavere, ne eam inquinet, ut bona in malam degeneret, consequenter *si quæ fecit bonæ famæ adversa, factis contrariis eidem servire.* *De fama.*

§. 127.

Consentiens laus bonorum & peritorum, seu bene judicantium dicitur *Gloria*. Quæ igitur de laude dicta sunt, ad gloriam quoque applicanda. *De gloria.*

§. 128.

Cum laus & honor non sit in nostra potestate (§. 125.), propter finem vero agamus; *laudem ac honorem non intendere debemus tanquam finem, sed aliorum arbitrio relinquendum, num laudare ac honorare nos velint* (§. 78.), consequenter *laudem ac honorem appetere non debemus*, ac propterea *nec nos ipsos laudare* *De laude & honore non appetendo.*

§. 129.

Judicium de se & statu suo quale esse debeat.

Quoniam homo seipsum cognoscere debet, qua animam, corpus & statum suum (§. 105.); *judicium de bonis animi, corporis ac fortunæ verum esse debet, nec in iis studio ac labori suo tribui, quod naturæ, fortunæ & aliis tribuendum, nec minus imperfectionem, quam perfectionem homo agnoscere tenetur*, cum alias obligationi suæ satisfacere nequeat (§. 43.). Quia vero ex sensu perfectionis voluptas oritur per ipsam hominis naturam; *voluptas ex perfectione sui & status sui percepta illicita non est* (§. 49. 37.).

§. 130.

De officio hominis circa fortunam.

Fortuna est concursus causarum minime prævisus ad effectum nobis vel bonum, vel malum, ac ideo vel *secunda*, vel *adversa* audit. Quoniam itaque in potestate nostra non est (§. 60.), atque eam admodum variabilem experimur; *fortuna secunda nimium confidere non debemus, nec adversa meliora desperare, eamque æquo animo ferre obligamur*, ne scilicet reddamur infelices culpa nostra (§. 118. 17.). Quamobrem ne adversa præter opinionem nobis

bis obvenientia animum perturbent; *adversa, quæ in potestate non sunt, nobis repræsentare debemus tanquam eventu possibilia, nec a nobis evitabilia*: in quo *præparatio ad futuros casus* consistit.

§. 131.

Cum obligatio naturalis adeo necessaria sit (§. 38.), ut nemo hominum ab ea liberari possit (§. 42.); *nemo hominum metu mali cujusdam deterreri debet, quo minus faciat, quod legi naturæ convenit, nec sese adduci patiatur necesse est, ut faciat, quod legi naturæ contrarium.* Quoniam vero omne periculum a nobis & statu nostro avertere debemus (§. 43.); *nemo* quoque *nulla urgente obligatione subire debet periculum ullum*, veluti vitæ, aut integritatis membrorum amittendæ, aut statum suum imperfectiorem reddendi. In casu particulari, quid fieri debeat, docet exceptio ob collisionem officiorum facienda (§. 64.). *De periculo vitando.*

§. 132.

Amor proprius est dispositio animi ex propria felicitate voluptatem percipiendi: *Dilectio* vero *sui* constans & per- *De amore proprio & dilectione sui.*

petua voluntas omni ſtudio id agendi, ut ſimus felices, ac per conſequens cavendi ne infelices evadamus. Quoniam itaque homo curæ habere debet, ut ſit felix, & ne fiat infelix (§. 118.); *ſeipſum* quoque *diligere debet.* Et ſicuti appetitus generaliter determinatus eſt ad felicitatem; animus quoque hominis naturaliter diſpoſitus eſt ad voluptatem ex propria felicitate percipiendum (§. *cit.*), conſequenter *amor proprius illicitus non eſt* (§. 49. 37.): *ratione tamen dirigendus, ne felicitas apparens cum vera confundatur* (§. 43. 118.).

CAPUT V.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA ALIOS ET JURIBUS CUM IIS CONNEXIS.

§. 133.

De identitate officiorum erga ſe & erga alios.

Cum homo non modo ſe ſtatumque ſuum perficere, ac imperfectionem præcavere (§. 43.), verum etiam ad alterius ac ſtatus ejusdem perfectionem conferre debeat, quantum poteſt, ſalva obligatione erga ſeipſum, quando alter ipſius ope indiget, & ab his abſti-

abſtinere, quibus alter vel ejus ſtatus imperfectior redditur (§. 44.); *homo quilibet alteri cuicunque debet, quod ſibi, quatenus alter id non habet in poteſtate ſua, ipſe autem citra neglectum officii erga ſeipſum hoc alteri præſtare poteſt*, conſequenter *officia hominis erga alios eadem ſunt, quæ officia erga ſeipſum* (§. 57.). Hæc itaque ad alios applicanda.

§. 134.

Quilibet igitur *homo alium quemcunque ope ipſius indigentem juvare debet, ut conſequatur animi, corporis ac fortunæ bona, quantum in poteſtate ſua eſt* (§. 104.), & per conſequens *cavere, ne alii incidant in mala animi, corporis ac fortunæ* (§. 51.). Cumque lex naturæ auxilium non reſtringat ad certa bona; *auxilium noſtrum alteri denegare non debemus in conſequendis bonis majoribus, quam quibus ipſi fruimur*: quod cum fieri non poſſet, ſi alteri videremus ſua bona; *nemini invidendum bonum, etiam quo ipſi caremus.* Pugnat invidia cum ipſa hominis natura (§. 39-44.). ***Auxilium in acquirendis bonis præſtandum aliis.***

§. 135.

§. 135.

Num obligatio naturalis tollatur factis contrariis aliorum.

Quoniam obligatio naturalis prorſus ſit immutabilis (§. 38.); *ſi alter obligationi naturali non ſatisfacit, non ideo tibi permiſſum eſt, eidem non ſatisfacere*, conſequenter *nec transgreſſionem legis naturæ exemplo aliorum tueri licet, nec officium erga alium ideo deſinit deberi, quia ipſe officio erga te deeſt*: quod cum intelligatur etiam de iis, quæ lege naturæ prohibentur; *officia humanitatis adhuc debentur etiam nos lædentibus* (§. 88.).

§. 136.

De amore & dilectione aliorum.

Cum officia hominis erga alios eadem ſint, quæ erga ſeipſum (§. 133.); *unicuilibet conſtans & perpetua eſſe debet voluntas, perfectionem ac felicitatem hominis alterius cujuscunque promovendi* (§. 43. 118.), conſequenter cum in hac voluntate *Dilectio alterius*, in diſpoſitione autem animi ad percipiendam voluptatem ex alterius felicitate *Amor* conſiſtat (§. 132.), *quilibet alterum diligere atque amare debet, tanquam ſeipſum* (§. *cit.*), *non vero odio proſequi* (§. 51.).

§. 137.

Amicus,

Qui nos diligit, *Amicus*; qui odio pro-

prosequitur, *Inimicus* dicitur. Quamobrem *omnibus amici esse debemus, nemini inimici* (§. 136.), cumque officium erga alios non desinat deberi, quia ipsi desunt officio erga nos (§. 135.); *inimicos etiam amare ac diligere debemus tanquam nosmetipsos* (§. 136.), *non vero odisse.* *inimicus & amor inimicorum.* Matth. V, 4

§. 138.

Quoniam homines omnes sibi invicem amici esse debent (§. 137.); *cuilibet opera danda est, ne alios sibi reddat inimicos, sed ut aliorum amicitiam acquiret & conservet:* cum tamen ab obligatione naturali nemo liberari possit (§. 42.); *amicitiæ causa non faciendum, quod legi naturæ contrariatur.* *De studio amicitiæ.*

§. 139.

Perfectio animæ in virtutibus intellectualibus & moralibus consistit (§. 106. 125.). *In his* igitur *propagandis seduli debemus esse, atque alios exemplo nostro virtutes intellectuales & morales docere & ad earum studium incitare* (§. 136.), consequenter *exempla bona,* quibus scilicet alios virtutes istas docemus & ad earum studium incitamus, *aliis præbenda, mala vero,* quibus alios vitia *De exemplo aliis præbendo.*

vitia doces & ad ea perpetranda incitas, *non prodenda* (§. 51.), *nemo ad vitia ſeducendus* (§. cit.).

§. 140.

De non impedienda perfectione alterius.

Cum eas actiones omittere debeamus, quibus alter vel ſtatus ejus imperfectior redditur, & ad perfectionem alterius conferre, quantum poſſumus (§. 44.); *nemo impedire debet, quo minus alter perfectionem aliquam conſequatur, nec impedire tertium, quo minus in hoc eum juvet.* Intelligitur hoc de quibusvis animi, corporis ac fortunæ bonis (§. 134.). Patet etiam, *neminem impedire debere, quo minus ab altero mala animi, corporis ac fortunæ arceantur, vel idem ab iis liberetur; multo minus ſive per ſe alios, aliquo bono eundem privare* (§. cit.).

§. 141.

De cura corporis alieni.

Quia eadem ſunt officia hominis erga alios, quæ erga ſeipſum (§. 133.); *nemo integritatem membrorum corporis alieni quomodocunque vitiare, aut membro quodam, vel ſaltem uſu ejus alterum privare, nec ſanitati ejus ullo modo nocere, ſed vitam & corpus alterius, quantum poteſt, conſervare, & ut a morbis*

bis ægrotus convaleſcat curare debet (§. 112. 113.), conſequenter *nemo alterum vita privare, ſeu occidere debet* (§. 51.), ut ideo *homicidium dolo vel culpa commiſſum* (§. 17.), quorum illud *doloſum*, hoc *culpoſum* dicitur, *ſit naturaliter illicitum* (§. 49.). Et quia nemini jus eſt ſeipſum vita privandi (§. 112.); *nec volentem occidere licet.*

§. 142.

De ſtudio famæ alienæ. Ex eadem ratione patet, *nos* quoque *operam dare debere, ut alii fama merita fruantur* (§. 126. 133.). Quamobrem cum fama bona ſit communis hominum ſermo de perfectione, conſequenter de factis & non-factis aliorum ſermo (§. 126.); *non modo unumquemque tanti exiſtimare debemus, quanti meretur, verum etiam honorem meritum exhibere, meritamque laudem tribuere* (§. 125.), conſequenter *famæ, exiſtimationi, honori ac laudi aliorum detrahere*, hoc eſt, eam diminuere *non debemus* (§. 51.), *multo minus* eo animo falſa in vulgus ſpargere, hoc eſt, *alios calumniari.*

§. 143.

De injuria ſpe- *Læſio* honoris & famæ alterius quomodo

cialiter dicta. modocunque facta *Injuria specialiter* dicitur, eaque *realis*, quæ fit facto quodam; *verbalis*, quæ verbis. *Nemo* igitur *alterum injuriare debet* (§. 142.)

§. 1. 3. de iniuriis

§. 144.

De jure in injuriantes nobis competente.

Nascitur hinc *jus non patiendi, ut alter nos injuriet* (§. 89.), *natura* ideo *nobis competens*: unde porro eodem modo, quo supra (§. 90. 92. & 93.), infertur, *nobis competere jus famam nostram defendendi & injuriantem puniendi*, consequenter *licitos esse actus, sine quibus fama defendi ac finis pœnæ*, qui est emendatio animi injuriantis & metus incutiendus aliis, quos libido injuriandi incessere poterat (§. 92.), *obtineri nequit.*

§. 145.

De ignominia.

Existimationi opponitur *Ignominia*, quæ est judicium aliorum de nostra imperfectione, consequenter *veram ignominiam non pariunt nisi vitia, atque* propterea *facta, quæ eadem produnt, & defectus virtutum intellectualium* (§. 125.), *quatenus iidem culpæ tribuendi* (§. 17.); *& idem*, quod de his, *de malis corporis & fortunæ valet*. Immo *bona fortunæ ignominiæ sunt, quatenus eorum acquisitio vitiis debetur.*

§. 146.

§. 146.

Contemtus dicitur actus quicunque externus, quo significatur, alterum honore ac laude indignum esse; *Contumeliae* sunt actus externi, quibus alteri ignominia afficiendi animo imperfectiones exprobramus; *Vituperium* denique sermo, quo alteri defectus perfectionis imputamus. Facile autem patet, *neminem esse contemnendum, & omnes contumelias, convicia, vituperium esse injurias specialiter sic dictas*, consequenter *naturaliter illicita* (§. 143.). *De contemtu, contumeliis, conviciis, vituperiis.*

§. 147.

Cum vi libertatis naturalis unicuique permittendum, ut in determinandis actionibus suis suum sequatur judicium, nec is ulli hominum rationem earundem reddere teneatur, quamdiu nil facit, quod est contra jus alterius (§. 78.); *sinistrum de aliorum actionibus judicium verbis aut factis declarare, quamdiu nil fit contra jus tuum, libertati naturali repugnat*, consequenter *ea involvit jus exigendi, ne sinistre alter de te judicet, sive verum sit judicium tuum, sive minus.* *Judicia sinistra de aliis cuinam juri repugnant.*

§. 148.

De infamia. *Infamia* est communis hominum de vitiis alterius opinio, quam supra famam malam diximus (§. 126.). Cum operam dare debeamus, ut fama bona fruamur (§. cit.); *ab infamia nobis cavere debemus*, & quia aliorum quoque fama nobis curæ esse debet (§. 142.), *nemini infamiam adspergere*. Hinc vero porro liquet, *facta*, quæ nimirum vitia produnt, *nonnisi infamare*.

l. 15. §. 27. de iniuriis

§. 149.

De libello famoso. *Libellus famosus* dicitur scriptura, qua alteri facta infamantia imputantur. Cum ejus autor, sive lateat, sive nomen suum profiteatur, infamiam alteri adspergat; *libellum famosum conscribere naturaliter illicitum* (§. 148.).

§. 150.

De tuenda fama aliena. Quoniam *aliorum fama* nobis curæ esse debet (§. 142.); ea *adversus calumniatores & obtrectatores defendenda, quantum in potestate est*. Differunt autem obtrectatores a calumniatoribus. Sicuti enim *calumniatores* falsa in vulgus

gus ſpargunt, infamandi animo; ita *Obtrectatores* laudi alienæ adverſa.

§. 151.

De jure defendendi alios & ipſos juvandi in puniendo.

Competit homini jus non patiendi, ut quis ipſum lædat (§. 89.), ac ideo adverſus læſionem intentatam ſe defendendi (§. 90.), & eum, qui actu læſit, puniendi (§. 93.). Quoniam igitur aliis debemus, quod nobismetipſis (§. 133.), jura autem nobis natura dadata ſunt ad ſatisfaciendum obligationi (§. 46.); ideo *nobis* quoque *competit jus non patiendi, ut alius lædatur ab alio, eumque adverſus læſionem intentatam defendendi, & lædentem puniendi, ſi auxilio noſtro indiget.*

§. 152.

De auxilio belli.

In defenſione ſui, pœnæ exactione & violenta juris proſecutione ad conſequendum id, quod nobis perfecte debetur ab altero, quæ defenſioni aſſimilatur (§. 30. 88.), bellum conſiſtit (§. 98.). *Alterum* igitur, *cui jus belli eſt, in bello juvare, ſi auxilio noſtro indiget, naturaliter licitum.*

§. 153.

De reatu & demerito.

Quoniam nobis competit jus eum, *qui actu læsit*, puniendi (§. 93.); *is ad pœnam patiendam obligatur.* Atque in hac obligatione *Reatus* consistit, sicuti subtilius ab eo distingui potest *Meritum pœnæ*, sive *Demeritum*, ut accipiatur pro ea qualitate facti, ex qua læso nascitur jus puniendi lædentem, cui respondet in hoc obligatio pœnam patiendi, seu quæ istud pœna dignum efficit, quamvis communiter ab eo non distinguatur.

§. 154.

De offensa.

Offensa dicitur actio, sive positiva, sive privativa, ex qua alter molestiam animi jure percipit: quæ cum felicitati repugnet (§. 118.), quam promovere etiam quoad alios tenemur (§, 136.); *neminem offendere debemus.* Quoniam vero nemo ab obligatione naturali liberari potest (§. 100.), & ut quisque jure suo utatur permittendum (§. 66.); *Offensa nulla est, sed perperam pro tali habetur, si quis facit, quæ facere obligatur, aut jure facere potest.* Sicuti autem offensa ejus est, qui offendit: ita *Offensio* ejus, qui offenditur.

§. 155.

§. 155.

Quoniam neminem odisse debemus, (§. 136.), consequenter cum *Odium* consistat in dispositione animi ex alterius infelicitate, seu molestia animi atque tristitia (§. 118.), voluptatem percipiendi, nemini molestiam animi creare, nec obligatio hæc tollitur facto alterius eidem contrario (§. 135.); *molestiam animi alterius appetere non debemus*, *qui nos offendit*, *nec* per consequens *male alteri facere*, *quia nobis male fecit*, seu *malum malo referre*. Dicuntur *Vindicta* omnes actus, quibus malum malo refertur: & *cupiditas vindictæ*, qua molestiam animi alterius, qui nos offendit, appetimus. Quamobrem patet, *vindictam esse illicitam*, & *nos habere debere animum ab omni vindictæ cupidine alienum*, consequenter *eundem* quoque *abesse debere ab exercitio juris puniendi & se defendendi*, nobis competentis (§. 90. 93.). Atque propterea *in puniendo & defensione non intenditur malum alterius*, *sed in casu priori securitas in posterum*, *in posteriori propulsatio læsionis imminentis* (§. 90. 91. & seqq.). *De vindicta.*

§. 156.

De talione.

Talio vocatur par vindicta, qua scilicet quis tantum mali patitur, quantum fecit. Quamobrem cum vindicta omnis illicita sit (§. 155.): *talio* quoque *illicita est*, consequenter *Jus talionis naturale nullum* (§. 49.), ac propterea *in exercitio juris puniendi talio non attendenda*, neque ideo *juris naturalis est*, *ut*, *qui alterum occidit*, *morte puniatur.*

§. 157.

De offensæ & pœnæ condonatione.

Ignoscere, seu *offensam condonare* dicitur, qui cupiditatem vindictæ deponit. Quoniam itaque animus ab omni vindictæ cupidine alienus esse debet (§. 155.); *ad ignoscendum faciles esse debemus.* Ast quia pœna exigi debet absque vindictæ cupiditate (§. *cit.*); *condonatio offensæ non continet condonationem pœnæ*, seu omissionem exercitii juris puniendi. Ea ipsa vero de causa *pœnæ duriori locus non est*, *si leniori finis ejus obtineri potest*, *immo non exigenda*, *si sine ea idem finis obtinetur.*

§. 158.

Similiter quia *in defensione* intenditur propulsatio læsionis imminentis, non vero malum alterius (§. 155.), & ex circumstantiis obviis determinandi sunt actus liciti ad læsionem avertendam (§. 90.); *si læsio imminens lenioribus mediis propulsari potest, non utendum durioribus.* *De moderamine defensionis.*

§. 159.

Et cum bellum geratur juris sui tuendi ac consequendi causa (§. 98.); *in bello tanta vi uti licet, quanta ad consecutionem juris sui & superandam resistentiam vi injustæ factam requiritur.* Et hoc modo actus in bello liciti ab illicitis distinguuntur. *De vi licita in bello.*

CAPUT VI.
DE
OFFICIIS HOMINIS ERGA DEUM.

§. 160.

Constat actiones naturales non solum hominis, verum etiam rerum ceterarum in universo ita determinari, ut, qualia Deo conveniant attributa, inde colligi possit. Quamobrem cum actiones liberæ per eandem rationem *De actionibus liberis per motiva ab attributis divinis de-*

 fina-

sumta determinandis. finalem determinandæ sint (§. 43.), actiones autem hæ dependeant a voluntate hominis, per motiva determinandæ (§. 1. & cit.); *homo actiones liberas omnes determinare debet per motiva ab attributis divinis desumta.* Atque hinc intelligitur, quomodo perfectio hominis tandem consistat in aptitudine repræsentandi Deum (§. 112.), & per consequens *naturalis obligatio dirigendi actiones liberas ad perfectionem nostram continet obligationem determinandi easdem per motiva ab attributis divinis desumta* (§. 43.).

§. 161.

De illustratione gloriæ divinæ. Qui actiones liberas per motiva ab attributis divinis desumta determinat, eas ad gloriam divinam dirigit (§. 127. 125.). Quamobrem cum directio actionum ad gloriam Dei *Illustratio gloriæ divinæ* dicatur; *homo gloriam Dei illustrare obligatur* (§. 160.).

§. 162.

De directione actionum ad perfectionem mundi. Cumque eodem modo intelligatur, perfectionem hujus universi consistere in aptitudine repræsentandi Deum; qui actiones suas dirigit ad gloriam Dei, easdem dirigit ad perfectionem totius

totius universi (§. 160. 161.). *Homo igitur natura obligatur actiones suas dirigere ad perfectionem totius universi.* Atque hinc patet, *actiones legi naturæ adversas sive peccata deformare mundum*, *opus Dei.*

§. 163.

De agnitione Dei. Quoniam *homo* actiones suas per motiva ab attributis divinis desumta determinare debet (§. 160); *Deum agnoscere obligatur*, consequenter cum ex contemplatione universi & eorum, quæ in eo sunt ac fiunt, attributa divina nobis innotescant, *universum hoc & ea, quæ in eo sunt atque fiunt, contemplari, tum etiam se ipsum & actiones naturales suas, ac inde mens in Deum ascendere debet.* Rom. 1, 20. Et propterea *homini jus est ad omnes actus, quibus rerum naturalium cognitio promovetur, & ad usum omnium rerum eidem inservientium.* Cumque aliis ad eadem obligemur, quæ nobis debemus (§. 133.); *alios* quoque *ad agnitionem Dei perducere debemus, quantum in potestate est.*

§. 164.

De generali voluntatis Vult Deus, ut actiones nostras ad legem naturæ componamus (§. 41.). Quam-

& noluntatis determinatione. Quamobrem eas juxta eandem dirigere debemus, quia Deus vult, ut hoc fiat (§. 160.). *Voluntas* igitur *hominis generaliter determinanda ad agendum, quod Deus vult, & noluntas ad non agendum, quod Deus non vult, ac ideo constans & perpetua esse debet*, hoc est, prorsus immota in casu dato & eadem, in omni.

§. 165.

De obscuratione gloriæ divinæ. *Obscuratio gloriæ divinæ* est declaratio verbis factisque facta, quod quis Deum habeat pro ente imperfectionibus instructo, quæ summæ ejus perfectioni repugnant. Quamobrem cum gloriam Dei illustrare, adeoque tam verbis, quam factis declarare debeamus, nos ipsum habere pro tali ente, quale est, summe scilicet perfecto (§. 161.); *obscuratio gloriæ divinæ lege naturæ prohibita* (§. 51.).

§. 166.

De Blasphemia. *Blasphemia* dicitur dictum vel factum quodcunque in contemtum vel contumeliam Dei vergens. Quamobrem cum eadem gloria Dei maxime obscuretur (§. 165.); *blasphemiæ lege natu-*

naturali omnium maxime prohibitæ (§. *cit.*). Quoniam homini jus nullum competit in actiones alterius, quamdiu nil facit, quod est contra jus perfectum ipsius (§. 76. 78.), consequenter jus puniendi nonnisi in eum, qui ipsum læsit (§. 93.); *homini natura non competit jus puniendi obscurationem gloriæ divinæ atque blasphemias*: quatenus tamen curæ habere debet, ut alios ad agnitionem Dei perducat, quantum in potestate est (§. 163.); *eidem competit jus ad eos actus, quibus gloriam Dei obscurantem, vel ipsum blasphemantem peccati sui convincere potest*.

§. 167.

De pietate, impietate & hypocrisi.

Pietas dicitur virtus, actiones suas per motiva ab attributis divinis desumta determinandi, seu gloriam divinam illustrandi. Quamobrem *pii esse debemus* (§. 160. 161.). Ex adverso *Impietas* est vitium, quo quis actiones suas ad voluntatem Dei componere non vult. Ea igitur *lege naturali prohibita* (§. 164. 51.). *Hypocrisis* est pietatis simulatio, quomodo scilicet actus saltem externi, præsertim verba, vox,

vul-

vultus ac geſtus pietatis ſpeciem præ ſe ferunt, a qua tamen actus interni procul abſunt. Quamobrem cum lex naturæ requirat conſenſum actionum internarum & externarum (§. 52.); *hypocriſis lege naturæ prohibita* (§. 51.).

§. 168.

De obedientia Deo præſtanda.

L 53 § fin: de re judicata

Actorum cap: V v. 29.

Obedientia eſt promptitudo faciendi, quod vult alius, & non faciendi, quod non vult. Quamobrem cum voluntas noſtra generaliter determinanda ſit ad agendum, quod Deus vult, & noluntas ad non agendum, quod non vult (§. 164.); *Deo obedire obligamur*, conſequenter *Inobedientia*, obedientiæ oppoſita, *lege naturali prohibita* (§. 51.).

§. 169.

De amore Dei.

Deus ſumme perfectus eſt. Quamobrem cum voluptate perfundatur animus, quando nobis conſcii ſumus perfectionis alicujus, quod a poſteriori conſtat; ſumma Dei perfectio agnita ſumma quoque voluptate perfundit animum. Diſpoſitio animi ex ſumma Dei perfectione voluptatem maximam percipiendi *Amor Dei* dicitur; & *Amor*

com-

complacentiæ audit, qui in ſola voluptatis perceptione ex alterius perfectione terminatur. Quoniam itaque Deum agnoſcere obligamur (§. 163.), ad perfectionem vero ejus ſummam nihil conferre valeamus, ſumma enim alias nondum eſſet; *Deum ſuper omnia amare debemus, amorque Dei amor complacentiæ eſt.*

§. 170.

De Deo amando, quia bonus in nos.

Deus ſumme bonus eſt, & quicquid boni vel natura habemus, vel aliunde obtinuimus, Deo acceptum ferendum. Quoniam itaque Deus eſt bonus in nos, ex collatione autem bonorum in nos facta, ſeu beneficiorum agnitione oritur amor benefactoris; *Deus amandus quoque eſt, quia bonus in nos.* Cum *bonitas divina*, quæ in collatione bonorum conſiſtit, ad ſummam Dei perfectionem pertineat; *Deum amare, quia bonus in nos, eſt ejus bonitate ſeu beneficentia delectari*, conſequenter *amor ex contemplatione bonitatis divinæ ortus ſub amore complacentiæ continetur* (§. 169.).

Jacobi I. v. 17. 1 Joh. IV. v. 19.

§. 171.

De timore Dei.

Qui alterum amat, nil facit, quod ipſi diſplicet, ſed facere ſtudet, quod placet,

placet, consequenter non facit, quod ejus voluntati adversum. Ex amore igitur nascitur sollicitudo animi nil faciendi, quod voluntati alterius adversum, quæ *Timor filialis* dicitur, in oppositione ad *Timorem servilem*, si quis metu pœnæ adactus facit, quod vult alter, vel non facit, quod a se fieri non vult. Quamobrem cum *Deum* super omnia amare debeamus (§. 169.); eundem quoque *super omnia timere debemus, timore scilicet filiali.*

L. iv Cod. de patria potestate.

§. 172.

De reverentia erga Deum & laude divina.

Homo bonitatem Dei summam agnoscere, &, quantum potest, alios quoque ad ejus agnitionem perducere debet (§. 163.), atque per eam, tanquam motivum, actiones suas liberas determinare (§. 160.). Quamobrem cum actiones externæ cum internis consentire debeant (§. 52.), nec alios ad agnitionem perfectionis summæ Dei perducere valeamus, nisi actibus externis; *homo verbis ac factis significare debet, se perfectionem Dei summam agnoscere, ac ideo eundem maximi facere:* quæ declaratio cum *Reverentia* dicatur; ad

L. 50. ad S.C. Treb.

ad reverentiam erga Deum obligamur, cumque in his ipsis actibus laus & honor consistat (§. 125.), *eidem debitum honorem atque laudem tribuere.*

§. 173.

Ex theologia naturali constat, Deum providentia sua tantundem in nos boni conferre, & tantumdem mali avertere, quantum salva ipsius sapientia fieri potest, & si qua nobis obveniant mala, ea in bonum finem dirigere. Qui veritatis hujus convictus est, se totum resque suas providentiæ divinæ committit ac dubios omnes eventus, nec propter futura angitur, sed curam omnem abjicit, quomodo in posterum res casuræ. Quoniam itaque homo Deum agnoscere obligatur (§. 163.), & virtus, qua se resque suas omnes providentiæ divinæ committit, *Fiducia in Deo*, qua vero appetitum & aversationem moderatur ex sensu certitudinis de rectitudine actionum divinarum in gubernatione hujus universi tam positivarum, quam privativarum, *Acquiescentia in providentia divina* dicitur; *homo fiduciam in Deo collocare*, seu *eidem confidere*, *ac in pro-* *viden-*

De fiducia in Deo & acquiescentia in providentia divina.

videntia divina acquiescere, consequenter *non diffidere*, & *sorte sua contentus esse*, *quæque ipsi eveniunt mala tranquillo animo ferre debet* (§. 51.).

§. 174.

De celebratione nominis divini. Laus Deo tributa *Celebratio nominis divini* dicitur. Quamobrem *nomen divinum celebrare* (§. 172.), consequenter *attributa divina & opera ejus, & beneficia nobis atque aliis præstita in bonorum collatione, & malorum declinatione, vel eorundem in bonum finem directione nobis exhibita commemorare* (§. 12.), &, *quanti ea faciamus, significare debemus* (§. 172.). Cumque in specie celebratio nominis divini ob beneficia nobis aliisque præstita, cum significatione voluntatis præstandi officia debita, *Gratiarum actio* dicatur, Deumque etiam ob beneficia exhibita amare (§. 170.), ac ideo voluntas nostra determinata esse debeat ad officia debita præstanda (§. 171. 57. 41.); *Deo gratias agere debemus*.

§. 175.

De Oratione. Constat, Deum esse datorem omnis boni, & providentiæ ipsius tribuendum, quod

quod bona præſentia conſerventur, futura veniant & mala depellantur, aut, niſi hoc fiat, in bonum finem dirigantur, quemadmodum jam ante monuimus (§. 170, 173.). Quamobrem cum hæc agnoſcere (§. 163.), & per motiva inde deſumta actiones noſtras determinare debeamus (§. 160.); *a Deo* quoque *petere debemus, ut bona, quæ dedit, conſervet atque in poſterum etiam conferat, mala vero depellat, aut, ſi obveniant, in bonum finem dirigat.* Hæc voluntatis noſtræ ſignificatio cum *Invocatio Numinis*, a nonnullis cum addito *mentalis* dicatur; *Deum invocare debemus.* Et quia actiones externæ cum internis conſentire, nec hæ ab illis abeſſe debent (§. 52.), ſermo autem, quo Deum invocantes eidemque gratias agentes verbis ore prolatis ſignificamus, quæ cogitamus, *Oratio* dicitur; *oratio lege naturali præcepta.* Patet autem, quatuor eſſe orationis ſpecies, quarum una de bonis conſervandis & obtinendis, ſecunda de malis avertendis, vel in bonum finem dirigendis, tertia de gratiis agendis agit, & quarta denique pro aliis hominibus interce-

ditur. Has cum distinguat Apostolus 1. Tim. II. 2. eas ex versione *Castalionis*, castæ Latinitatis autoris, *Supplicationes*, *Preces*, *Gratiarum actiones & Interpellationes* appellare possumus.

§. 176.

De hymnis. Cum *Hymnus* sit carmen in laudem Dei compositum, oratio autem omnis lautem Dei contineat (§. 175. 125.), consequenter orationis & hymnorum eadem sit materia, constet vero, carmina non modo per se aptiora esse ad attentionem excitandam & consequendam, affectus ciendos ac ea, de quibus agunt, memoriæ facilius & tenacius infigenda, verum etiam, cantu accedente, multo adhuc facilius atque certius tam in nobis, quam aliis eadem obtineri; *ad hymnos componendos & canendos natura obligamur.*

§. 177.

Quomodo officia erga Deum præstanda. Omnis actio recta requirit omnium facultatum consentientem usum (§. 16.). Quamobrem cum ad recte agendum obligemur (§. 52.); *officia* quoque *erga Deum præstanda sunt cum consentiente*

tiente usu omnium facultatum, consequenter *actus externi & interni conjungendi.*

§. 178.

Cum *Cultus divinus* sit complexus actionum Dei causa editarum, consequenter in præstatione officiorum erga Deum consistat (§. 57.), ad hanc vero nos obligari, ex hactenus demonstratis appareat; *Deum colere obligamur.* Dicitur autem *cultus internus*, qui actionibus internis, *externus* autem, qui externis absolvitur. Quamobrem cum in præstatione officiorum erga Deum actus externi atque interni a se invicem separandi non sint (§. 177.); *cultus* quoque *internus cum externo conjungendus.* *De cultu divino.*

§. 179.

Quoniam curæ habendum, ut homines quoque alii ad agnitionem Dei (§. 163.) & virtutem (§. 139.), ideoque etiam pietatem perducantur (§. 167.), atque exemplo nostro aliis prodesse debemus (§. 139.); *homines cultus divini causa convenire debent*, consequenter *iisdem jus est determinandi ea, quæ ad conventus istos recte instituendos re-* *De conventibus cultus divini causa instituendis.*

quiruntur (§. 46. 52.). Pertinet huc determinatio temporis, loci & modi eos celebrandi. Quæ vero in iis agenda ſint, ex fine eorundem patet. *Docenda* nimirum *ſunt ea, quæ de Deo, virtutis, præſertim pietatis, cultura & fuga vitiorum ſcitu neceſſaria, orandum & cantandum.*

§. 180.

De ceremoniis ad cultum divinum ſpectantibus.

Ceremoniæ ſunt ſigna eorum, quorum in executione propoſiti alicujus meminiſſe debemus: quæ, *ſi ſimul influant in determinationem actionis committendæ, ceteris præferendæ* (§. 48.). Cum *hominibus* jus ſit determinandi ea, quæ ad conventus cultus divini cauſa recte inſtituendos requiruntur (§. 179.); iisdem quoque *jus eſt ceremonias cultui divino convenientes inſtituendi.*

§. 181.

De idololatria.

Idololatria dicitur cultus divinus omnis exhibitus iis, qui Deus non ſunt. *Idololatriam* igitur *committit, qui officia Deo debita præſtat iis, qui Deus non ſunt*, veluti diis fictis, aut

non enti,

enti, quod Deum eſſe [redacted] opinatur (§. 178.). Quamobrem cum Deum colere debeamus (§. *cit.*), omnes autem noſtræ actiones recte eſſe debeant (§. 52.), atque ad rectitudinem actionis requiratur judicium verum de ejus rectitudine (§. 53.); *idololatria lege naturali prohibita.*

§. 182.

De ſuperſtitione & cultu idololatrico & ſuperſtitioſo.

Superſtitio ſunt actiones, per erroneas de Deo & providentia divina quoad ea, quæ homini bona, vel mala ſunt, opiniones determinatæ. Cum actiones noſtras per motiva ab attributis divinis deſumta determinare obligemur (§. 160.); ex rectitudine actionum patet, ut ante (§. 181.), *ſuperſtitionem lege naturali prohibitam eſſe.* Ex notione autem idololatriæ & ſuperſtitionis intelligitur, quinam *cultus divinus* ſit *idololatricus* & *ſuperſtitioſus.* Cumque tam idololatria, quam ſuperſtitio ſit prohibita; *cultus tam idololatricus, quam ſuperſtitioſus lege naturali prohibitus.*

PARS II.
DE
DOMINIO ET JURIBUS
ATQUE OBLIGATIONIBUS INDE NASCENTIBUS.

CAPUT I.
DE
COMMUNIONE PRIMÆVA ET ORIGINE DOMINII.

§. 183.

De jure ad usum rerum necessarium.

U*sus rerum necessarius* dicitur, qui ad hoc requiritur, ut obligationi nostræ naturali satisfaciamus. Quamobrem cum lex naturæ det nobis jus ad ea, sine quibus obligationi nostræ naturali satisfacere non possumus (§. 46.); *natura hominibus in universum omnibus competit jus ad usum rerum quarumcunque necessarium, scilicet tam necessariarum, quam utilium & voluptuariarum* (§. 114. & seqq. & 119. 121.), adeoque *is licitus est* (§. 49.).

§. 184.

De jure res destruendi.

Quodsi ergo *res quædam usu consumuntur, eas destruere licet*, veluti occidere animalia, quorum carne vescimur, & quorum pelle utimur ad vestitum.

§. 185.

§. 185.

Quoniam homini natura competit jus ad usum rerum necessarium (§. 183.); *si quæ res non omni tempore haberi, aut saltem eo, quo iisdem indiges, non æque commode haberi possunt, eas in futurum usum colligere & asservare licet.* Cumque nemo usum istum impedire debeat (§. 50. 183.); *res usus necessarii causa apprehensas, aut in futurum asservatas nemo alteri eripere debet, & in eo stare tenetur judicio apprehendentis, aut asservantis* (§. 78.).

De rebus in futurum usum asservandis.

§. 186.

Cum hominum natura æqualium eadem sint jura (§. 70.); *jus quoque ad usum rerum naturalium necessarium omnibus hominibus idem competit* (§. 183.). Quamobrem cum *Jus commune* sit, quod idem pluribus simul competit (§. 101.), & ideo *Res communis*, ad quam pluribus idem jus competit; *natura hominibus competit jus commune ad usum rerum naturalium necessarium, & res omnes natura communes sunt.* Vocatur autem Jus istud commune ad usum rerum quarumcunque naturalium necessarium *Communio*

De communione primæva.

§. 6. J. de rer. divisione

§. 12. J. eod.

primæva, ſicut ſimpliciter *Communio*, *vel Communio rerum* jus idem in easdem res pluribus competens. Atque ex dictis patet, *juris naturæ eſſe communionem primævam*, non vero eandem temere fingi.

§. 187.

De jure in rem, quæ uſu non conſumitur. Quia *in communione primæva* idem omni homini jus competit ad uſum rei naturalis neceſſarium (§. 186.); *ſi qua res uſu non conſumitur, finito uſu, alius quicunque eadem uti poteſt, nec, qui ante uſus fuerat, id prohibere poteſt* (§. 50.). Et ex eadem ratione, *ſi plures ejusdem rei uſum ſimul participare poſſunt, participatio promiſcue volentibus permittenda.*

§. 188.

De rebus induſtrialibus & artificialibus in communione primæva. Homines operam dare debent, ne deſit ſufficiens rerum neceſſariarum, utilium & voluptuariarum tam induſtrialium, quam artificialium copia (§. 121. 123.), ac ideo unusquisque eum laborem ſeligere debet, cui ſe parem ſentit (§. 124.), & naturaliter conjunctis viribus ſe ſtatumque ſuum perficere obligantur (§. 44.). *In multiplicandis* igitur *rebus induſtrialibus & artificialibus*,

bus, stante communione primæva, intendi nequit nisi communis omnium usus, & per consequens *res non minus industriales & artificiales, quam naturales communes esse debent* (§. 186.). *Si quis* tamen *res quasdam industriales vel artificiales in usum suum paravit, iisdem uti nequit alius, nisi quatenus usum rei, quæ usu non consumitur, vacantem habere, vel ejusdem rei usum simul participare potest alius* (§. 187.).

§. 189.

Quoniam *in communione primæva* unicuique competit jus ad usum rerum necessarium (§. 183.); *homini* quoque *cuivis competit jus ad omnes actus, sine quibus usus necessarius obtineri nequit,* veluti *jus capiendi feras, pisces, volucres, decerpendi poma, cædendi ligna* & ita porro. *Jus commune ad actus.*

§. 190.

Quia omni homini natura idem jus est ad usum necessarium rerum naturalium (§. 186.); *in communione primæva homini cuilibet commorari ac habitare ubivis terrarum licet, ubi libuerit & quamdiu libuerit, atque transire per loca quæcunque, prout ipsi opus visumque* *Jus commorandi, habitandi & transeundi.*

 fue-

fuerit, ac inde petere res, quibus indiget. Immo cum etiam res artificiales sint communes (§. 188.); *si alicubi fuerint ædes inhabitatæ, aut quæ plures habitatores recipiunt, in iis habitandi cuilibet jus est, quamdiu visum fuerit.*

§. 191.

De jure proprio & communione negativa.

Juri communi opponitur *Jus proprium*, quod uni cuidam, vel pluribus conjunctim, exclusis ceteris omnibus, competit (§. 101.). Cum *natura* res omnes sint communes (§. 186.); *nemini jus proprium in rem quandam competit. Res*, in quas alicui jus proprium competit, dicuntur *singulares, vel singulorum*; in quas nemini competit, *res nullius*. Atque ideo patet, *natura non dari res singulorum.* Nimirum in natura hominis nulla datur ratio, cur hæc res ipsius potius, quam alterius esse debeat. Dicitur autem *communio negativa*, in qua res communes sunt nullius; *atque talis est primæva* (§. 186.).

§. 192.

De usu proprio rei.

Cum res usus necessarii causa apprehensas, aut in usum futurum asservatas nemini eripere liceat (§. 185.), qui vero res apprehendit, seu potentiæ utendi sub-

ſubjicit, jure ſuo utitur (§. 183.); *uſus rei, qui antea promiſcue patebat omnibus, efficitur ei proprius, qui animo utendi eandem potentiæ utendi ſubjicit*, ſeu in eum ſtatum redigit, quo eadem uti poteſt. Idem intelligitur de re, quæ uſu non conſumitur, quamdiu durat uſus (§. 187.). Atque hoc modo hominibus inſinuata eſt notio juris proprii in re.

§. 193.

De turbatore communionis primævæ.

Turbator communionis primævæ dicitur, qui vi impedire conatur ſive per ſe, ſive per alios, quo minus quis rebus uti poſſit, prouti ipſi opus fuerit. Quoniam turbator impedit uſum juris alteri competentis (§. 183.); eidem reſiſtendi jus (§. 30.), conſequenter *ſe ac uſum rei aduerſus turbatorem communionis primævæ defendendi competit unicuique* (§. 90.). Cumque jus commune ad uſum rei ſit jus perfectum (§. 183. 81.), ejus adeo violatio injuria (§. 87.); *in communione primæva juſta belli cauſa eſt, ſi quis alterum ab uſu rei vi depellere, aut apprehenſam eidem eripere conatur* (§. 98.).

§. 194.

De communione primæva ſublata.

Multiplicatio genere humano & ſublata ſimplicitate vitæ, in qua tantummodo

modo vitæ necessitati prospicitur, nulla vero propemodum est de commoditate ac jucunditate cogitatio, rebus industrialibus & artificialibus opus est (§. 121.), quæ cum labori hominum debeantur (§. 124.), omnium tamen communes in communione primæva esse debeant (§. 188.), haud difficulter intelligitur, communionem primævam subsistere non posse, nisi homines officia erga seipsos atque alios ad amussim adimpleant, per ea, quæ de iis demonstrata sunt. Quoniam igitur nemo diffiteri ausit, hoc de hominibus universis sperandum non esse, ubi vero a communione primæva receditur, res, quæ sunt nullius, fieri debent singulorum (§. 191.), & jus naturæ perfectivum nos obligat ad id, quod melius est, alteri præferendum (§. 48.); *non invito jure naturæ communio primæva sublata & res singulorum factæ, seu juri proprio subjectæ.*

§. 195.

De dominio & ejus effectu. Quoniam jus proprium habens eodem excludit ceteros omnes (§. 191.), vi autem libertatis naturalis unicuique permittendum, ut in determinandis actio-

actionibus suis suum sequatur judicium, quamdiu nil facit, ad quod non faciendum tibi perfecte obligatus (§. 78.); *si res juri proprio subjiciuntur, unicuique, cujus juri subjectæ sunt, competit jus pro arbitrio suo de iisdem disponendi.* Atque hoc jus proprium de re pro arbitrio suo disponendi, prouti scilicet sibi visum fuerit, *Dominium* appellatur; is vero, qui dominium in re habet, *Dominus.* Unde patet *dominum omni jure, quod vi dominii in re ipsi competit, ceteros omnes excludere, nec absque ejus voluntate dominium in alium abire posse* (§. 100.), adeoque *ipsi competere jus interdicendi cuivis omni actu vi dominii licito, nec patiendi, ut quis alius se invito aliquem sibi arroget.* Unde porro sequitur, *omnes actus dominio alterius contrarios esse illicitos* (§. 49.). Quemadmodum vero *Suum* in genere dicitur, in quo quis jus proprium habet; ita inde patet, *Res suas* esse, in quibus quis dominium habet.

§. 196.

Communio positiva.

Quodsi pluribus conjunctim in re indivisa pro rata dominium competit, *Communio positiva* vocatur. Quamobrem

rem cum dominus sit persona moralis (§. 195. 96.); *in communione positiva plures conjunctim spectantur tanquam una persona, & de ipsis conjunctim valent, quæ de domino prædicantur.*

§. 197.

De communione mixta. Datur vero etiam *Communio mixta*, ex negativa scilicet & positiva, in qua res sunt in dominio *Universitatis*, hoc est, multitudinis hominum certo fine consociatorum, omnibus tamen nonnisi usus earundem indifferenter competit, prouti scilicet unicuique opus fuerit, qualis est monachorum. *Qui* igitur *sunt in communione mixta dominio universitatis excludunt omnes, qui sunt extra universitatem, respectu autem singulorum res sunt nullius, quoad usum tamen omnium communes. Consociari* autem hic dicuntur, qui in eundem finem conjunctim persequendum consentiunt.

§. 198.

De juribus in dominio contentis & Cum domino de re pro lubitu disponere liceat (§. 195.), disponi autem possit de re ipsa, seu substantia ejus, de usu ejusdem & denique de fructu, quod

quod per se patet; dominium involvit jus triplex, nimirum jus disponendi de substantia rei, jus disponendi de usu rei & jus disponendi de fructu rei; quorum illud *Proprietas*, istud *Jus utendi*, hoc denique *Jus fruendi* dicitur. Jus utendi & fruendi conjunctim vocatur *Jus utendifruendi*. Quodsi dominium nullo jure in eodem contento sit deminutum, *dominium plenum*; si aliquo jure deminutum, *minus plenum* appellatur. Qui proprietatem habet, *Proprietarius* audit: cumque res ipsius maneat propria, etiamsi usum, vel fructum habeat alius; *Dominus* quoque adhuc appellatur. *Fructus* autem dicitur, quæ ex re altera provenit, veluti poma sunt fructus arboris, vituli vaccarum. *quid sit fructus rei.*

§. 199.

Res aliena dicitur, quæ non in nostro, sed alterius dominio est. *Nemo igitur de rei alienæ substantia, usu ac fructu disponere pro lubitu potest* (§. 195. 198.). Quoniam vero perinde est, sive quid per nos, sive per alium faciamus; *consensu domini de re aliena disponere li-* *De re aliena.*

cet (§. 195.). Et quia dominus pro suo arbitrio de re sua disponere potest (§. *cit.*); *actus* quoque *ad dominii exercitium spectantes aliis permittere potest.*

§. 200.

De possessione. Detentio rei tanquam suæ, sive quis eam suam esse putet, sive saltem suam esse & ab aliis pro tali haberi velit, *Possessio* dicitur; & qui rem eo animo (qui vulgo animus rem sibi habendi vocatur) detinet, *Possessor.* Quamobrem cum *Res in potestate nostra* esse dicatur, si nobis est potentia physica de ea disponendi pro arbitrio nostro; *possessione res in potestate nostra constituitur*, ac per consequens *sine possessione dominium exerceri nequit* (§. 195.). Unde porro liquet, *domino competere jus rem possidendi.* Patet etiam ex ipsa definitione, *eum non possidere, qui rem detinet tanquam alienam, vel etiam tanquam rem nullius.*

§. 201.

De possessore bonæ & malæ fidei. Quodsi possessor putet rem esse suam, *possessor bonæ fidei audit*; consequenter, *si rem alienam possidet, eam alienam esse*

eſſe ignorat: ſi norit rem eſſe alienam, conſequenter ſe non eſſe dominum (§. 199.), pro quo tamen haberi vult, *Poſſeſſor malæ fidei* vocatur. Atque ideo patet, *poſſeſſorem bonæ fidei fieri poſſeſſorem malæ fidei, quam primum ſcit rem a ſe poſſeſſam eſſe alienam.* Et quia ius poſſidendi ſoli domino competit (§. 200.); *poſſeſſor tam bonæ, quam malæ fidei nullo jure poſſidet*, cumque de re poſſeſſa pro lubitu diſponere nequeat (§. 199.), *omnes actus ad exercitium dominii ſpectantes illiciti ſunt* (§. 195.), *iisdemque injuria committitur* (§. 87.), *poſſeſſori tamen bonæ fidei non imputanda ob ignorantiam invincibilem* (§. 34.).

L. 25. §. 7. de hered. petitione

§. 202.

De uſu & abuſu dominii.

Rectus juris uſus is eſt, quem officia exigunt, iis contrarius abuſus (§. 66.). Quamobrem quoque *dominus re ſua aliter uti non debet, quam officia exigunt, abuſus autem naturaliter illicitus, a te tamen permittendus*, conſequenter *non impediendus, quamdiu nil fit contra jus tuum* (§. 78.).

§. 203.

De rei derelictione.

Res derelinqui dicitur, si dominus nude nolit, eam amplius esse suam, scilicet ut actus voluntatis nil amplius contineat, quam quod res sua non esse debeat. Unde patet, *rem derelinquentem desinere esse dominum* (§. 195. 198.), & per consequens *rem derelictam fieri nullius* (§. 191.), *quamdiu* vero *dominus non habet animum, rem suam derelinquendi, eum dominum manere.*

§. 204.

De jactatione rei suæ.

Rem vero *suam jactare* dicitur, qui nullo urgente officio, nec necessitate ulla, sine ulla utilitate eam non vult esse suam. Quoniam constat homines, nisi rationis usu destituantur, rerum suarum esse amantes, nec absque ulla urgente ratione, quod suum est, alterius esse velle; in casu dubio *nemo suum jactare præsumitur.*

[25: de probationibus

§. 205.

De possessione amissa.

Quoniam amissa possessione, res potestati domini saltem subducitur, ut dominium exercere nequeat (§. 200.), non vero ideo dominus non vult rem

suam

ſuam amplius non eſſe; *poſſeſſione amiſſa, non amittitur dominium, ſed ſolo animo retinetur* (§. 203.), conſequenter etiam *jus poſſidendi* (§. 200.). L. 12. §. 1. de A. v. l. amitt. r. p.

§. 206.

De dominio rerum incorporalium.

Cum non minus de rebus incorporalibus, veluti juribus nobis competentibus, pro arbitrio diſponere poſſimus, e. gr. de jure venandi & aucupandi; *res* etiam *incorporales in dominio eſſe poſſunt, eidemque* ideo *ſubjici* (§. 195.). Ea de cauſa perinde ac res corporales dicuntur noſtræ, ac de iis eadem valent, quæ vi dominii de rebus corporalibus obtinent.

§. 207.

De bonis & patrimonio.

Res, quæ ſunt in dominio, univerſim ſpectatæ, nullo attento earum diſcrimine, dicuntur *Bona.* Unde *ad bona noſtra referendæ ſunt res incorporales, ſive jura noſtra* (§. 206.) & *ea etiam, quæ tibi ab aliis debentur, non vero res alienæ, quæ ſunt in numero rerum tuarum, nec, ſi ære alieno labores, bona intelliguntur, niſi ære alieno ſubducto.* Ipſa autem bonorum univerſitas *Patrimo-* L. 49. de V. S. L. 39. §. 1. de V. S.

nium appellatur, idque *amplum*, vel *tenue*, prouti multa, vel pauca bona continet.

§. 208.

De patrimonii curæ.

Patrimonium utique ad ſtatum hominis externum ſpectat (§. 8. 207.). Quamobrem cum ſtatum quoque noſtrum externum perficere debeamus, quantum in poteſtate eſt (§. 43.); *ad patrimonium conſervandum, &, quantum in poteſtate eſt, amplificandum obligamur.* Quoniam itaque *patrimonium ſuum dilapidare* dicitur, qui abuſu idem minuit; *nemo patrimonium ſuum,* conſequenter *bona ſua dilapidare debet* (§. 207.). Immo inde etiam colligitur, *qui amplum patrimonium habet, ei non eſſe prorſus otiandum.* Tenet etiam ipſum naturalis obligatio, quæ neceſſitatem laborandi omnibus imponit, nulli otiandi libertatem concedit (§. 124.): id quod etiam ex illius immutabilitate liquet (§. 38. 42.). Cum conſervationi patrimonii repugnet cum derelictio (§. 203.), tum jactatio rei ſuæ (§. 204.); *tam jactatio, quam temeraria derelictio rei ſuæ legi naturæ minime convenit.*

CAPUT

CAPUT II.

DE MODO ORIGINARIO ACQUIRENDI RERUM DOMINIUM.

§. 209.

Natura unicuique competit jus ad usum rerum necessarium (§. 183. 188.), & usus earum, qui antea erat communis, efficitur ei proprius, qui utendi animo easdem potentiæ utendi subjicit (§. 192.). Quando itaque communio primæva tollitur (§. 194.), jus apprehendendi res usus gratia transit in jus easdem dominio suo subjiciendi; ac ideo *natura rem nullius dominio suo subjicere potest*, *qui eadem indiget*, consequenter cum de indigentia standum sit subjicientis judicio (§. 78.), *qui potest ac voluerit*. *De jure res nullius dominio subjiciendi.*

§. 210.

Factum, quo quis declarat, rem nullius suam esse debere, & eam in hunc statum redigit, ut sua esse possit, *occupatio* dicitur. Unde patet, *natura jus occupandi competere promiscue unicuique*, seu *esse jus hominum omnium com-* *De occupatione & modo acquirendi originario.*

 mune

mune (§.209.), cumque *Modus acquirendi originarius* dicatur, quo acquiritur dominium rerum nullius, *occupationem eſſe modum acquirendi originarium.*

§. 211.

Res mobiles, ſe moventes, immobiles.

Res corporales dicuntur *mobiles*, quæ de loco in locum moveri poſſunt, ſalva ſubſtantia; ac in ſpecie *ſe moventes*, quæ ipſæ ſe de loco in locum movere poſſunt, veluti pecora: aſt *immobiles*, quæ ſalva ſubſtantia de loco in locum moveri nequeunt, veluti omnes fundi, item ædificia.

§. 212.

De occupatione rerum mobilium.

Quodſi ergo *quis*, poſtquam dominia introduci cœperunt, *rem mobilem apprehendit, nec eam iterum abjicit, vel loco ſuo reponit, aut ſi in eum ſtatum redigit, quo eam apprehendere poteſt, eam occupat* (§. 210.), conſequenter *dominium ejus acquirit* (§. cit.).

§. 213.

De occupatione rei immobilis.

Similiter *ſi quis fundum aliquem limitibus circumſcribit, aut uſui cuidam non tranſitorio actu deſtinat, vel funde limi-*

limitato insistens verbis declarat præsentibus aliis, se velle eum esse suum, eundem occupat (§. 210.).

§. 214.

De occupatione rerum incorporalium.

Et cum dominus jure excludat ceteros omnes (§. 195.); *res incorporales*, quæ etiam dominio subjici possunt (§. 206.), *occupantur, si quis iisdem actu utitur, nec patitur, ut utatur alius.* Quamobrem cum jus occupandi res nullius sit res incorporalis (§. 121.); *introductis dominiis jus* quoque *occupandi res nullius occupari potest*, veluti *jus venandi, aucupandi, piscandi in certo districtu.*

L. 7. de divers. et tempor. praescr.

§. 215.

Cuinam res acquiratur ab eo, qui jus occupandi non habet.

Quoniam jus occupandi occupatum est in dominio occupantis (§ 210.), consequenter nemo eodem invito domino uti potest (§. 195.); *si quis in eo loco, in quo jus occupandi occupatum est, rem nullius occupat*, veluti si piscetur in ea fluvii parte, in qua jus piscandi alicui proprium est, *eam non sibi acquirit, sed ei, cujus est jus occupandi, &*, hoc non obstante, *injuriam eidem facit* (§. 87.).

§. 216.

Quando id fiat absque injuria.

Enimvero cum caſus nemini imputari poſſit (§. 3.); *ſi jure tuo uſus caſu occupes rem ejus ſpeciei, cujus occupandi jus alteri proprium eſt, eandem quidem huic acquiris, actu tamen occupandi injuriam non facis.*

§. 217.

De occupatione ferarum.

Quoniam rem occupaſti, quam primum eam in hunc ſtatum redegiſti, ut eam apprehendere poſſis (§. 212.); *ſi retibus a te poſitis, ubi occupandi jus habes, fera irretita, ut ſeſe extricare nequeat, vel inſtrumentis quocunque modo collocatis ita detineatur, ut effugere nequeat, aut ſi fera a te occupabilis ſclopeto proſternatur, aut ita vulneretur, vel laſſetur, ut manus tuas effugere nequeat, ea a te occupata eſt*, conſequenter *tua.* Idem intelligitur de feris in ſylva circumſepta incluſis,

§. 55. de [illegible] q. r. d.

§. 218.

De rebus ſe moventibus ex custodia elapſis.

Cum poſſeſſione amiſſa dominium ſolo animo retineatur (§. 205.); *ſi res ſe movens ex cuſtodia tua elabitur, aut aufugit, tua manet*, conſequenter *etiam fera, quamdiu diſcernibilis. Quodſi* vero,

poſt-

poſtquam aufugit, diſcerni nullo modo amplius poſſit, adeoque conſtare nequeat, eam eſſe tuam, *tua eſſe deſinit & occupabilis fit*, tanquam res nullius (§. 210.).

§. 219.

Quia *res derelicta* fit nullius (§. 203); *naturaliter occupantis eſt* (§. 210.), *ſi vero jus occupandi occupatum eſt, eam acquirere nequit, niſi is, cui jus occupandi proprium eſt* (§. 215.). **De acquiſitione rei derelictæ.** L. 1. pro derelicto

§. 220.

Res amitti dicitur, quæ eo, qui illam habet, non advertente in humum cadit, & eodem abeunte ibidem relinquitur. *Rebus amiſſis accenſentur, quæ de rheda currente non intelligentibus dominis, vel de curru auriga non intelligente cadunt* Cum ex caſu non ſequatur, dominum rem amiſſam amplius habere nolle; *dominium rerum amiſſarum retinetur* (§. 205.), conſequenter *ea non fit inventoris* (§. 210.). Quodſi *inventor novit, quinam eam amiſerit, vel in inquirendo fuerit negligens, eam mala fide poſſidet* (§ 201.). Enimvero *ſi explorari non poſſit rei* **De re amiſſa.** §38. 9. de R. D. L. 43. §. 4. de furtis

 amiſ-

amissæ dominus, cum evanescente spe eam recuperandi animus derelinquendi præsumatur (§. 203.); *ea inventoris manet.*

§. 221.

De rebus jactis.

Similiter *si navis levandæ causa*, veluti in tempestate, aut nave in brevia acta, *res in mare projiciuntur*, cum ex hoc facto colligi nequeat animus derelinquendi *dominorum* (§. 203.); eæ eorundem *manent*, *nec ad littora expulsæ*, *aut in mari captæ fiunt capientis.* Valet idem de rebus jactis, quod de amissis (§. 220.).

§. 222.

De rebus naufragis.

Auth. Naufragia C. de furtis

Cum *bona naufragorum*, quippe quæ in mare cadunt & fluctibus abrepta conspectui eorum, qui in nave sunt, subducuntur, æquiparentur rebus amissis (§. 220.); *ejusdem juris sunt, cujus sunt res amissæ.*

§. 223.

De thesauro.

Thesaurus sunt res mobiles, præsertim pretiosæ, vel pecunia, abditæ, quarum dominus ignoratur. Cum impossibile sit, ut exploretur, quinam res in loco abscondito deposuerit, (*per hypoth.*); *thesaurus* habendus pro re nullius

lius, consequenter *naturaliter est inventoris*, aut, jure occupandi occupato, *ei acquiritur*, *cujus est jus occupandi* (§. 210. 215.).

§. 224.

Fructus dicuntur *naturales*, quos natura sua sponte producit; *industriales* vero, quos nonnisi interveniente opera humana, seu cultura & cura, producit. Vocantur iidem *pendentes*, qui a re, ex qua provenerunt, nondum separati; *percepti* autem, qui ab eadem separati & plene collecti; *percipiendi*, quos quis percipere poterat, modo voluisset, consequenter nisi negligens fuisset. Quodsi ad perceptionem rerequirantur plures actus, veluti cum fruges demetendæ, in manipulos obligandæ, in horreum avehendæ & ibidem grana ex spicis excutienda; *Perceptio inchoata* dicitur, quæ ad unum, vel alterum tantummdo actum processit; *consummata* vero, quæ nullum amplius actum requirit. *Fructus* percepti *extantes* appellantur, quos possessor rei, ex qua provenerunt, adhuc habet; *consumti*, quos non amplius habet.

De divisione fructuum.

§. 225.

§. 225.

De actionibus rebus suis æquiparandis. Quoniam *actiones hominis liberæ*, quatenus ipsi, vel aliis utiles sunt, perinde ac res æstimabiles sunt, & *dominiis introductis* esse debent, prouti ex inferius demonstrandis clarius elucescet; eædem *æquiparantur rebus*, *quæ sunt in dominio nostro*, consequenter etiam *operæ*, itemque *cultura & cura rerum quæ sunt in dominio.*

§. 226.

De illarum fructibus. Hinc porro sequitur, *quæ ex operis*, *cultura & cura nostra proveniunt*, *ea esse illarum fructus* (§. 198.). Unde *fructus industriales sunt partim fructus rei*, *partim industriæ*, seu operæ, culturæ atque curæ (§. 224.). *Ad actus perceptionis* vero *pertinet etiam destinatio ad certum usum*, veluti si glandes sponte in terram cadentes suibus illuc actis vescendas relinquas, vel gramina pecudibus depascenda.

§. 227.

De specificatione. *Species* appellatur individuum certæ speciei. Hinc *specificatio* vocatur actus, quo ex materia quadam efficitur res alterius speciei, & *forma*, *quæ materiæ*

teriæ inducitur, *est fructus operæ specificantis* (§. 226.). Atque hinc patet, quatenus *res artificiales*, sint in fructu eas facientis (§. 121.): *omnes* nimirum *fiunt specificatione*. Cum grana in spicis ex quibus excutiuntur, jam extent; *granorum ex spicis excussio specificatio non est.* L. 7. §. 7 de adq. rer. dom

§. 228.

Res fructuosa dicitur, quæ fructum præstat; *infructuosa* vero, quæ fructum non præstat. Dicitur etiam subinde sua natura sterilis. Quoniam res fructuosæ dominio subjiciuntur propter fructus inde percipiendos, quod per se patet, ac ideo dominium quoque continet jus fruendi (§. 198.); *fructus ejus sunt, cujus est res fructuosa, seu domini rei fructuosæ*, consequenter cum dominus jure suo excludat ceteros omnes (§. 195.), *jus percipiendi fructus nemini competit nisi domino.*

De rebus fructuosis & infructuosis & cujusnam sint fructus.

L. 83 · L. 13 de reb. ered., quæ · L. 44. D. eod. L. 22. C. de rei vendic.

§. 229.

Hinc porro patet, *possessori rei alienæ*, sive is bona, sive mala fide possideat, *non competere jus percipiendi fructus*, consequenter *naturales tam pendentes, quam perceptos esse domini* (§. 224.),

An possessor rei alienæ fructus participet.

L. 22. C. de rei vindic.

(§. 224.), cum vero industriales sint partim fructus rei, partim industriæ (§. 226.), *industriales esse communes pro rata domini rei & possessoris, cujus culturæ ac curæ debentur*, veluti si quis fundum alienum possidet, domini, quantum valet usus fundi, & possessoris, quantum valet ejus cultura & cura.

§. 230.

De differentia inter possessorem b. & m. f.

Cum perceptio fructuum ad exercitium dominii spectet (§. 228.); *possessor malæ fidei fructus percipiendo injuriam facit domino* (§. 201.), consequenter *ei competit jus ipsum puniendi, quod perceperit* (§. 93.): ast *possessor bonæ fidei*, cum ei factum imputari nequeat (§. 201.), *ideo puniri non potest, quod fructus perceperit. Quodsi* vero *fructus fuerint consumti, uterque rem alienam consumsit* (§. 229.).

§. 231.

De jure in specificatione.

§. 25. J. d. R. D.

Si quis ex aliena materia speciem fecit, cum materia sit domini materiæ, forma inducta, tanquam fructus operæ specificantis (§. 227.), specificantis (§. 228); *species communis est materiæ domini & specificantis pro rata ejus,* quan-

quanti unum quodque eſt. Hinc facile intelligitur, quale ſit jus ejus, qui partim ex ſua, partim ex aliena materia ſpeciem facit, aut ex aliena alieno nomine, cum perinde ſit, ſive quis quid faciat per ſe, ſive per alium. Patet vero, *mala fide ſpecificantem injuriam facere domino materiæ* (§. 201.), *ac ideo pœnæ obnoxium fieri* (§. 93. 153.).

§. 232.

Quoniam granorum ex ſpicis excuſſio ſpecificatio non eſt (§. 227.), ſed grana pars ſpicarum ſunt; *ſi quis ex alienis ſpicis grana excutit, tam grana, quam ſtramen domini ſpicarum ſunt.* De injuria notanda repetantur ex præcedente paragrapho. *In excuſſione granorum ex ſpicis.*

§. 233.

Fœtus ſunt fructus animalium, veluti vituli vaccarum, agni ovium (§. 198). Quamobrem *ejus ſunt, cujus ſunt animalia*, veluti vituli domini vaccarum, agni domini ovium. Idem tenendum de ovis a volucribus domeſticis & de pullis ex ovis excluſis. Nec obſtat, quod animal tuum imprægnaverit meum, mas nempe fœminam. *De fœtura.*

§. 234.

§. 234.

Quomodo spectandi fructus percepti. Cum *fructus* percepti a re, ex qua provenerunt, separatim existant (§. 224.), & peculiarem domino utilitatem præstent; *quam primum percepti, spectantur absolute tanquam res in dominio existentes.*

§. 235.

De confusione & commixtione. *Confusio* dicitur, quando duorum vel plurium dominorum materiæ liquidæ, aut liquefactæ invicem miscentur, ut prodeat massa quædam ex utroque mixta; *Commixtio* autem, quando arida & solida corpora ita permiscentur, ut, quæ unius sunt, distincta quidem maneant ab iis, quæ sunt alterius, omnia tamen simul totum quoddam constituant. Quoniam nemini invito dominium rei suæ auferri potest (§. 195.); *si res confusæ, vel commixtæ separari nequeunt, aut saltem non sine detrimento possunt, pro rata fiunt communes, ex quantitate & qualitate ejus, quod ante quisque habuerat, æstimanda, in casu opposito quilibet retinet, quod suum est.*

§. 236.

§. 236.

Idem tenendum esse de *Ferruminatione*, qua metalla ejusdem generis formata, vel non formata, nulla alia materia interveniente consolidantur; & *Adplumbatura*, qua duæ diversi generis res mediante alia quadam ab ipsis diversa materia coagmentantur, per eandem rationem patet.

De ferruminatione & adplumbatura.

Adferruminatio. L. 23. § 5. de rei vind.

§. 237.

Solum dicitur portio telluris, quatenus homines & res alias sustentant; *Superficies* vero, quicquid solo cohæret & supra id eminet, veluti arbores, vites, plantæ, domus. Constructio ædificii *Ædificatio*, & quatenus in solo exstruitur, *Inædificatio* appellatur. Patet autem ut ante (§. 235.), *si quis in solo suo ex aliena materia, vel in solo alieno ex sua materia ædificet, ædificium dominorum materiæ ac soli commune esse pro rata, nisi ædificium mobile sit*, ut nimirum auferri possit.

De ædificatione.

L. 2. C. de rei vindicatione

L. 13. de servit. praed. rusticor.

L. 60. de adq. r. d.

§. 238.

Idem intelligitur de *Plantatione*, qua planta solo immittitur, ut radices in

De plantatione & satione.

eo agat & inde nutrimentum capiat; itidemque de *Satione*, quando ſemen terræ committitur, ut plantæ inde progerminent. Id tantummodo hic tenendum, ſi rata in communione determinanda, ſpectandum eſſe, quantum valet planta, dum in ſolo ponitur, vel ſemen, dum eidem committitur, & uſus ſoli cum cultura & cura (§. 225.).

§. 239.

De ſcriptura & pictura. Similiter ob rationem eandem, *ſi quis in chartis vel membranis tuis carmen, hiſtoriam, orationem ſcripſerit, vel in tabula tua pinxerit, corpus pro rata commune erit.* Nimirum in communione nihil abſurdi alit dominium vel pro milleſima, immo vel millioneſima parte. Quid vero juris ſit in communi dividundo, quando res diviſionem non admittit, nec communio ſubſiſtere poteſt, ſuo loco deinceps patebit.

§. 240.

De ſtolonibus & herbis emiſſariis. *Stolones ex radicibus arboris vicini in fundum tuum actis nati & herbæ vel ex radicibus intra terram longe lateque ſparſis, vel cauliculis humi repentibus emiſſæ*

emissæ ex herba aliena in fundo tuo, cum spectari debeant tanquam fructus fundi tui, utpote a natura in eodam productæ (§. 198.), *tuæ sunt.*

§. 241.

Quoniam res usus causa dominio subjiciuntur (§. 121. 195.); *cum fundo dominio* quoque *subjectum intelligitur spatium intra atmosphæram, quod perpendiculariter fundo imminet, quo usque a superficie aliqua occupari potest*, & brevitatis causa a nobis *Spatium atmosphæricum* appellatur. Quamobrem cum *rami ab arbore vicini per spatium tuum atmosphæricum diffusi* assimilentur herbis emissariis, quæ tuæ sunt (§. 240.); illi quoque *tui sunt*, consequenter *etiam fructus, quos edunt* (§. 228.), *&, si rami obstent, quo minus fundi usum facere possis, quem vis, tibi competit jus sublucandi arborem*, sicuti *vicino jus cædendi arborem*, cui competit jus disponendi de ipsa arboris substantia, invito auferri nescium (§. 195.). **De jure in arborem vicini.**

§. 242.

Accessio est adjectio rei cujusdam ad alteram, quæ certam formam jam habet, **De accessione naturali,**

artificiali & mixta.

habet, ut eidem quomodocunque cohæreat, vel inexiſtat. Et quod ita adjicitur, *Acceſſorium*; res vero, cui adjicitur, *Res principalis* appellatur. Dicitur autem *Acceſſio naturalis*, quam natura facit; *artificialis*, quam faciunt homines; *mixta*, ad quam natura & induſtria humana concurrunt, quæ etiam *induſtrialis* appellari poterat (§. 224.). *Quodſi res aliena rei tuæ accedens absque rerum detrimento ſeparari poſſit*, veluti gemma tua alieno annulo incluſa, *manet ea domini ſui*, *in caſu* autem *oppoſito res principalis cum acceſſoria ſit communis* (§. 195.); *quodſi res nullius accedat*, *ea nullius manet*, *quamdiu non occupatur* (§. 210.). In acceſſione artificiali, quid ſit principale, quid acceſſorium, dijudicandum potiſſimum ex deſtinatione.

§. 243.

De interitu rei.

Res interire dicitur, ſi exiſtere deſinit. *Species* autem *interire* dicitur, ſi forma deſtruitur, materia manente. Cum nemo in re jus habeat niſi dominus (§. 195.); *res interit ſuo domino*, ſeu *ipſe jus ſuum in ea amittit*, aſt *ſpecie intereunte*, *materiæ adhuc dominus manet*.

L. 9. C. de pignoraticia actione.

§. 244.

§. 244.

Unde patet, *si fluminis vi particulæ quædam terræ insensibiliter abraduntur, ut successu temporis fundus tuus sensibile patiatur decrementum, vel etiam partes sensibiles uno impetu abripiuntur & in aqua dissolutæ avehuntur, te in ea parte, quæ fundo tuo detrahitur, dominium amittere.* **De fundo vi fluminis imminuto.**

§. 245.

Enimvero *si vis fluminis de fundo tuo partem aliquam detraxerit & vicini fundo obtulerit*, cum tunc ea non intereat (§. 243.), nec tibi invito dominium auferri & in alium transire possit (§. 195.); *illa tua manet, quamdiu eandem non derelinquis* (§. 203.). Dicitur autem violenta ablatio partis de fundo tuo in alienum vi fluminis, aut alio casu facta, *Avulsio.* **De jure avulsionis.**

§. 246.

Quodsi *naturalis alveus a flumine ad aliam partem fluente in universum derelinquatur*, cum alveus ejus sit, cujus est flumen, ipse autem non intereat (§. 243.); *patet* ut ante (§. 245.), *cum manere ejus, cujus est flumen.* Quamobrem **De alveo derelicto.**

si flumen fuerit nullius, alveus quoque *derelictus nullius erit*, consequenter *occupabilis ab eo, qui jus occupandi habet* (§. 210. 215.).

§. 247.

De insula ab agro facta. L. 30. §. 2. de adquir. rer. dom.

Similiter patet, *si flumen* ex ~~ab~~ *agro tuo faciat insulam, hanc tuam esse; si ex communi, eam pro rata communem esse.*

§. 248.

De alveo ex agro tuo facto.

Quodsi fluvius novum sibi fecerit alveum ex agro tuo, cum spectetur novus alveus tanquam res a te amissa, cujus recuperandi spes adhuc superest, quatenus nimirum fluvius ad pristinum alveum reverti, vel ad aliam partem fluere potest (§. 220.); *dominium in eo retines* (§. cit.), consequenter *ager restitutus tuus est, & quælibet ejus pars restituta tua est.*

§. 249.

De jure inundationis. §. 24. J. d. R. D.

Similiter, *si ager tuus totus fuerit inundatus, etiamsi per plures annos duret inundatio, dominium in eo retines* (§. 195.), *quamdiu eum non derelinquis* (§. 203.).

§. 250.

§. 250.

Si insula in mari vel flumine nascatur casu quodam, veluti terræ motu, aut *quia amnis paulatim colluendo locum eminentem supra alveum fecit eumque alluendo auxit*, cum ea sit res, quæ nondum extitit in rerum natura; *nullius erit* (§. 191.), consequenter *occupabilis ab eo, qui jus occupandi habet* (§. 210. 215.). Enimvero *si insula in flumine fit, quia locum, qui alvei fuit, siccum relinquit & circumfluere cœpit*; cum tunc non sit nisi pars alvei derelicta; *erit ea ejus, cujus est flumen*, & per consequens *nullius, si flumen nullius* (§. 246.). *De insula in mari vel flumine nata.*

§. 251.

Alluvio dicitur accessio naturalis, qua vi fluminis fundo adjacenti insensibiliter adjiciuntur particulæ quædam terræ, ut is successive sensibile capiat incrementum. Cum *incrementum per alluvionem factum* sit res, quæ antea in rerum natura nondum extitit: *patet* ut ante (§. 250.), *id esse nullius*, consequenter *ab eo occupabile, qui occupandi jus habet*. *De Jure alluvionis.*

§. 252.

Idem specialius expenditur. Sunt autem *Agri* vel *aſſignati*, qui certa menſura comprehenduntur; vel *limitati*, qui certis limitibus artificialibus, ſeu facto hominum conſtitutis circumſcribuntur; vel denique *arcifinii*, qui terminos naturales habent, veluti fluvios, montes, ſylvas. Cum jus occupandi incrementum per alluvionem factum occupatum intelligatur ab eo, qui agrum arcifinium eſſe voluit, minime vero, qui agrum aſſignatum, vel limitatum habet; *jus alluvionis ei competit, cujus ager arcifinius eſt, non vero ei, qui agrum aſſignatum, vel limitatum habet* (§. 251.). Quamobrem cum ager arcifinius non ſit, inter eum & fluvium via publica intercedat, nec ea debeatur ab agro tanquam pars ipſius; *ſi inter agrum & fluvium via publica intercedit, nec ea debetur tanquam pars agri, dominio agri jus alluvionis non adhæret.*

L. 16. de adq. r. d.

Grot. L. 2. c. 8. §. 17.

§. 253.

An id obtineat in lacubus & ſtagnis. Cum lacus & ſtagna ſuos habeant limites, ut, quando creſcunt, vel decreſcunt, nihil hinc decedat, vel accedat fundis vicinis, ſed quilibet in

eo,

eo, quod ſuum eſt, dominium retinere poſſit; *in lacubus & ſtagnis jus alluvionis non obtinet* (§. 251.). Dicitur autem aqua non fluens, ſi perpetua fuerit, *Lacus*; ſi non perpetua, ſed certo tantummodo anni tempore fundum tegit, *Stagnum*. Non obſtat perpetuitati, quod ſubinde etiam lacus caſu exareſcant.

§. 254.

Cum communio poſitiva ſit, ſi duobus vel pluribus conjunctim in re indiviſa pro rata dominium competit (§. 196.); *communio, quæ ſpecificatione* (§. 231.), *confuſione & commixtione* (§. 235.), *ferruminatione & adplumbatura* (§. 236.), *ædificatione* (§. 237.), *plantatione & ſatione* (§. 238.), *ſcriptura & pictura* (§. 239.), *atque acceſſione introducitur* (§. 242.), *poſitiva eſt: dominium* vero *in eo proprie loquendo non originarie acquiritur*: *quatenus tamen res communis antea nondum extitit in rerum natura, acquiſitioni originariæ æquiparatur illius acquiſitio* (§. 210.). *Qualis communio per antecedentia inducatur.*

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS ET JURIBUS EX DOMINIO ORIUNDIS.

§. 255.

An dominium contineat jus rem perdendi.

Quia *dominus* re sua aliter uti non debet, quam officia exigunt (§. 202.); *nulla obligatione naturali urgente rem suam destruere, corrumpere, vel deteriorem reddere debet*, consequenter *dominium non involvit jus rem suam perdendi, vel deteriorandi* (§. 49.). Fluit jus disponendi pro lubitu de re sua, quod domino competit, ex libertate naturali (§. 195.), quæ obligationem naturalem minime tollit (§. 77.).

§. 256.

De jure immutandi rem suam & specificandi.

De substantia rei disponit, qui fundum immutat, vel superficiem, aut rem aliam, & qui ex materia facit speciem: id quod per se patet. Quamobrem cum *domino* competat jus de substantia sua pro arbitrio suo disponendi, seu proprietas (§i 198.); eidem quoque *competit jus fundum, vel superficiem, aut rem aliam immutandi, & ex mate-*

materia ſua ſpeciem faciendi: non-domino & immutatio, & ſpecificatio illicita (§. 195.).

§. 257.

Ex eadem ratione *domino vi proprietatis competit jus dominium rei ſuæ in alium transferendi*, conſequenter cum translatio dominii in alium *Alienatio rei* dicatur, quatenus ſcilicet jam alius rei dominus fit, quam qui fuerat ante, *jus alienandi*: *non-domino* vero *omnis alienatio rei alienæ illicita* (§. 199). Unde porro ſequitur, *rem a non-domino acceptam non fieri accipientis, ſed eam manere domini ſui* (§. 205.). Et quoniam res incorporales, veluti jura (§. 121.), etiam in dominio ſunt (§. 206.); *jura* quoque *dominus alienare poteſt*, veluti *jus piſcandi, venandi*. *De jure alienandi.*

§. 258.

Translatio dominii in alterum ſimpliciter ſpectata, ſine reſpectu ad dominum, *Datio* appellatur; ut *dare* idem ſi, ac dominium rei ſuæ transferre in alterum; perinde patet, *neminem niſi dominum rem alteri dare poſſe*, conſequenter *neminem alteri dare poſſe rem alienam* (§. 199.). *De jure dandi rem.* l. 54. d. R. J.

§. 259.

§. 259.

De jure conferendi jus ad actum vi dominii licitum.

Quando *dominus* rem suam alienat, dominium ejus in alium transfert (§. 257.), consequenter jus ad omnem actum vi dominii licitum. Quamobrem etiam *jus ad quemlibet actum vi dominii licitum in alium transferre potest, dominio retento*: quod tamen in hoc casu diminui patet, cum jus istud fiat alterius proprium, ipsi invito non iterum auferendum (§. 100.).

§. 260.

De jure in re sua constituto.

L. 6. et 8. comm. praediorum

Similiter quia *dominus* de omni utilitate rei suæ pro lubitu disponere potest (§. 195. 198.); *alteri* quoque *jus quodcunque in re sua constituere potest: ast non-domino minus hoc facre licet.* Istiusmodi jus est jus hauriendi aquam ex puteo meo, jus eundi per fundum meum in fundum tuum.

§. 261.

De re aliena domino restituenda.

Cum dominium retineatur in re, quæ quomodocunque in potestatem tuam venit, ut eam possidere possis (§. 200. 205.), omnisque actus ad exercitium dominii spectans tibi illicitus (§. 195.), cavere autem debeas, ne alius inci-

incidat in mala fortunæ (§. 134.), consequenter ne jacturam faciat rei suæ (§. 207.); *si quomodocunque res alterius in potestatem tuam veniat, operam dare debes, ut in potestatem domini redeat,* consequenter *domino, quem nosti, res sua restituenda: si non noris, inquirendum, quinam sit dominus.* Exemplo esto res amissa, quæ a te invenitur, aut res se movens, quæ in fundum tuum ingreditur. L.43. §.8. de furtis

§. 262.

De rei vindicatione.

Quoniam qui rem tuam detinet, eam tibi restituere obligatur (§. 261.); *tibi domino competit jus eam exigendi ab eo, qui detinet* (§. 46.), *&, si eam restituere nolit, vi adigendi ut faciat* (§. 80.). Jus rem suam vi persequendi aduersus quemlibet possessorem, aut detentorem, *Vindicatio rei*, vel etiam *Jus rem suam vindicandi* dicitur. *Domino* igitur *competit jus rem vindicandi adversus quemlibet possessorem, aut detentorem.* Quoniam tamen res domino restituenda (§. 261.); *rem tuam vindicaturus dominium probare debes, nec, antequam probaveris, alterum ad restitutionem vi adigere potes.* Cumque violenta juris sui L.1. §.3. de rei vindication. L.24. eod.

ſui perſecutio bellum ſit (§. 98.); *Vindicatio rei ſuæ bellum eſt.*

§. 263.

Furtum, rapina, invaſio. Ablatio doloſa rei alienæ, inſcio ac invito domino, animo eam ſibi habendi facta, *Furtum* dicitur; ſi eadem vi fiat, *Rapina.* Qui furtum committit, *Fur*; qui rapinam, *Prædo* appellatur. Vocatur autem *Furtum manifeſtum*, ſi fur in ipſo actu furandi, & res furtivas nondum in alium locum perlatas adhuc habens, deprehenditur; in caſu oppoſito, *Furtum nec manifeſtum.* Quodſi quis inſcio ac invito domino de uſu rei ipſius diſponit inſtar domini, *Furtum uſus*; ſi poſſeſſionem rei ~~im~~mobilis alicui invito intervertit, veluti ſubtrahendo creditori pignus, *Furtum poſſeſſionis* appellatur. Aſt *Invaſio* factum eſt, quo, qui jus poſſidendi nullum habet, alterum vi poſſeſſione ſua rei immobilis dejicit; & qui hoc facit, *Invaſor* audit.

§. 6. J. de oblig. quae ex delict.

§. 264.

De moralitate furti & rapinæ, & rei furtivæ Cum dominus jure ſuo, quod in re habet, ceteros omnes excludat (§. 195.), nec idem invito auferri poſſit (§. 100.); *nec furtum, nec rapinam committere licet.* Et quoniam ſine voluntate

te domini dominium in alium transire nequit (§. 195.); *res furtiva & rapta manet domini*, consequenter *is eandem vindicare potest adversus furem, prædonem & quemcunque alium possessorem* (§. 262.), *& non modo fur atque prædo, verum etiam quilibet alius, in cujus potestatem venit, eam domino restituere tenetur* (§. 261.). Cumque omnis actus dominio alterius contrarius illicitus sit (§. 195.); *furtum* quoque *usus illicitum* (§. 198. 263.). *ac raptæ restitutione.* l. 14. J. de act.

§. 265.

Jus possidendi domino competit (§. 200.), invito non auferendum (§. 100.). Quamobrem *invasio* quoque *naturaliter illicita est*, & *invasor possessionem alteri restituere tenetur*, cumque *dominus* pati non teneatur, ut quis alius se invito actum quendam vi dominii licitum sibi arroget (§. 195.); *jus habet, invasorem de possessione injusta iterum dejiciendi, si eam restituere nolit*, consequenter *adversus invasorem jus belli eidem competit* (§. 98.). *De moralitate invasionis & jure in invasorem.* c. 12. X.

§. 266.

Dominum rem suam alteri clam, vel vi eripientem non esse furem, vel prædonem, *An dominus furtum,*

rapinam & invasionem committere possit. *nem, aut possessione rei suæ immobilis alterum vi dejicientem non esse invasorem*, ex ipsis terminis manifestum est (§. 263.). Furtum nimirum & rapina non committitur in re propria, sed aliena, nec invasor esse potest, nisi non-dominus. Ex eadem vero ratione patet, *dominium probandum esse, ne quis pro fure, prædone, aut invasore habendus*, ob quam idem in rei vindicatione fieri debet (§. 262).

l. 43. §. 1. de furt.

§. 267.

De jure puniendi furem, prædonem, invasorem. Fur, raptor & invasor violant jus domini (§. 195. 263.), consequenter eundem lædunt (§. 88.). *Domino* igitur *competit jus furem, prædonem & invasorem puniendi* (§. 93.).

§. 268.

De jure defendendi res suas. Quoniam adversus eum, qui læsionem intentat, jus defensionis nobis competit (§. 90.); *adversus furem manifestum, prædonem & invasorem res suas defendere licet* (§. 49.), atque *hoc jus infinitum est* (§. 94.). Quia vero fur, prædo & invasor defensioni resistit, & quia corpus nostrum vi impetit, *aggressor est; defensio rerum conjungitur cum defensione sui*. Atque ita patet, *defensionem re-*

c. 3. X. de homicidiis
C.C.C. Art. 150.

rum

rum adversus furem manifestum, prædonem & invasorem esse bellum (§. 98.).

§. 269.

Jacturam sui facere dicitur is, cujus potestati absque voluntate sua res quædam sua ita subducitur, ut eam nunquam recuperare possit. Jactura sui *Damnum* vocatur; & *damnum dare* dicitur agens, quod facto suo, vel non facto in causa est, ut jacturam tui facias; & in specie *damnum voluntarium* sive *dolosum* appellatur, quod ab homine intentione sive directa, sive indirecta datur; *Damnum culposum*, quod culpa in specie sic dicta datur; *Damnum* denique *casuale*, quod casu improviso, nec evitabili datur. Cum patrimonium nostrum, consequenter bona sive res nostras conservare debeamus (§. 208.); *quilibet, quantum potest, quodvis damnum a se avertere, nec alteri damnum dare, sed potius, quantum in se est, ab alio quoque avertere debet* (§. 133.), consequenter *nemo alteri invito rem suam auferre debet, aut eam perdere, quocunque tandem animo fiat.* Ceterum hinc patet, *si dominus rem furto* *De damno.*

ablatam, vel a prædone raptam non recuperat, furem & prædonem ipsi damnum dare.

§. 270.

De damno dato resarciendo.

Cum nemo alteri damnum dare debeat (§. 269.), damnum autem consistat in jactura sui (§. *cit.*), adeoque is, cui damnum datur, minus habeat, quam antea habebat; *nemo efficere debet, ut alter minus habeat, quam habere debebat.* Quoniam igitur non amplius minus habet, quam habere debebat, si tantundem ipsi restituitur, quantum valet res, cujus jacturam facit, hoc est, *si damnum resarcitur*, quod per se patet; *omne damnum dolo, vel culpa datum resarciendum, tibique competit jus exigendi, ut resarciatur.*

§. 271.

De se non locupletando re, vel ex re alterius.

f. 7. §. 12. de pecul.

Locupletior factus dicitur, qui plus habet, quam antea habebat. Unde *re alterius locupletior fit*, quando, quod quis plus habet, est res alterius; & *ex re alterius locupletior fit*, quando, quod plus habet, ex re alterius venit, vel ejus loco succedit. Quia nemini dolo, vel culpa dandum est damnum (§. 269.), hoc

hoc vero in jactura sui consistit (§. *cit.*); *nemo* quoque *locupletior fieri debet cum damno alterius, nec re, nec ex re aliena*, consequenter cum damnum datum sit resarciendum (§. 270.), *si re, vel ex re mea non amplius extante locupletior factus es, tantum mihi restituere teneris, in quantum locupletior factus es.* Hujus principii amplissimus usus est in Jure.

l. 14. de condict. debiti

§. 272.

Unde domino teneatur possessor bonæ & malæ fidei.

Nullus actus ad exercitium dominii spectans bonæ fidei possessori imputari potest (§. 201.), consequenter nec privativus (§. 2.). *Possessor* igitur *bonæ fidei domino non tenetur ex facto & non-facto ullo*, consequenter *saltem ex re*, quatenus scilicet eam nullo jure possidet (§. 201.). Ast cum possessori malæ fidei omnis actus ad exercitium dominii spectans imputari possit (§. 201. 3.); *possessor malæ fidei tenetur domino tum ex re, tum ex quocunque facto & non-facto.*

§. 273.

Ad quid domino non teneatur ma-

Quia possessor bonæ fidei ex facto & non-facto suo non tenetur domino (§. 272.); *si res casu periit, eodem vel*

l. 20. de hered. petitione

possessor bonæ fidei. *maxime casu apud dominum non peritura, ad nihil restituendum domino tenetur, neque etiam tenetur ad damnum resarciendum, si culpa ipsius res perierit, neque ad restituendum fructus percipiendos.*

L. 25. §. 11. eod.

§. 274.

Ad quid possessor malæ fidei qua talis teneatur. Enimvero quia *possessor malæ fidei* ex facto & non-facto suo tenetur domino (§. 272.); *domino resarcire tenetur damnum, si res culpa sua interiit, immo etiam si casu, eodem tamen casu apud dominum non peritura, non vero si eodem casu etiam apud eundem peritura fuisset*; quia tum interitus non dependet a non-facto possessoris, neglecta nempe restitutione (§. 261.). *Idem* quoque, cum fructus percipiendi industriales sint (§. 224.), *tenetur ad restitutionem ratæ fructuum percipiendorum* (§. 229. 270.).

L. 15. §. fin. de rei vindicat.

§. 275.

De fructibus extantibus. Cum fructus rei sint domini (§. 228.), industriales autem communes pro rata domini rei & possessoris (§. 229.), nemo autem locupletior fieri debeat re alterius (§. 271.); *possessor tam bonæ, quam malæ fidei restituere tenetur fructus natu-*

naturales extantes & ratam industrialium extantium.

§. 276.

Quia *possessor bonæ fidei* ex facto nullo, consequenter nec ex consumtione fructuum tenetur (§. 272.), locupletior tamen fieri nequit ex re aliena (§. 271.); *in tantundem tenetur, in quantum ex fructibus naturalibus consumtis & consumta rata industrialium factus est locupletior*, consequenter cum de alieno vixisse dici nequeat, qui de proprio vivere potuit, *si tantundem habet in bonis, tantundem; si minus, minus; si denique nihil, nihil quoque restituere tenetur.* Ex adverso, cum *possessor malæ fidei* teneatur tum ex re, tum ex facto quolibet (§. 272.), consequenter etiam ex eo, quod rem alienam consumsit (§. 230.); ideo *tenetur ad æstimationem fructuum naturalium consumtorum & ratæ industrialium, domino debitæ, cosumtæ restituendum.* Quæritur vero hic, quid restitui debeat, non quid restitui possit. *De fructibus consumtis.*

§. 277.

Rem deterioratam minus valere, quam antea valebat, per se patet. *In quantum teneamur*

 Quam-

ex rei alienæ deterioratione. Quamobrem cum domino deterioratione rei suæ damnum detur (§. 269.), nemo autem alteri damnum dare (§. *cit.*), & dolo seu culpa datum resarcire debeat (§. 270.); *qui rem alienam dolo vel culpa sua deteriorem reddit, in tantum domino tenetur, quanto minoris est res deteriorata.*

L. 25. §. 11. de hered. pet.

L. 13. de rei vind.

§. 278.

In quantum possessor rei alienæ. Quamobrem cum possessor bonæ fidei non teneatur ex ullo facto, possessor autem malæ fidei ex quocunque (§. 272.); *possessor bonæ fidei ex deterioratione rei tenetur ad nullam restitutionem, possessor malæ fidei in tantundem, quanto minus valet res deteriorata: & de casu facta deterioratione eadem tenenda, quæ de interitu casuali* (§. 273.).

§. 279.

Impensæ quid sint & quotuplices. *Impensæ* dicuntur sumtus, quos in rem impendimus, sive ejus conservandæ, sive utendæ ac fruendæ gratia. Dicuntur autem *necessariæ*, quæ fiunt rei conservandæ gratia; *utiles*, quibus res efficitur utilior & fructuosior; *voluptuariæ*; quæ solius voluptatis percipiendæ causa fiunt. Quando impensæ utiles fiunt, *res* dicitur *meliorari*. Vocantur

cantur autem *mixtæ*, si voluptuariæ insint necessariis & utilibus; & *voluptuariæ prædominantur*, si magis voluptatis, quam necessitatis & utilitatis habetur ratio.

§. 280.

Cum patrimonium conservare, &, quantum in potestate est, amplificare obligemur (§. 208.); *dominus naturaliter obligatur ad faciendas, quantum in se est, impensas necessarias & utiles.* Et quoniam curæ habere debemus, ut vitam quoque jucunde transigamus (§. 119.); *nec impensæ voluptuariæ illicitæ, nisi pariant voluptatem nocuam* (§. 120.).

Impensarum faciendarum obligatio & jus.

§. 281.

Quoniam ad impensas necessarias & utiles faciendas obligamur (§. 280.), possessor rei alienæ eas faciens nil facit, nisi quod dominus ipse facere debuisset, modo utiles domino æque utiles ac possessori. Quamobrem *possessori tam bonæ, quam malæ fidei restituendæ sunt impensæ necessariæ & utiles, quibus res fructuosior facta*: cum tamen possessor bonæ fidei ex nullo facto teneatur domino, possessor malæ fidei ex quocun-

De restitutione impensarum utilium & necessariarum.

que (§. 272.); *possessori bonæ fidei restituendæ etiam sunt impensæ, quibus res utilior saltem facta: ast possessori malæ fidei hæ restituendæ non sunt, nisi domino fuerint æquale utiles, vel res facta pretiosior*; ne scilicet is locupletetur cum damno possessoris (§. 271.), nec ipse damnum incurrat, restituendo impensas, quas ipse facturus non fuisset (§. 269.), utpote inutiliter faciendas.

§. 282.

De impensis tollendis. *Impensas tollere* dicitur, qui ea tollit, quæ suo sumtu in re aliena facta sunt. *Tolli* autem dicitur *sine detrimento rei*, quo sublato res, a qua quid aufertur, non efficitur in se deterior. Quamobrem cum nemo locupletari debeat cum alterius damno (§. 271.); *si possessor rem alienam restituit, impensas tollere potest, quæ absque rei detrimento tolli possunt.*

§. 283.

De restitutione impensarum voluptuariarum & collisione damnorum. Quoniam possessor b. f. domino non tenetur ex facto ullo (§. 272.); *eidem restituendæ sunt impensæ voluptuariæ, quæ tolli nequeunt vel simpliciter, vel sine detrimento rei, quanti sunt tempore restitutionis rei* (§. 271.). Ast cum possessor m. f. teneatur ex facto omni (§. 272.), si im-

impensas voluptuarias fecerit, quas dominus non facturus erat, & quas tolli non posse vel simpliciter, vel sine detrimento rei noverat, culpa ipsius res deducta est in eum statum, ut, ubi restituenda, aut dominus, aut possessor damnum ferre debeat (§. 17.). Quamobrem, cum id possessori, non domino imputandum sit (§. 3.); *impensæ voluptuariæ, quæ tolli nequeunt vel simpliciter, vel sine detrimento rei, nec dominus ipse facturus erat, possessori m. f. restituendæ non sunt, secus si dominus ipse eas facturus fuisset.* Obiter observo ex iis, quæ ostendimus, in genere patere, *si damnum ejus, cujus culpa accidit, colliditur cum damno alterius, qui omni culpa vacat, eum ferre debere damnum, cujus est culpa;* unde porro colligitur, *si uterque non omni culpa vacet, damnum esse dividendum in ratione culpæ.*

§. 284.

Impensas deducere dicitur possessor, si tanto minus restituit, quantum valent impensæ tempore restitutionis, veluti si restituit triginta, cum restituere deberet ob fructus consumtos 150, impensis 120 æstimatis. Quoniam dedu- *De jure deducendi impensas.*

ctis impensis ab eo, quod domino restituendum, possessor & dominus consequitur, quod suum est, seu ipsi debetur, suum autem cuique tribuendum (§. 86.); *possessori competit jus impensas ipsi restituendas deducendi*, quod nimirum ex mutua utrinque restituendorum obligatione nascitur (§. 46.).

§. 285.

De præmio inventionis.

Præmium inventionis dicitur, quod datur inventori rei amissæ, quia eandem domino restituit. Quoniam inventor ad restitutionem obligatur (§. 220. 261.); *naturaliter inventori rei amissæ præmium nullum debetur, nec* ideo *competit jus præmium exigendi a domino.* Quæ de impensis in rem amissam adipiscendam & conservandam factis tenenda sunt, patent per ea, quæ modo de possessore rei alienæ demonstrata sunt; impensarum enim restitutio pendet ab eo, quod in rem alienam factæ.

§. 286.

De fraude tam consilii, quam eventus.

Defraudare alterum dicitur, qui verbis vel factis dolosis alterum privat eo, quod suum est, vel ipsi debetur. Atque ideo *Fraus* appellatur factum, quo alteri,

ri, cum quo nobis negotium est, inscio damnum infertur; quod ubi fuerit dolosum, *Fraus consilii*; si minime dolosum, veluti si inscius gemmam adulterinam vendas pro genuina, *Fraus eventus* vocatur. Cum nemini dandum sit dolo vel culpa damnum (§. 269.); *nemo defraudandus, & fraus consilii omnis illicita*: cumque damnum datum sit resarciendum (§. 270.); *non modo id, quo defraudatus est alter, eidem restituendum, seu æstimatio præstanda, sed a damno quoque immunis præstandus, cui fraus eventus nocitura erat.*

l. 4. §. 19. de fideicommiss. libertate.

l. 36. d. V. O.

§. 287.

Jus possessionis. *Jus possessionis* vocatur, quod possessori vi possessionis competit. Differt itaque a jure possidendi, quod domino competit vi dominii (§. 200.). Dari autem jus possessionis, ex iis, quæ sequuntur, patet.

§. 288.

De spolio prohibito & spoliato restituendo. Cum soli domino competat jus possidendi (§. 200.), nec is possessorem ad restitutionem vi adigere possit, nisi dominio probato (§. 262.); *a non-domino, vel etiam a domino, qui dominium, vel*

a pos-

a possessore, qui justam possessionem nondum probavit, possessor quicunque de possessione dejici nequit, consequenter *si dejectus fuerit, possessio ipsi restituenda.* Quamobrem cum dominii exercendi causa res possideantur (§. 200.); *quamdiu possessori possessionem auferre non licet, ipsi permittendum est dominii exercitium.* Factum violentum, quo quis de possessione dejicitur, seu eadem privatur, in Jure Canonico dicitur *Spolium*; & hinc sequitur, *spoliatum esse restituendum.*

§. 289.

De possessione defendenda & recuperanda.

Quoniam *possessor pati non tenetur, ut a non-domino, vel etiam a domino, dominio nondum probato, possessione vi dejiciatur* (§. 288. 46.); *eidem* quoque *competit jus possessionem suam defendendi* (§. 90.), *itemque jus ad ea, sine quibus possessionem amissam recuperare nequit.* Nimirum possessor, quamdiu in possessione est, se gerit instar domini, atque id ipsum eidem permittendum (§. 288.).

§. 290.

De possessione violenta & clandestina.

Vi possidere dicitur, qui, possessorem veterem de possessione vi injusta dejiciendo, possessionem acquisivit; *clam* vero

vero *possidere* dicitur, qui ignorante possessore possessionem sine vi, sed nullo quoque jure occupavit; & tunc qui hoc facit, *possessionem furtive ingredi* dicitur; acquisita vero *possessio clandestina* vocatur. Possessio nimirum æquiparatur rei furto ablatæ. Patet vero, ut ante (§. 288.) *clandestinam possessionem esse illicitam, sive non-dominus, sive dominus, dominio nondum probato, clam possideat, & possessionem esse restituendam possessori veteri,* consequenter *huic competere jus non patiendi, ut alter a se clam possideat, &* per consequens *possessionem restituere nolentem vi de possessione dejiciendi.*

§. 291.

Quoniam possessa res in potestate possidentis esse debet, ut ipsi competat potentia physica de re pro arbitrio suo disponendi (§. 200.), consequenter dominium exercendi (§. 195.); *possessio rei acquiritur, si facto quodam redigitur in eum statum, quo physice possibile est, ut instar domini de ea disponere possis, & tamdiu retinetur, quamdiu dominium sive per te, sive per alium exercere possis,* *amit-*

Quomodo possessio acquiratur, retineatur & amittatur.

amittitur vero, si res in eum pervenit statum, quo id fieri nequit.

§. 292.

An absens possidere possit. Quoniam res possidetur, etiamsi per alium dominium exerceatur (§. 291.); *absens* quoque *rem possidere potest.*

l. 1. §. 24. de vi et vi armata

§. 293.

De possessione rerum mobilium & incorporalium. Et quia possessio a potentia exercendi dominium dependet (§. 291.); *res mobilis tamdiu possidetur, quamdiu in custodia tua est*: & cum *res incorporales* aliter detineri non possint, nisi quatenus iisdem actu uteris (§. 121.); eædem *possidentur usu & facultate physica utendi, atque prohibendi, ne utatur alius.*

l. 20. de usufruct.

§. 294.

De modo originario possessionem acquirendi. Quoniam occupando res nullius rediguntur in eum statum, ut de iis pro arbitrio disponi possit (§. 210. 195.), occupatione autem dominium rerum originarie acquiritur (§. 210.); *rerum nullius possessio acquiritur cum domino uno eodemque actu*, atque *hic modus acquirendi possessionem originarius est*, quo scilicet acquiritur possessio earum rerum, quæ in nullius adhuc possessione fuerunt.

§. 295.

§. 295.

Possessio titulata dicitur, quæ habet titulum. Dicitur autem *Titulus* ratio legalis, per quam patet, factum quoddam tale jus parere posse; ipsum vero factum, quo juris reddimur participes, *Modus acquirendi* est. Unde patet, *possessionem rei nullius occupando acquisitam esse titulatam*; cum vi legis naturæ occupando cum dominio acquiratur possessio (§. 294.). *De possessione titulata & titulo.*

§. 296.

Cum possessio amittatur, si res perveniat in eum statum, quo dominium exercere nequis (§. 291.); *si quis in re tua immobili dominium exercet, vel jus tibi competens, nec patitur, ut tu idem exerceas, possessionem amisisti.* Enimvero quoniam possessio retinetur, quamdiu dominium exercere potes (§. 291.), consequenter non pateris, ut alius te invito idem exerceat, nec ut tu utaris, nemo prohibere potest; *solo non-usu possessio non amittitur.* *De amissa possessione rei immobilis & incorporalis.* L. 25. §. 2. de acq. l. amitt. r. p.

§. 297.

Possessio dicitur *turbari*, si possessor impeditur in exercitio dominii quoad unum *De turbatione possessionis.*

unum alterumue actum ipsi permittendum quocunque modo, non tamen id totum ipsi adimitur. Vocatur autem *Turbatio verbalis*, quæ fit verbis; *realis*, quæ in facto quodam consistit. Et *vis*, qua possessio turbatur, *turbativa* vocatur; sicuti *expulsiva*, qua quis de possessione dejicitur; & *compulsiva*, qua ad cedendam alteri possessionem adigitur. Quoniam possessori liberum relinquendum dominii exercitium (§. 288.); *turbatio possessionis tam verbalis, quam realis illicita.*

§. 298.

De quasi possessione. Res incorporales *quasi possideri* dicuntur, quatenus earum possessio fingitur ad analogiam possessionis rerum corporalium, cujus fundamentum est potentia physica ad eos actus, quos edendi facultas seu potentia moralis est jus domino competens.

§. 299.

De jure possessionis amisso. Cum jus possessionis oriatur ex possessione (§. 287.); *amissa possessione, amittitur quoque jus possessionis*, consequenter *jura possessionis conservantur, quamdiu conservatur possessio.*

CAPUT



CAPUT IV.

DE
JURE EX COMMUNIONE PRIMÆVA RESIDUO.

§. 300.

Jus ex communione primæva residuum vocatur, quod, poſtquam dominia rerum introducta ſunt, nobis adhuc competit in eas res, quæ ſunt in aliorum dominio. Diſtinguitur itaque a communione primæva, quæ adhuc quoad res certas non occupatas, vel non occupabiles ſubſiſtit. *Jus ex communione primæva reſiduum quid ſit.*

§. 301.

Quoniam communio primæva ſublata eſt acquiſitione originaria dominiorum (§. 194. 210.), conſequenter occupatione (§. 210.); *quæ occupari vel non potuerunt, vel non debuerunt, ea adhuc in communione primæva ſunt*, ſeu *res hominum omnium communes*, ſeu, quod perinde eſt, *quoad haſce res communio primæva adhuc ſubſiſtit*. *In quibusnam rebus communio primæva adhuc ſubſiſtat.*

§. 302.

Res uſus inexhauſti dicuntur, quarum uſus omnibus ſufficit hominibus, & iisdem patet, quoties eodem indi- *De rebus uſus inexhauſti.*

gent. Quoniam dominus uſu rei ſuæ excludit ceteros omnes (§. 195.), uſus vero rerum, qui omnibus patet, quoties eodem indigent, ceteris omnibus ab uno auferri minime potuit (§. 74.); *res uſus inexhauſti occupari non debuerunt* (§. 210.), conſequenter *in iis communio primæva adhuc ſubſiſtit.* Quamvis itaque dominia rerum introducta ſunt, *aër*, tamen, *aqua profluens & lumen ſolis ſunt adhuc res omnium communes.*

§. 303.

Cur limitari & defendi neſcium commune manſerit, veluti mare.

Similiter quia vi dominii excluduntur ceteri omnes uſu illius rei, quæ eſt in dominio (§. 195.); *quod dominio ſubjiciendum limitatum eſſe debet, quod vero limites omnes reſpuit, dominio ſubjici nequit.* Et cum dominus prohibendi jus habeat, ne quis ſe invito re ſe utatur (§. *cit.*); ideo neceſſe eſt, ut dominium ſuum tueri poſſit. *Quicquid* igitur *ita comparatum eſt, ut dominium in eo tueri non detur, id eidem ſubjici non potuit.* Atque hinc patet, *mare vaſtum in communione primæva manſiſſe, etſi partes quædam terræ continenti adjacentes occupari potuerint* (§. 302.).

§. 304.

§. 304.

Cum quæ tacita exceptione dominia introducta.

Jus ad usum rerum naturalium necessarium cum omni homini natura competat (§. 186.), & lex naturæ etiam det jus ad usum necessarium rerum industrialium & artificialium (§. 188.); nemini auferendum (§. 74.). *Introductione* igitur *dominiorum nemini auferri penitus potuit usus rerum necessarius*, consequenter *dominia introduci non potuerunt, nisi cum tacita hac restrictione, ut, si in casu emergente contingat alicui penitus auferri necessarium rerum usum, eidem jus aliquod competat in eas res, quæ sunt in dominio.* Dominia nimirum non introducta sunt, ut quis penitus carere cogatur usu rerum necessario, sed ut de eodem melius prospiceretur universis (§. 194.).

§. 305.

De rebus necessariis in extrema necessitate domino auferendis.

Quodsi ergo *quis penitus destituatur usu rerum necessariarum, nec in potestate ipsius sit, ut eas æquo pretio vel præstitis operis sibi comparet, neque etiam eas precibus ab aliis impetrare possit; in statu naturali eas alteri inscio ac invito auferre, immo vi eripere licet, qui iisdem carere potest* (§. 304.). Quon-

iam igitur hoc jure tuo facis, quod ex communione primæva residuum est (§. 300.); *furtum & rapinam non committis.* Extrema nimirum necessitas jus petendi vertit in jus cogendi, ut detur.

§. 306.

De obligatione inde nascente. Quoniam vero hoc jus, cui sola necessitas extrema locum facit, ultra usum necessarium, cujus causa datur (§. 304.), extendendum non est; *si res usu non consumitur, finito usu restituenda; quodsi usu fuerit consumta, cessante autem necessitate, tantundem ejusdem generis, vel aliud æquivalens, restitui, aut æstimatio præstari possit, hoc faciendum.*

Grot. L. 2. c. 2. §. 9.

§. 307.

Vis necessitatis in rebus ab alio comparandis. Hinc porro facile patet, *necessitatem extremam dare jus cogendi alterum, ut pro æquo pretio, aut re, quæ tantundem valet, res detur.* Ita e. gr. in annonæ difficultate, qui frumento abundant, ad vendendum cogi possunt, & qui annonam incendit, ad æquo pretio frumentum vendendum, cogi potest.

§. 308.

Jus necessitatis. Jus, cui sola necessitas locum facit ad actus quosdam alias non licitos, pro-

propterea quod ſine iis obligationi cuidam indiſpenſabili ſatisfieri nequit, *Jus neceſſitatis* dicitur. Atque hinc patet, *actum illum, ad quem neceſſitas jus dat, eſſe debere medium unicum ſatisfaciendi obligationi cuidam indiſpenſabili*, nec minus manifeſtum eſt, *jus neceſſitatis ipſa lege naturæ nobis dari* (§. 46.). Abſonum itaque videri minime debet, jus quoque neceſſitatis quoad uſum rerum neceſſarium introductis dominiis reſiduum manſiſſe, quippe quod eorum introductione violari minime potuit (§. 74.).

§. 309.

Exempla hujus iuris particularia.

Multæ hinc ſolvuntur quæſtiones particulares, quales videas in Jure naturæ a nobis edito c. 4. part. 6. Ita ſi in navigatione, aut obſidione defecerint cibaria, quod quisque habet, in commune conferre debet; ſi adverſus aggreſſorem te defenſurus deſtituaris armis, inconſulto, immo contradicente domino, arripere licet aliena; idem valet de inſtrumentis alienis ad reſtinguendum incendium; de perdendis rebus aggreſſoris, vis injuſtæ depellen-

dæ causa, & de perdenda re aliena, communis periculi non aliter depellendi causa.

§. 310.

De altera tacita exceptione, cum qua dominia introducta. Similiter cum in communione primæva, si plures ejusdem rei usum simul participare possunt, participatio promiscue volentibus permittenda (§. 187.), introductione autem dominiorum jus commune tolli ac restringi non potuerit, quam necesse fuit (§. 74.); *dominia rerum introduci non potuerunt, nisi cum tacita hac restrictione, ut alteri concedatur usus innoxius rei, quæ est in dominio. Vi* autem *libertatis naturalis domino permittendum est judicium, an usus alteri concedendus sit sibi innoxius, nec ne* (§. 78.), hoc est, an sine detrimento ac molestia concedi possit.

§. 311.

Jus innoxiæ utilitatis. Jus ad usum rerum innoxium, quæ sunt in dominio alterius, nobis competens dicitur *Jus innoxiæ utilitatis.* Patet itaque, *jus innoxiæ utilitatis esse jus ex communione primæva residuum* (§. 310. 300.), *idque imperfectum* (§. 80.).

§. 312.

§. 312.

Istiusmodi *jura innoxiæ utilitatis sunt transitus ob justas causas per terras & flumina dominio subjecta, tam personis, quam mercibus concedendus; jus ob justas causas ibidem commorandi*, veluti studiorum, aut sanitatis recuperandæ causa, *habitatio concedenda sedibus expulsis & receptum quærentibus, nisi rationes singulares obstent.* *Jura specialia innoxiæ utilitatis.*

CAPUT V.

DE MODO ACQUIRENDI DERIVATIVO.

§. 313.

Modus acquirendi derivativus dicitur, quo acquiritur dominium rerum in dominio jam existentium. Quoniam domino competit jus dominium rei suæ in alium transferendi (§. 257.), & alteri jus in re sua constituendi (§. 260.); *modus acquirendi derivativus datur.* *Modus acquirendi derivativus.*

§. 314.

Quoniam domino competit jus de re sua pro lubitu disponendi (§. 195.); *a voluntate ipsius unice dependet, in quem* *De modo transferendi dominium.*

& quomodo dominium, aut jus quoddam suum transferre velit, utrum cum, an sine exclusione sui; an revocabiliter, ut scilicet alterum jure translato rursus excludere possit, quando visum fuerit, *an irrevocabiliter; utrum in personam immediate, ~~vel~~ an in rem alienam,* ita nimirum ut mediante re competat possessori ejus cuicunque; *utrum in personam certam, an in incertam,* ut scilicet jus acquirat, qui voluerit ac potuerit, quemadmodum in missilibus fit; *utrum absolute, an sub quacunque conditione; utrum in perpetuum, an in certum diem; utrum gratis, an ut vicissim aliquid detur, vel fiat.*

§. 315.

De conditionum differentia.

Est autem *conditio causalis*, quæ a casu vel fortuna, aut ab arbitrio hominis juri nostro minime subjecti tota pendet; *potestativa*, quæ pendet ab arbitrio ejus, in quem dominium, sive jus transferendum; *mixta*, quæ partim casualis, partim potestativa. Est præterea *conditio* vel *suspensiva*, quæ actus perfectionem differt, donec certum fuerit, eam existere; vel *resolutiva*, quæ actus jam perfecti durationem restringit

git ad illud tempus, quo eam extare certum est. Appellatur autem *Conditio negativa*, quæ supponit aliquid non esse, vel non fuisse, vel non eventurum. *Existit* itaque *conditio negativa*, si id non sit, vel non fuerit, vel non evenit. Est etiam *conditio* alia *turpis*, quæ supponit a te fieri debere, quod lege prohibetur; alia *honesta*, quæ supponit a te fieri debere, quod lege non prohibetur, aut quæ in facto honesto consistit.

§. 316.

De acceptatione. Quoniam vi libertatis naturalis unicuique permittendum, ut suum in agendo judicium sequatur (§. 78.); *si dominium, vel jus quoddam in alium transferendum, ab ejus unice voluntate dependet, utrum id habere velit, an nolit.* Cum itaque *accipere*, vel *acceptare* dicatur, qui verbis vel factis sufficienter declarat, velle sese, ut detur, vel fiat, quod alter se dare, vel facere velle declarat; *ad translationem dominii vel juris requiritur acceptatio.*

§. 317.

Quæ naturaliter ad Ex hactenus dictis intelligitur, *naturaliter transferri dominium*, *vel jus*

 quod-

translationem dominii sufficiant. *quoddam in acceptantem, nuda voluntate domini sufficienter declarata* (§. 314. 316.), cumque a voluntate transferentis dependeat, quomodo jus quoddam transferre velit (§. 314.), *acceptatione non plus juris acquiri posse, quam transferens in eum transferre voluit.*

§. 318.

Quomodo de voluntate alterius statuendum. Quoniam vero de voluntate alterius constare nobis nequit, nisi quatenus eandem sufficienter declarat; *quod verbis, vel alio quocunque modo sufficienter significatur, id contra ipsum pro vero habetur.*

§. 319.

Quando acceptatio præcedat. *Acceptatio* autem *præcedit*, *si quis petit, ut alter sibi quid det, vel faciat, & hic petenti annuit*: superfluum enim foret, acceptationem repetere, altero annuente petenti.

§. 320.

De modo acquirendi possessionem. Quia domino competit jus possidendi (§. 200.); *cum dominio rei transfertur & acquiritur etiam jus possidendi*, consequenter cum sine possessione dominium exerceri nequeat (§. 200. 195.),

195.), *dominio translato, transferens* quoque *obligatur ad transferendam possessionem.* Quamobrem cum actus, quo transfertur possessio, *Traditio*; actus vero, quo possessio acquiritur, *Apprehensio* appelletur; *translato dominio res* quoque *tradenda & apprehendenda.* Atque hinc patet, *ad translationem dominii naturaliter non requiri traditionem.*

§. 321.

Quoniam traditione transfertur possessio (§. 320.); *ea consistit in actu quocunque, quo res redigitur in eum statum, ut, qui eandem acquisivit, habeat potentiam physicam de eadem pro lubitu disponendi*, seu *dominium actu exercere possit* (§. 200.). *In quonam traditio consistat.*

§. 322.

Patet itaque, *rem mobilem tradi, si transferens dominium eam manu porrigit, & acceptans eandem manu apprehendit*, item *si transferens eam te auferre jubet; rem vero immobilem, si te rem certam possidere jubet, & in ea te dominium exercere patitur, vel eam e longinquo demonstrat, ut apprehendere possis, vel permittit, ut res maneat in pote-* *Diversi rem tradendi modi.*

potestate tua, quæ quacunque de causa in ea est, vel documento quodam literario declarat, se possessionem in te transferre & passurum, ut dominium in eo exerceas, aut hujus exercendi causa in rem immobilem te introducit, qui actus proprie *Immissio in possessionem* dicitur; *rem* denique *incorporalem, sive jus, si id te exercere patitur* (§. 321.). Hinc porro facile intelligitur, quot diversis modis res mobiles, immobiles & incorporales apprehendantur. *Apprehensio* nimirum consistit in actu, quo acquiritur potentia physica dominium in re corporali, vel jus in se translatum exercendi.

§. 323.

De traditione brevi manu facta.

Res tradi dicitur *brevi manu*, quando actus traditionis inesse intelligitur alii cuidam actui, quo aliud quid agitur ad dominii exercitium spectans, veluti si dominium transferens rem manere permittat in potestate accipientis tanquam ipsi propriam, quæ jam alia quacunque de causa in potestate ipsius est. Quod vero brevi manu a transferente traditur, id ab accipiente *brevi manu apprehenditur*.

§. 324.

§. 324.

De traditione longa manu facta.

Ex adverso *Res longa manu tradi* dicitur, quando res tradenda oculis tuis subjicitur eo fine, ut eam apprehendas, consequenter ut possessionem acquiras. Et *longa manu apprehendi* dicitur, quod longa manu traditur. Exemplo loco esto, si transferens rem certam tradendam e longinquo demonstrat.

§. 325.

De re & persona certa.

l. 10. de auro [illegible] arg. legat. §. 27. J. de leg.

Vocatur autem *Res certa*, quæ sufficienter quomodocunque indigitatur, ut ab aliis sui similibus distingui possit: quo eodem sensu *Persona* etiam *certa* dicitur.

§. 326.

De traditione symbolica.

Traditio symbolica dicitur, quæ fit per symbola, quando nimirum loco rei tradendæ traditur res alia, quæ istam significat, veluti si traduntur claves, quibus cista reseratur, in qua res tradendæ absconditæ. Patet autem, cum signa arbitraria sint, traditionem symbolicam fieri posse per rem quamcunque. Cum symbola nullum habeant effectum nisi a mutua transfe-

rentis

rentis & accipientis voluntate; *traditio ſymbolica naturaliter ſuperflua videtur*, *niſi quatenus declaratio voluntatis mediante ſymbolo efficitur magis certa*, cum ſcilicet per ea magis conſtet, quid actum fuerit.

§. 327.

De operarum communicatione.

Operarum communicatio dicitur eorundem in uſum aliorum collatio. Quoniam actiones hominis liberæ aliis utiles dominiis introductis æquiparantur rebus, quæ ſunt in dominio noſtro, conſequenter operæ, quæ præſtantur in utilitatem aliorum (§. 225.); *operarum communicatio translationi dominii*, conſequenter *dationi æquiparatur* (§. 258.), & *introductis dominiis facere perinde eſt ac dare*, quatenus nimirum facta perinde ac res certo pretio æſtimantur.

§. 328.

Præſtare quid ſignificet.

Præſtare, ſignificatu generali, idem eſt ac dare & facere. Dicuntur ideo præſtari tam res, quam facta.

§. 329.

Obligatio mutua ad dandum

A poſteriori abunde patet, introductis rerum dominiis neminem res omnes per ſe habere poſſe, quæ ad vitæ

vitæ necesſitatem, commoditatem ac jucunditatem, immo & animæ perfectionem acquirendum requiruntur, & non minus opera aliorum, quam rebus alienis quemlibet indigere: hanc autem indigentiam tanto majorem eſſe, quanto longius a vitæ ſimplicitate receditur. Quamobrem cum homines conjunctis viribus ad ſe ſtatumque ſuum perficiendum obligemur (§. 44.); *dominiis introductis ad dominia transferenda & operas communicandas ſibi invicem obligantur*, *ſeu ad dandum & faciendum*, *prouti unusquisque re vel opera alterius indiget.* Quoniam vero in colliſione officiorum officium erga ſeipſum vincit officium erga alios (§. 64.); *nemo alteri dare tenetur rem, qua ipſe indiget*, *nec obligatur ad faciendum*, *quando non vacat.* *& faciendum.*

§. 330.

Cum *in communione poſitiva* omnes conjunctim ſint dominus rei indiviſæ (§. 196.); *dominium* quoque *exerceri nequit*, *niſi omnium conſenſu*, *qui in eadem ſunt* (§. 195.), conſequenter *nec res communis alienari poteſt*, *niſi omnium conſenſu* (§. 257.). Quoniam tamen jus, quod *De alienatione rei communis.*

c. 56. de reg. Iuris in 6.

quod unusquisque pro rata in re indivisa habet, singulorum proprium est, spectandum instar rei incorporalis in dominio existentis (§. 206.); *de jure suo, quod quis pro rata habet in re divisa, pro lubitu disponere potest, quatenus id fieri potest salva communione, seu sine præjudicio ceterorum* (§. 269.). Quamobrem *jus* quoque *suum, quod pro rata habet in re indivisa, in alium transferre, seu alienare potest* (§. 257.), *non vero in ea parte, pro qua dominus est, a toto separata:* jus enim in parte separata minime habet.

§. 331.

An datum repeti possit.

Cum voluntate transferentis & accipientis sufficienter declarata jus, quod transfertur, fiat accipientis (§. 317.), invito rursus auferri nescium (§. 100.); *quod datum est, repeti nequit, nec transferenti pœnitere licet.* Quodsi certa lege quid fuerit datum, cum acceptans plus juris acquirere non potuerit, quam transferens in ipsum transferre voluerit (§. 317.); *lex dationi adjecta servanda.*

§. 332.

De datione in diem & conditionata.

Quodsi ergo *quid datur in certum diem, die veniente restituendum, &, si datur sub certa*

certa conditione ſuſpenſiva, dominium non ante tranſit, quamvis re tradita, niſi conditione exiſtente, conſequenter *ſi ea poteſtativa fuerit, adimplenda, conditione autem non exiſtente, quod datum reſtituendum* (§. 315.): *id quod etiam fieri debet, conditione reſolutiva exiſtente* (§. *cit.*). Accipiens nimirum ad reſtitutionem ſe obligaſſe intelligitur & transferens ſibi reſervavit jus ad eandem (§. 97.).

§. 333.

De precario. Jus pro lubitu, ſeu, quandocunque viſum fuerit, revocabile in alium translatum dicitur *Precarium*. Quamobrem *precarium non eſt, ſi certum* (l. 12. de precar.) *tempus adjicitur, intra quod revocari non debeat*; cum tunc in certum diem datum intelligatur, ante eum non repetendum (§. 332.). *Precarium* vero *quovis momento revocabile* (§. 318.), *accipiens concedenti ſe obligaſſe intelligitur ad rem reſtituendam pro lubitu repoſcenti* (§. *cit.* & §. 97.).

§. 334.

De jure in re. *Jus in re* dicitur, quod in rem ipſam nobis competit, conſequenter cum jus ſit facultas moralis agendi (§. 46.),

idem *consistit in facultate morali pro lubitu disponendi vel de re ipsa, vel de aliquo ejus usu, vel fructu inde percipiendo, vel de omnibus istis simul.* Quamobrem *dominium & jus ad quemlibet actum ad exercitium ejusdem spectantem est jus in re* (§. 195.). Patet etiam, *communionem primævam fuisse jus in re* (§. 186.), *& jus in re aliena constitutum* (§. 260.), *atque jus possessionis esse jus in re* (§. 288. & seqq.).

§. 335.

De jure ad rem.

Jus ad rem dicitur, quod habemus ad id, ad quod præstandum alter nobis obligatus est. Quoniam nobis competit jus ad certas præstationes nobis alterum obligandi, & inde jus perfectum ad eas acquirimus (§. 97.), ac præterea jam in anterioribus vidimus passim, homines sibi invicem ex facto quodam suo obligari ad certas præstationes; *jus ad rem, idque perfectum utique datur.* Cumque in Jure naturæ habeatur quoque ratio officiorum humanitatis (§. 61.), ad quæ obligatio imperfecta est (§. 80.); *jus* quoque *ad rem imperfectum* datur, nimirum quod homini

com-

competit ad id, ad quod alter ipsi imperfecte obligatur.

§. 336.

Qui nobis ad aliquid præstandum perfecte obligatur, *Debitor* dicitur; id autem, ad quod præstandum obligatur, *Debitum*. Quamvis etiam *imperfecte debitum* dicatur, ad quod præstandum alter nobis imperfecte obligatur: qui tamen imperfecte obligatur, *Debitor* vocari non solet. *Debitor & debitum.* l. 108. d. V. S.

§. 337.

Jus, nimirum ad rem, *remittere* dicimur, si sufficienter significamus, nos nolle, ut alter nobis præstet, ad quod præstandum obligatur. Dicitur etiam *remitti* eodem sensu ipsum *debitum*. *Remissione* igitur *juris debitor ab obligatione sua liberatur & jus tuum extinguitur, jus autem nemini acquiritur.* Per se patet, *posse etiam remitti partem juris, si id, quod debetur, in partes dividi potest.* *De remissione juris.* l. 17. §. 1. de pactis. L. 7. de leg. liberatâ.

§. 338.

Translatio juris sui ad rem in alium *Cessio* dicitur; & transferens *Cedens*; is vero, in quem transfertur, *Cessionarius* appellatur. *Fit* itaque *cessio mutuo con-* *De cessione juris.*

ſenſu cedentis & ceſſionarii ſufficienter declarato (§. 317.). Cum jus ad rem ſit res incorporalis (§. 121.), quæ eſt in dominio cedentis (§. 206.); *ceſſio fieri poteſt inſcio, immo invito debitore*, præſertim cum, ceſſionario in locum cedentis ſuccedente, *nihil in obligatione debitoris mutetur*.

§. 339.

De repudiatione juris.

Jus repudiare dicitur, qui ſufficienter ſignificat, ſe jus ſibi delatum habere nolle. Dicitur autem *Jus tibi deferri*, quod num accipere, ſeu acquirere velis, an nolis, in ſolo tuo arbitrio poſitum eſt. *Jus* igitur, *quod repudiatur*, *repudians non transfert in alium.*

§. 340.

De Renunciatione.

Juri ſuo renunciare dicitur, qui ſufficienter ſignificat in gratiam alterius, ſe jus quæſitum habere nolle. Dicitur autem *Jus quæſitum*, quod actu nobis competit. *Renuncians* igitur *ſe ei*, *cui renunciat*, *obligat*, *quod jure ſuo adverſus ipſum uti nolit*, *& hic acquirit jus non patiendi*, *ut eodem utatur* (§. 46.), *jus vero ſuum renuncians in ipſum non transfert.*

§. 341.

§. 341.

Jure ſuo ſe abdicare dicitur, ſi quis ſua ſponte declarat, ſe jus quoddam, quod in alium transferre nequit, diutius habere nolle, veluti ſi magiſtratum ante tempus deponit.

De abdicatione juris. l. 2. §. 24. Del

§. 342.

Cum quilibet de jure ſuo, tanquam re incorporali (§. 121.), in dominio ipſius exiſtente (§. 206.), pro lubitu ſuo diſponere poſſit (§. 195.); *a cujuslibet voluntate dependet, num jus ſuum remittere, alteri cedere, repudiare, abdicare, aut in gratiam alterius ei renunciare velit, modo nil committatur, quod eſt contra jus tertii* (§. 86.), veluti ſi remiſſio fiat in fraudem creditorum.

An remiſſiones, ceſſiones &c. juris ſint licitæ.

§. 343.

Quando res communis dividitur, cum ſublata communione unusquisque dominium acquirat in parte diviſa, conſequenter ſeparatum; *tot oriuntur dominia, quot ſunt perſonæ*, cumque *partes diviſæ* nullam amplius relationem ad ſe invicem retineant, eædem *non amplius ſpectantur tanquam partes*: quæ nimirum antea fuerant plu-

De dominiis ex diviſione communium oriundis.

rium communia, ea divisione fiunt singulorum propria.

§. 344.

De divisione rei communis, quæ dividi nequit.

Quodsi res communis dividenda dividi nequeat, & quilibet, qui in communione est, integram habere velit, cum neuter alteri dominium in parte sua cedere teneatur (§. 342.); *negotium naturaliter exitum habere nequit.* Quodsi ergo exitum habere debet, *necesse est, ut consensu eorum, qui sunt in communione, definiatur modus, quo determinari debeat, cuinam sit assignanda*, veluti ut sorte dirimatur, quinam rem habere debeat.

§. 345.

An quis cogi possit, ut maneat in communione.

Quoniam in communione de re communi disponi nil quicquam potest, nisi omnium consensu (§. 330.), & ut negotia exitum habere possint, voluntas plurium, seu partis majoris habenda est pro omnium voluntate; facile patet, in communione non liberam esse unicuique pro rata disponendi facultatem. Quamobrem cum libertati naturali, a qua pendet libera disponendi facultas in dominio (§. 195.), maxime adversetur, ut quis invitus ma-

maneat in communione; *nemo* quoque *cogi potest, ut invitus in communione maneat, nisi jus commune ea lege acquisitum, ut commune maneat* (§. 317.).

CAPUT VI.

DE ANIMI SUI SENSIS ALTERI SIGNIFICANDIS.

§. 346.

De communi usu loquendi.

Animi nostri sensa alteri significamus, vel verbis, vel signis aliis, vel etiam factis, seu actionibus externis. *Qui* ergo *ab aliis vult intelligi, vocabulis uti debet, prout fert usus loquendi*, consequenter *qui ad mentem suam alteri significandum obligatur, vocabulis uti debet in eo significatu, qui usui loquendi convenit.*

§. 347.

De veritate morali & veriloquio.

Convenientia verborum cum cogitationibus nostris dicitur *Veritas moralis*; & *moraliter verum loqui*, qui ea cogitat, quæ se cogitare dicit; sermo autem moraliter verus *Veriloquium*. Differt itaque a *Veritate logica*, quæ est convenientia nostrarum cogitationum cum objecto; ita ut *logice verum* sit, si,

quod esse, vel non esse cogitamus, id etiam est, vel non est. Quamobrem cum veriloquium non supponat veritatem logicam; *veritas logica per veriloquium probari nequit, & si, quod esse putas, dicis, cum non sit, & contra, moraliter verum loqueris, logice falsum.*

§. 348.

De falsitate morali. Ex adverso disconvenientia verborum cum cogitationibus nostris vocatur *Falsitas moralis*; & *moraliter falsum loqui* dicitur, qui aliter cogitat, quam se cogitare dicit; sermo autem moraliter falsus *Falsiloquium.* Differt itaque a *Falsitate logica*, quæ est disconvenientia nostrarum cogitationum cum objecto; ita ut *logice falsum* sit, si quod esse cogitamus, non est, & contra. Quamobrem cum falsiloquium non supponat falsitatem logicam; *si quod non esse putas, esse dicis, cum sit, vel quod esse putas, cum non sit, non esse dicis, moraliter falsum loqueris.*

§. 349.

Actio sincera, simulatio, *Actio externa sincera* vocatur, quæ cum interna consentit; dissensus autem actio-

actionis externæ ab interna *Simulatio*; sicuti occultatio actionis tam internæ, quam externæ, sive positivæ, sive privativæ, quomodocunque facta, *Dissimulatio*. Simulatio autem intentionis, quando scilicet falsam significamus, non veram, *Prætextus*, a nonnullis *Obtentus* appellatur. *dissimulatio, prætextus.*

§. 350.

Patet itaque, *veriloquium esse sermonem sincerum, falsiloquium sermonem simulatum* (§. 347. 348. 349.). Patet etiam porro, *prætextum esse quandam speciem falsiloquii*, sicuti *intermissio sermonis eo fine facta, ne animi nostri sensa alteri pateant, ad dissimulationem accedit* (§. 349.). *Qualis sermo sit veriloquium & falsiloquium.*

§. 351.

Mentiri dicitur, qui moraliter falsum loquitur, quando ad verum loquendum, seu animi sui sensa significandum alteri obligatur; atque ideo *Mendacium* est falsiloquium pugnans cum obligatione, qua tenemur alteri ad animi nostri sensa significanda, consequenter quo violatur jus alterius ex ista obligatione ortum (§. 46.). *Reticen-* *Mendacium & reticentia.*

tia vero vocatur silentium de eo, ad quod dicendum obligamur: *quæ* ideo quoque *est contra jus alterius.*

§. 352.

De moralitate veriloquii, mendacii & reticentiæ.

[L. 5. §. 6. C. ad L. Jul. Majest. L. 1. §. 1. de aedilitio Edicto

Cum ab obligatione tam naturali (§. 42.), quam contracta nemo se liberare possit (§. 100.); *si officio cuidam* (§. 57.), *vel obligationi contractæ satisfacere nequeamus, nisi alteri animi nostri sensa patefaciamus, ad moraliter verum loquendum*, consequenter *ad veriloquium obligamur* (§. 347.), *atque* ideo *tam falsiloquium* (§. 348.), *quam reticentia illicita est* (§. 351.). Et hinc patet, *omne mendacium esse illicitum* (§. *cit.*). Ex adverso autem cum lex naturæ det jus ad ea, sine quibus obligationi nostræ satisfacere non possumus (§. 46.); *si vel officio cuidam, vel obligationi cuidam contractæ satisfacere nequeamus, nisi animi nostri sensa celando, vel moraliter falsum loquendo, utrumque licitum est* (§. 49.), *atque tum falsiloquium mendacium non est* (§. 351.). Et quia vi libertatis naturalis unicuique permittendum, ut in determinandis actionibus suis suum sequatur judicium, modo nil faciat, ad

quod

quod non faciendum tibi obligatur (§. 78.), & libertas naturalis non tollit obligationem naturalem (§. 77.); *si alteri ad patefacienda animi tui sensa non obligaris, nec, ut id facias, requirat officium quoddam erga teipsum, vel erga alios, veritatem celare licet.*

§. 353.

De ambiguitate in loquendo. *Ambigue loqui* dicitur, qui utitur verbis, quæ ex communi usu loquendi plures admittunt significatus: *id quod imprudentiæ est, si alteri tui animi sensa significare volueris* (§. 21.), *ac* per consequens *vitandum, si vero prævides alterum, cui animi tui sensa patefacere obligaris, ea accepturum in significatu a mente tua discrepante, & dolose hoc intendis* (§. 17.), *ambiguitas in loquendo mendacio æquipollet* (§. 351.), consequenter *illicita est* (§. 352.). Patet vero porro, *ambiguitatem in loquendo esse licitam in eo casu, in quo falsiloquium licitum* (§. 352.).

§. 354.

De ænigmatis. *Allegoria* est sermo constans vocabulis, quæ a significatu proprio ad aliud quid significandum transferuntur

pro-

propter rerum ſimilitudinem. Allegoria obſcurior, in qua improprius verborum ſignificatus ambiguus, *Ænigma* dicitur. *Faciunt* itaque *ænigmata ad exercendum ingenium*, quippe quod eſt facilitas obſervandi rerum ſimilitudinem: & *quando ambiguitas in loquendo licita, vel illicita* (§. 353.), *ænigmatica* quoque *dictio licita, vel illicita.*

§. 355.

De reſervationibus mentalibus.

Verba aperta dicimus, quæ ore proferuntur, vel ſcribuntur, ut percipi poſſint ab aliis; *tacita* vero, quæ mente reſervamus, ut nonniſi a nobis percipiantur, ſcilicet non aliis, ſed nobis loquentes. Sermo moraliter verus conſtans verbis partim apertis, partim tacitis, ita ut illa ingenerent animo audientis falſam opinionem, hæc vero illorum ſenſum detorqueant in verum huic contrarium, *Reſervatio mentalis* dicitur. *Sunt* itaque *reſervationes mentales veriloquium nonniſi reſpectu ejus, qui loquitur* (§. 347.), *aſt falſiloquium reſpectu ejus, ad quem ſermo dirigitur* (§. 348.), conſequenter *mendacio æquipollent, quando ad animi noſtri ſenſa alteri indicanda*

canda obligamur (§. 351.), *in eo autem casu, quo falsiloquium licitum* (§. 352.), *inutiles.* Ceterum facile patet, *reservationibus mentalibus accensendum non esse sermonem, si is, ad quem sermo dirigitur, facile colligit ex verbis apertis, vel substrata materia mente reservata.*

§. 356.

Fallere alterum dicitur, qui verbis vel factis alterum inducit, ut pro vero habeat, quod non est. Hinc *Simulatio* definiri poterat, quod sit factum; *Falsiloquium*, quod sit sermo, quo alterum fallere intendimus. ***Fallere quid sit.***

§. 357.

Cum ab obligatione naturali nemo liberari possit (§. 42.); *si ad veriloquium obligamur* (§. 352.), *metu periculi nobis, vel aliis imminentis moraliter falsum, vel ambigue loqui, aut ænigmatice respondere non licet: ast licet, si ad veriloquium non obligamur* (§. 269.). ***An metus periculi falsiloquium licitum faciat.***

§. 358.

Arcanum dicitur, quod ab aliis ignorari volumus, vel etiam velle debemus. Et *arcana sua alteri committere* dicitur, ***De arcanis alteri committendis &***

tur,

non prodendis. tur, qui ea ipsi sub spe, vel fide silentii, hoc est, sub conditione vel tacita, vel expressa, ne dicat aliis, patefacit: ast *prodere arcana alterius*, qui sibi commissa nota facit aliis. *Quodsi nulla urget necessitas, ut arcana tua alteri committas*, qualis est, si consilio, vel opera alterius indiges in exequendo eo, quod decrevisti, cum tutius sit, ea non committi, quam ut committantur, ne ullus prodendorum metus supersit; *ea committenda non sunt: commissa* vero *nunquam prodenda* (§. 269.), *præsertim si ad non prodenda te committenti obligasti* (§. 97. 100.).

l. 1. §. 1. de praevaricat.

§. 359.

De moralitate simulationis, dissimulationis & prætextus. Cum simulando & moraliter falsum loquendo idem intendamus, nimirum ut alter de animi nostri sensis contrariam concipiat opinionem (§. 348. 349.); *quando falsiloquium licitum, vel illicitum, etiam simulatio licita, vel illicita.* Similiter cum celando animi nostri sensa & dissimulando idem intendatur, scilicet ne ea patefiant alteri (§. 349.); *quando animi nostri sensa alterum celare licet, etiam dissimulatio licita.* Cum

præ-

prætextus species falsiloquii sit (§. 350.); *de moralitate prætextus eadem valent, quæ de moralitate falsiloquii.*

§. 360.

Verba temeraria dicuntur, quæ nullo fine proferuntur; & *Facta temeraria*, quæ nullo fine committuntur. *Nullo* nimirum *fine fieri* dicuntur, in quibus nulla spectatur nostra, vel alterius utilitas, quæ nimirum instar finis a loquente, vel faciente intenditur. Cum homines obligentur actiones suas dirigere ad sui aliorumque perfectionem & ad status sui atque alieni perfectionem, ac eandem conjunctis viribus promovere (§. 43. 44.), sermo autem medium est, quo animi sui sensa eum in finem patefacere tenentur, quod per se patet; ideo non modo in loquendo, verum etiam in faciendo spectanda est aliqua utilitas sive nostra, sive aliena ex illa perfectione, tanquam fine ultimo, æstimanda. Unde haud difficulter conficitur, *verba & facta temeraria legi naturæ parum convenire*, consequenter *nec temere loquendum, nec temere quicquam faciendum esse.* Patet idem, præ-

De verbis & factis temerariis.

præſertim de verbis, per obligationem determinandi actiones liberas per easdem rationes finales, per quas naturales determinantur (§. 43.).

§. 361.

Aſſeveratio & juramentum quid ſit. *Quodſi quis dubitet, te moraliter verum loqui, nec conſtare poſſit ex eo, de quo verba fiunt, vel aliunde, veluti per teſtes*, cum nemo norit cogitationes tuas, niſi tu ipſe, qui earum tibimet conſcius es, & Deus; *id aliter probari nequit niſi per conſcientiam, aut Deum teſtem.* Probatio veritatis dictorum per conſcientiam teſtem, provocando ſcilicet ad conſcientiam tanquam teſtem, dicitur *Aſſeveratio*; invocando ſcilicet eum tanquam teſtem veritatis dictorum & vindicem mendacii ac perfidiæ, *Juramentum*, ſeu *Jusjurandum.* Quid ſit perfidia, inferius explicabitur.

§. 362.

Quinam jurare nequeant. Quoniam jurans pro certo habere debet exiſtere Deum, eum noſſe hominum cogitationes & punire mendacia ac perfidiam (§. 361.); *qui negat eſſe Deum,* vel

vel eum nosse hominum cogitationes, aut putat, eum parum curare res humanas, jurare nequit.

§. 363.

Quodsi ergo *quis falsos Deos pro vero Deo habet & iis tribuit ea, quæ de vero Deo pro certo habere debet jurans,* cum respectu ipsius perinde sit ac si per verum Deum juraret, *per falsos Deos jurare potest.*

An jurari possit per falsos Deos.

§. 364.

Quoniam vero verba signa sunt, quæ significant, quod iisdem significare volumus; *verbis quibuscunque jurari potest, quibus tribuitur significatus, qui vi definitionis juramento convenit.* Unde simul patet, *per res quascunque jurari posse.* Ast per res istas *non jurat, sed saltem asseverat, qui dicit, se tam certo verum dicere, aut dicere velle, quam certum sit rem quandam existere, vel notorie sibi carissimam esse.* Possunt etiam verba eadem vim juramenti, aut saltem vim asseverandi habere, prouti vel proferuntur altero juramentum exigente, vel sua sponte. Ita *si quis jurare jussus dicat: Deus est testis*

De formulis jurandi.

(Wolfii Instit. J. N. & G.) N *meus,*

meus, is jurat; ſi non juſſus profert, aſſeverat. Nimirum in priori caſu verba quoque ſignificant provocationem Dei tanquam vindicis mendacii aut perfidiæ, in poſteriori minime (§. 361.).

§. 365.

Quando verba jurantia proferens non juret.

Si quis animo indeliberato verba jurantia, quibus ſcilicet juramenti ſignificatus tribui ſolet, *animo non jurandi profert, non jurat, ſed ea ad verba temeraria referenda* (§. 360.), quæ cum vitanda ſint (§. *cit.*), *nihilominus peccat.* Idem tenendum de verbis, quibus alias aſſeverandi ſignificatus tribuitur.

§. 366.

Quando juret.

Quoniam vero contra eum, qui ad dicendum verum obligatur, pro vero habendum, quod dicit (§. 318.); *ſi quis jurare debet, aut jurare videri vult, & verba jurantia profert, is juraſſe intelligitur.* Alias nimirum admittendæ forent reſervationes mentales, quæ illicitæ ſunt (§. 355.).

§. 367.

De aſſeverationibus &

Cum aſſeverationes temerariæ ſint, temeraria etiam ſint juramenta, ſi is, cui

cui loqueris, non dubitat, te moraliter verum loqui, aut si nec tua, nec ipsius interest, sive credat, te verum dicere, sive minus (§. 360. 361.), verba autem temeraria illicita sint (§. 360), ac inprimis juramentum temerarium reverentiæ Deo debitæ parum conveniat (§. 172.); *si is, cui loqueris, non dubitat te verum dicere, aut si nec tua, nec ipsius interest, utrum hoc credat, nec ne, asseveratio & juramentum illicita sunt.* Hinc porro eadem facilitate colligitur, *si asseveranti creditur, vel asseveratio sufficit, ut credatur, jurandum non esse.* *juramentis temerariis vitandis.*

§. 368.

Cum tibi competat jus te alteri obligandi ad dicendum verum, si tua vel alterius intersit, ut is credat te verum dicere (§. 97.); invocatio vero Dei tanquam vindicis mendacii ac perfidiæ sit motivum dicendi veri, quod cum juramento conjungis (§. 361.); *jurans te alteri obligas ad dicendum verum* (§. 35.); consequenter *falsiloquium licitum juramento confirmare non licet* (§. 100.). *Ad quidnam jurans se obliget.*

§. 369.

Quia jurans te alteri obligas ad dicen- *Effectus juramenti.*

 cen-

cendum verum (§. 368.), adeoque contra te pro vero habendum, quod sufficienter indicas (§. 318.), consequenter non alia mens tua esse colligitur, quam quæ verbis tuis significatur; *juramentum arcet omnes tacitas exceptiones ac conditiones, neque admittit reservationes mentales* (§. 355.).

§. 370.

Quo sensu verba jurantia sumenda.

Ex eadem ratione intelligitur, *jurantem verba jurantia sumere debere in eo significatu, quem iis tribuit is, cui juratur*, consequenter *non esse detorquenda contra manifestum eorundem significatum in alienum, ut falsum loquendo ex mente ejus, cui juratur, verum se locutum probet ex mente sua.*

§. 371.

De pejeratione & perjurio.

Pejeratio a nobis dicitur juramentum ejus, qui se verum dicere jurat, dum falsum dicit; *Perjurium* vero violatio juramenti, quando scilicet non facis, quod te facturum ex animi licet tui sententia jurasti, & contra. Quam obrem cum jurans te obliges ad dicendum verum (§. 368.), & si jures te hoc facturum, vel non facturum, jurando

do probare velis, quod ad faciendum, vel non faciendum te obliges (§. 97. 361.); *nec pejerare, nec perjurare licet* (§. 100.).

§. 372.

De juramento scripto. Quoniam vero perinde est, sive verba ore proferantur, sive scribantur; *juramentum vocabulis scriptis expressum validum est*, consequenter *absens absenti in literis jurare potest*.

§. 373.

De juramento in animam alterius. *In animam alterius jurare* dicitur qui nomine & mandato absentis juret. Cum perinde sit, sive quid per te, sive per alium facias; *in animam* quoque *tuam ab alio jurari potest*.

§. 374.

De obtestatione. *Obtestatio* dicitur actus, quo quis alterum per Deum testem veritatis dictorum & vindicem mendacii, aut facti cujuscunque illiciti, vel rem quandam ipsi charissimam, aut cujus maxime rationem habere debet, obsecrat, ut verum dicat, vel ut quid faciat, aut non faciat. Cum itaque obtestatione alterum permovere intendamus, ut verum dicat,

vel ut quid faciat, aut non faciat; *quando tui vel alterius plurimum interest, ut alter verum dicat, vel ut faciat, aut non faciat, qui ad faciendum, vel non faciendum obligatur, obtestatio licita est.* Idem patet in eo casu, quo alterum exhortari debes, ne quid faciat, aut non faciat.

§. 375.

De contestatione.

Asseveratio per Deum testem, aut rem aliam nobis charissimam, vel magni momenti, *Contestatio* dicitur. Pertinet adeo contestatio ad asseverandi formulas, quæ ad juramentum propius accedunt (§. 361.).

§. 376.

Quando pejerans non fiat perjurus.

Quoniam pejerat, qui jurat se facturum, ad quod faciendum se obligat, cum tamen animum faciendi non habeat, perjurus vero non est, si faciat mutato animo (§. 371.); *si pejerantem pœnitet pejerasse & quod se facturum juravit facit, perjurus non est.*

CAPUT

CAPUT VII.

DE MODO SESE ALTERI OBLIGANDI, SEU PROMISSIS ET PACTIS IN GENERE.

§. 377.

Cum introductis dominiis homo non habeat, quod suum est, nisi res tam corporales, quam incorporales, quæ sunt in dominio ipsius (§. 195. 206.), & actiones aliis utiles æquiparentur rebus in dominio existentibus (§. 225.); *nemo quoque se alteri obligare potest, nisi ad dandum & faciendum, vel non faciendum*, consequenter *ad aliquid præstandum* (§. 258. 328.). *Ad quænam nos alteri obligare possimus.* l. 2. de V. O.

§. 378.

Quoniam nulla opus est obligatione, si quid statim præstetur; *qui alteri ad dandum vel faciendum se obligat*, cum obligatio ad actum futurum pertineat, & ad eum jus perfectum acquirat alter (§. 97.), ille *in hunc transfert jus exigendi præstationem.* *Quale jus transferatur, si quis se alteri obligat.*

§. 379.

Declaratio hæc voluntatis de quodam alteri præstando, coniuncta cum juris a se exigendi, ut præstetur, in *Promissio quid sit.*

 ipsum

l. 19. pr. de aedil. edicto

ipsum translatione, *Promissio* dicitur. Qui promittit, *Promissor*; is, cui promittitur, *Promissarius* vocatur.

§. 380.

De modo se alteri obligandi.

Promissor igitur *promissario se perfecte obligat* (§. 80. 379.). Cumque de voluntate alterius nobis constare aliter non possit, nisi si ab eo sufficienter indicetur, nec ab alio jus acquirere valeamus, nisi voluntate ipsius (§. 314.); *nemo* quoque *alteri se aliter perfecte obligare potest, nisi promittendo.*

§. 381.

De necessitate acceptationis promissi.

Cum in promissione in promissarium transferatur jus exigendi præstationem promissam (§. 379.), ad translationem vero juris requiratur acceptatio (§. 316.); *promissio* quoque *sine acceptatione non est valida, nec ex ea jus ullum acquiritur promissario.*

l. 55. de obligationum. et actionum. l. 19. §. 1. de donationibus.

§. 382.

De pollicitatione.

A promissione cum *Grotio* recte distinguitur *Pollicitatio*, qua alteri sufficienter daclaramus voluntatem eidem quid præstandi ac perseverantiam in proposito, jus tamen a se id exigendi

in

in eum transferre nolumus. Quamobrem *ex pollicitatione jus exigendi præstationem non acquiritur ab eo, cui fit pollicitatio* (§. 314.).

§. 383.

Ab eadem cum eodem recte distingvitur *nuda assertio*, qua alteri sufficienter declaratur animus, quem de præsenti habemus, ipsi aliquid præstandi, sed salva libertate animum mutandi, consequenter *ex nuda assertione jus a nobis id exigendi, quod alteri nos præstare velle dicimus, nullum is consequitur* (§. 314.). *De nuda assertione.* Grot. l. 2. c. 11.

§. 384.

Quoniam in pollicitatione (§. 382.) & in nuda assertione nullum transfertur jus in alterum (§. 383.); *ad pollicitationem & nudam assertionem nulla requiritur acceptio, immo ad utramque inutiliter accedit* (§. 316.). *An in iis acceptatio locum habeat.*

§. 385.

Cum a voluntate tua dependeat, utrum in alterum jus quoddam transferre velis, nec ne (§. 314.), consequenter etiam num transferre velis jus exigendi præstationem quandam a te, hoc *Quales actus sint promissio, pollicitatio & assertio.*

hoc est, jus ad rem (§. 335.); *in voluntate* quoque *tua positum est, utrum alteri quid promittere, an polliceri, vel nude saltem quid asserere velis* (§. 379. 382. 383.), consequenter *promissio, pollicitatio & nuda assertio sunt actus meræ voluntatis*, ac propterea *nemini competit jus te ad promittendum compellendi*, quod cum repugnet libertati naturali (§. 77.), *ad promittendum alterum cogens injuriam ei facit* (§. 87.), atque *id lege naturali prohibitum* (§. 86.).

§. 386.

De animo deliberato. *Animus deliberatus* dicitur actus voluntatis, qui fertur in id, quod probe expensum, nimirum num potius sibi faciendum, quam non faciendum, & quomodo faciendum, antequam agens faciat, ne quid committatur officiis erga se, vel alios adversum. Ex adverso autem *Animus indeliberatus* vocatur, si voluntas tendit in id, quod non satis expensum. Quamobrem cum ab obligatione naturali, qua tenemur ad quælibet officia (§. 57.), nemo liberari possit (§. 42.), ac inprimis etiam quilibet omne damnum a se avertere de-

debeat (§. 269.); *nemo quicquam facere nec quicquam promittere debet absque animo deliberato.* Ceterum facile patet ex natura promissionis, *promissorem expendere debere, num re, quam dare promittit, ipsemet indigeat, & num tunc, quando facere promittit, sibi vacaturum, & num hoc dando, vel faciendo promissario desit officio cuidam erga seipsum, vel erga alios.* Immo ex modo dicta ratione, cur nil faciendum absque animo deliberato, *nec promissio acceptanda absque animo deliberato.* Et haud difficulter intelligitur, *promissarium perpendere debere, num eo, quod promittitur, indigeat, & annon alius eodem magis habeat opus, an nonnisi incommodo suo hoc præstare possit promissor, & num in acceptando forsan desis officio cuidam erga te, vel erga alios.*

§. 387.

Quinam promittere non possint.

Quoniam animus deliberatus non cadit in furiosos durante furore; amentes, infantes, summe ebrios, delirantes, nec eos, quorum judicium propter ætatem imbecille est (§. 386.); *omnes hos valide promittere non posse patet* (§. cit.). §8. 9. 10 J. de inutil. stipulat.

§. 388.

§. 388.

De promissis servandis.

Promissum servare dicitur, qui dat, vel facit, quod se daturum, vel facturum promisit. Cum promissor promissario perfecte se obliget (§ 380.), & jus perfectum ad id, quod promissum, acquirat promissarius (§. 97.), invito auferri nescium (§. 100.); *promissa servanda sunt.*

§. 389.

De fide.

Fides dicitur constantia voluntatis alteri verbis declaratæ de eo, quod facere, vel dare velimus. *Fides* igitur *supponit, ut moraliter vera loquaris, aut moraliter falsa dicta mutato animo in moraliter vera vertas.* Hinc *fidem dare* dicitur, qui affirmat se præstiturum, quod se præstare velle dicit, consequenter alterum certum esse jubet de perseverantia in præsenti voluntate. Unde conficitur, *pollicitatorem fidem dare ei, cui fit pollicitatio* (§. 382.). *Fidem fallere* dicitur, qui non præstat, quod se præstiturum dixit. *Fidem* denique *alterius adstringit*, qui eum sibi obligat ad fidem servandam. Atque hinc patet, *fidem datam esse servandam*, con-

consequenter *non fallendam*, & *pollicitatorem fidem fallere*, *si non præstat*, *quæ pollicitus*. Liquet porro, *qui promissa servat*, *eum quoque servare fidem*, *qui non servat*, *fidem fallere*, atque *promissarium acceptando fidem promissoris sibi adstringere* (§. 378. 379.). Denique non minus manifestum est, *qui nude asserit sibi esse animum aliquid præstandi*, *fidem suam non dare* (§. 383.), consequenter *nec fallere*, *si non præstat*, *quod se præstare velle dixit*.

§. 390.

Perfidus dicitur, qui contrarium ejus facit, ad quod faciendum fidem suam adstrinxit. *Quodsi* ergo *promissor contrarium eius facit*, *quod se facturum promisit*, veluti si facit, quod se non facturum dixit, *perfidus est*: ast *pollicitator in eodem casu perfidus non est*. *De perfidia.*

§. 391.

Cum ab obligatione naturali nemo liberari possit (§. 42.); *sub conditione turpi nihil promittere licet* (§. 315.). Quoniam itaque hæc promissio valida non est, ex ea quoque jus nullum consequitur promissarius, consequenter *quod sub conditione turbi promissum* *De promissione sub conditione turpi.*

præ-

præstandum non est, etiamsi ea fuerit adimpleta.

§. 392.

De promissione sub conditione impossibili.

Cumque condito impossibilis existere nequeat; per se patet, *promissionem sub conditione impossibili esse temerariam, nec juri naturæ convenire* (§. 360.).

§. 393.

Quid sit promissio conditionata, in diem facta, pura.

Enimvero quia in promissione jus transfertur in promissarium (§. 379.); *promissor promittere potest, qua lege voluerit, & promissio fieri potest sub conditione quacunque honesta & in certum diem, non modo absque ulla conditione & sine tempore adjecto* (§. 314.). *Promissio* sub conditione facta dicitur *conditionata*; si certum tempus adjicitur, seu id, quod promittitur, certo die præstandum, *Promissio in diem facta*; quæ vero absque ulla conditione, nec tempore ullo adjecto fit, *promissio pura.*

§. 394.

De promissione sub facto turpi tertii.

Quoniam factum turpe tertii respectu promissoris & promissarii conditio mere casualis est, utpote ab utriusque voluntate prorsus independens; *promissio sub facto turpi tertii facta*, cum nihil vitii in se habeat, *illicita non est.*

§. 395.

§. 395.

Cum promissarius non plus juris acquirere possit ex promissione, quam promissor in eum transferre voluit (§. 317.); *quod in diem promittitur, statim debetur, sed exigi nequit, nisi die elapso.* Patet vero, cum conditio, quam certo extituram novimus, tempus designet, quo quid fieri debeat, *promissionem sub conditione certo extitura factam æquipollere promissioni in diem factæ* (§. 393). Quoniam vero perinde est, ac si dies venisset, qui adventurus putatur, ad venturus tamen non est, veluti si quid promittatur die trigesima prima Aprilis præstandum, cum error non contineat rationem promittendi; *quod promittitur in diem, qui adventurus putatur, adventurus tamen non est, præstandum eo die elapso, quem falso designasse videtur promissor.* Nimirum supponimus serio rem agi, non jocari.

Promissionis in diem factæ effectus.

§. 396.

Enimvero quia sub conditione suspensiva promittens promissario obligatus esse non vult, nisi conditione existente (§. 315.), per rationem eandem

Promissionis sub conditione suspensiva effectus.

dem (§. 317.); *quod sub conditione suspensiva promittitur non debetur, nisi conditione existente, si autem ea non existit, evanescit.* Quoniam igitur jus ad id, quod promittitur, non ante acquirit promissarius, quam conditione existente; *ex promissione conditionata nonnisi spem debitum iri habet promissarius, jus excitaturum, siquidem contingat conditionem existere.* Utrum spes ista jus sit excitatura, necne, cum respectu nostri saltem incertum sit; ea perinde ac jus acquisitum (§. 100.), *invito auferri nequit.* Patet idem etiam inde, quod promissor se obligaverit ad jus istud agnoscendum, quod spem istam excitare continget; a qua obligatione seipsum liberare nequit (§. *cit.*). Quia conditio potestativa suspensiva est, atque existit, quando adimpletur (§. 315.); *quod promittitur sub conditione potestativa non ante debetur, quam ubi ea fuerit adimpleta.*

§. 397.

Promissionis sub conditione resolu-

Similiter quia promittens sub conditione resolutiva, non diutius obligatus esse vult promissario ad præstandum id,

id, ad quod se ipsi obligavit (§. 315.), consequenter ista conditione designatur tempus, quo jus promissarii durare debet (§. 97.); *quod sub conditione resolutiva promissum, desinit deberi eadem existente & jus promissarii expirat.*

tiva factæ effectus.

§. 398.

Quod pure promittitur, statim debetur & exigi potest: id quod ex ipsa definitione promissionis puræ statim patet (§. 393.). Quamobrem cum die veniente inter promissionem puram & in diem factam, conditione autem existente inter illam & conditionatam nulla amplius differentia existat (§. *cit.*); *die veniente promissio in diem facta, & conditione existente promissio conditionata in puram abit.*

Effectus promissionis puræ & quando in eam abeat conditionata & in diem facta.

§. 399.

Si conditiones plures copulative adjiciantur promissioni, cum nonnisi omnibus simul existentibus promissor obligatus esse velit; *quod promissum non ante debetur, quam omnes extare certum est* (§. 317.). Enimvero *si disjunctive adjiciantur*, cum promissor promissario obligatus esse velit, quacunque earum

De conditionibus pluribus promissioni adjectis.

exiſtente; *exiſtente una quod promiſſum debetur, etiamſi ceteræ non ſint extituræ.*

§. 400.

De promiſſione & jure perſonali.

Perſonalis promiſſio eſt, quæ ad perſonam promiſſarii ita reſtringitur, ut promiſſor nemini niſi promiſſario obligatus eſſe velit. Confertur autem promiſſio in perſonam promiſſarii vel expreſſe, vel tacite, quando id ex materia promiſſi aliisque circumſtantiis colligitur. *Jus* vero *perſonale* vocatur, quod ad perſonam, cui competit, ita reſtringitur, ut ab ea in aliam tranſire non poſſit: ſicuti *perſonale* in genere appellatur, quod perſonae cuidam ita inhæret, ut ab ea in aliam nullo modo tranſire poſſit. Hinc conſequitur, *ex promiſſione perſonali promiſſarium non acquirere niſi jus perſonale, & jus perſonale cum perſona extingui*, atque *promiſſionem conditionatam evaneſcere, mortuo promiſſario, antequam conditio exiſtit* (§. 396.). Patet etiam, *ſi conditio poteſtativa fuerit perſonalis, adimpleri non poſſe, niſi a promiſſario ipſo.*

§. 401.

§. 401.

De promiſſione reali.

Promiſſio realis eſt, quæ perſonalis non eſt, habita nimirum in promittendo magis rei, quam perſonæ ratione. Quamobrem *ex promiſſione reali a promiſſario acquiritur* non jus perſonale, ſed *jus*, *quod etiam in alium tranſire poteſt* (§. 400.), & ſimiliter *ſpes debitum iri ex promiſſione conditionata reali enata* (§. 396.) *in alium quoque transferri*, *aut transmitti poteſt*. § 4. 3. de V. O.

§. 402.

De obligatione perſonali & reali.

Eodem ſenſu, quo jus perſonale & reale a ſe invicem diſtinguuntur, *obligationes* quoque aliæ ſunt *perſonales*, aliæ *reales*. Unde *obligationes perſonales non egrediuntur perſonam & cum ea extinguuntur*; *ſecus vero reales*. Atque hæc differentia attendenda eſt etiam in promiſſionibus, prouti vel perſonales, vel reales fuerint.

§. 403.

An promiſſio abſenti fieri poſſit.

Ad promiſſionem perficiendam requiritur ſufficiens declaratio voluntatis tam promiſſoris, quam promiſſarii (§. 379. 381.). Quamobrem cum

voluntas alteri declarari possit non modo verbis ore prolatis, verum etiam scriptis, immo etiam per alium; *promissio* quoque *fieri potest per epistolam, & per alium*, in utroque casu *absenti, & ab absente per epistolam, vel per alium acceptari potest.*

L. 12. pactis C. 2. § 2. de O. et A.

§. 404.

De promissione modali.

Potest etiam in certum finem alteri quid promitti, nimirum ut ab eo quid fiat, vel præstetur, & tum *Promissio sub modo facta*, vel etiam *modalis* dicitur. Cumque *modus impleri* dicatur, quando hoc fit, quod ut fiat aliquid præstatur, atque ante tibi præstandum sit, quod promittitur, ut hoc facias, quam facias, & acceptando promissum tu tantummodo te declares ad faciendum, ubi promissor quod promissum præstiterit; *promissarius modum implere ante non tenetur, quam promissio adimpleta fuerit; ubi vero hæc adimpleta, ad implendum obligatur, &, nisi fecerit, quod ex promissione consecutus, restituendum: id quod etiam fieri debere* patet, *si promissarius moriatur, antequam modum impleverit, sub quo ipsi quid datum.*

§. 405.

§. 405.

Causam promisso dare dicitur, quod est ratio unica, cur quid promittatur, alias non permittendum. Quoniam, si error det causam promisso, promissio facta intelligitur sub hac conditione, si verum sit, quod per errorem pro vero sumitur, consequenter conditio, sub qua facta promissio, non existit; *promissio, cui error causam dedit, valida non est* (§. 396.). *Quodsi vero promissor fuerit negligens in veritate exploranda, aut in sensu suo exprimendo, & promissarius inde damnum passus sit*, cum damnum culpa illius datum sit (§. 21.); *id* utique *resarciendum* (§. 270.). Ob eandem rationem, *si promissarius det causam errori, sed non promissioni, & ex errore damnum aliquod facit promissor; eidem promissarius id restituere tenetur, etsi promissio sit valida.*

De promissione errantis.

§. 37. de O. et A.

§. 406.

Cum alteri injuriam faciat, qui ad promittendum eum vi, vel metu incusso adigit (§. 385.); *promissio vi vel metu extorta lege naturæ prohibita est* (§. 87.), consequenter *invalida*. Quemadmodum res vi vel metu a prædone

De promissione vi, vel metu extorta.

extorta domino restituenda (§. 264.); ita quoque promissum vi ac metu extortum præstandum non est. Enimvero *si metu ab alio incusso permotus tibi, rei istius minime conscio, quid promittam*, cum tuum non sit judicium de eo, cur promittam (§. 78.), nulla sane ratio est, cur, quod inter me & te gestum, subsistere nequeat (§. 378. 389.); ac propterea *promissio valida est*. Quoniam tamen, *qui metum incussit*, in causa est, cur tibi promiserim, alias non promissurus, consequenter damnum dolo mihi dedit (§. 17.); *is idem mihi resarcire tenetur* (§. 270.). Enimvero *si tu per alium mihi metum incutis, ut tibi quid promittam*, cum perinde sit, ac si promissionem ipsemet metu extorsisses; *promissio invalida* est. Et quoniam *promissarius, si novit, promissorem metu ab alio incusso promittere, promissionem acceptare non debet*, acceptatione quippe repugnante obligationi damni ab aliis avertendi (§. 269.); consequenter *promissio invalida*. Accedit, quod promissarius metum incussum ratihabendo velit promissionem vi extorqueri, ut non multum absit ab eo,

eo, qui metum per alium incutit, ut promittatur.

§. 407.

An promissio habere debeat causam expressam.

Cum a voluntate promittentis unice dependeat, utrum promittere velit, nec ne (§. 385.), & vi libertatis naturalis nulli hominum rationem reddere tenetur, cur quid faciat (§. 78.); *promissio naturaliter non habere debet causam expressam*, scilicet cur promittat.

§. 408.

Promissio ob causam ante debitam.

Ob eandem rationem, *promissio ob causam ante debitam valida.* Dicitur nimirum *promitti ob causam ante debitam*, si cui ob id, ad quod præstandum jam obligatur, aliquid promitto, veluti viatori aliquod munusculum præter mercedem. Et quoniam quod ob causam ante debitam promittitur, cum sit motivum diligentius præstandi, quod præstari debet, alterum obligat ad majorem diligentiam (§. 35. 21.); *promissio ob causam antè debitam temeraria non est* (§. 360.).

§. 409.

De onere promissioni adjecto.

Similiter cum *onus promissioni adjicere* dicatur promissor, quando promittit sub hac conditione, vel sub hoc

modo, ut promissarius vicissim tibi, vel alteri quid præstet, & a promittentis voluntate dependeat, quomodo & sub qua conditione, vel sub quo modo promittere velit (§. 393. 404.); *promissor pro arbitrio onus promissioni adjicere potest, sive per modum conditionis, sive per modum modi.*

§. 410.

De pœna promissioni adjecta. Ast *pœna adjici* dicitur *promisso*, si promissor declarat se hoc daturum, vel facturum, nisi steterit promisso. Et tum *promissio pœnalis* vocatur; quod vero pœnæ nomine promittitur *promissum pœnale*. Patet vero, ut ante, *pœnam posse adjici promisso*; cum scilicet id dependeat a libera promissoris & promissarii voluntate (§. 393. 381.). Potest autem pœna triplici modo adjici, vel ut optio sit promissarii, an velit exigere pœnam, an promissorem adigere ad implendum promissum, vel ut pœna præstita cesset promissio, vel denique ut præstita pœna promissor nihilominus maneat obligatus ad præstandum promissum.

§. 411.

§. 411.

De promissione ejus, quod vires nostras transcendit.

Impossibile est, ut faciamus, quod vires nostras transcendit. *Promissio* igitur *ejus, quod vires nostras transcendit, invalida est* (§. 380. 37.).

§. 412.

De promissione rei alienæ.

Et quoniam nemo rem alienam alteri potest dare (§. 258.), promissio vero ad dandum obligat (§. 388.); *nemo rem alienam promittere potest.* Enimvero *si quis promittit, quod suum fieri potest, vel quod suum fieri posse putat, quia suum fieri potest, vel fieri posse putat,* cum in priori casu sufficienter indicet, se curaturum, ut suum fiat, in posteriori autem se impensas facere velle, ut suum fiat; *in casu priori operam dare tenetur, ut suum fiat, in posteriori autem ad tantundem obligatur, quantum impendendum fuisset, ut suum fieret, siquidem fieri nequit* (§. 318.). Per se autem patet, *si rem, quam nostram fieri posse putamus, alteri promittimus, si ea nostra fiet,* promissionem esse conditionatam (§. 393.), consequenter *ubi frustra data fuerit opera, ut nostra fiat, promissario ad nihil tenemur* (§. 396.).

§. 413.

De rei promissæ alienatione. Cum promissa sint servanda (§. 388.), servari autem non possit promissum, si res promissa alienatur (§. *cit.* & §. 257.); *promissor naturaliter obligatus rem promissam non alienare.* Quoniam tamen in promissione non transfertur dominium rei promissæ, sed saltem jus ad eam (§. 335.); *alienatio a promissore facta valida est* (§. 257.): sed quia is tibi invito jus ad rem inquisitum auferre nequit (§. 100.); *tibi competit jus alienationem impediendi, si noris, promissorem rem promissam alienare velle.* Ex adverso autem patet, *alienationem esse invalidam, si promissor declaraverit, sibi ademtum esse debere jus alienandi;* cum tunc non amplius idem habere intelligatur.

§. 414.

De lucro. *Lucrum* dicitur res, quæ bonis nostris superaccedit, iisdem non deminutis, seu qua simus locupletiores. *Cessare* dicitur, si, quando id obtinere poteramus, impedimur, quo minus obtineamus. *Lucrum* autem *certum* vocatur, quando certo constat nos id obtinere posse, seu obtenturos esse; *incer-*

certum vero in casu opposito. *Lucri* vero *certi quantitas incerta esse potest.* Patet igitur, *lucrum certum esse rem in dominio nostro extituram*, consequenter *qui lucrum certum cessare facit, is impedit, quo minus res tua fiat, quæ alias fieri poterat*, consequenter *damnum dat* (§. 269.), atque ideo *resarcire tenetur* (§. 270.).

§. 415.

Damnum emergens & lucrum cessans communi nomine dicuntur *id, quod interest*. Quoniam tam damnum datum (§. 270.), quam lucrum cessans dolo vel culpa nostra resarciendum (§. 414.); *si ob factum quoddam vel non-factum dolosum, aut culposum tuum alter damnum incurrat, aut lucrum ejus cesset, ad id, quod interest, teneris.* Præstando id, quod interest, alter restituitur in eum statum, quo perinde est, ac si fecisses, vel etiam dedisses, quod non fecisti, vel non dedisti, & contra. Cum autem nemo efficere debeat, ut alter minus habeat, quam habere debebat (§. 270.); *si quis propterea minus habet, quam habere debet,* *vel*

De eo, quod interest.

d. 15. rem ra- tam haberi

vel poterat, quod obligationi tuæ non satisfecisti, ad id, quod interest, teneris.

§. 416.

Quando promissor teneatur ad id, quod interest.

Quodsi ergo *promissione non impleta lucrum promissarii quoddam cesset, aut damnum quoddam emergat*, veluti quando res promissa voluntate, vel culpa tua fit aliena; *ad id, quod interest, teneris.* L. 1. De actione empti vel vend.

§. 417.

De mora.

Mora est dilatio ejus, quod fieri debet, ultra tempus, quo fieri debebat. Unde *in mora esse* dicitur, qui, quod certo tempore facere potest, ac debet, non facit.

§. 418.

De moræ imputatione & purgatione.

Impedimentum inevitabile dicitur; si in causa non es, cur tibi objiciatur, seu quod, ne sese offerat, nullo modo efficere potuisti. Vocatur autem *insuperabile*, quod oblatum tollere minime potes. *Quodsi mora debetur impedimento inevitabili & insuperabili, ea tibi imputari nequit: si autem tale impedimentum non adsit, aut alterutrum saltem obtineat, mora imputatur* (§. 3.). Quamobrem cum *de mora se purgare* dicatur, qui demonstrat, se in mora non

non eſſe; *de mora ſe purgaturus oſtendere debet, ſe ob impedimentum inevitabile ac inſuperabile facere non potuiſſe, quod facere debebat.*

§. 419.

Intereſſe moræ.

Quoniam, qui nunc præſtare obligatur, præſtationem differendi jus minime habet, id quod per naturam obligationis patet (§. 37.); *nemo* quoque *in mora eſſe debet*, conſequenter *ſi ex mora damnum quoddam emergat ei, cui ad præſtandum quis obligatus eſt, aut lucrum ejus ceſſet; qui in mora eſt, ad id, quod intereſt, tenetur* (§. 415.).

§. 420.

De re promiſſa intereunte.

Si res promiſſa caſu interit, quem nulla tua culpa præceſſit, cum interitus tibi imputari nequeat (§. 17.); *nec promiſſario teneris ad id, quod intereſt, & promiſſio evaneſcit.* Enimvero *ſi dolo vel culpa tua res promiſſa intereat*, cum id tibi imputandum ſit (§. 17.); *promiſſario teneris ad id, quod intereſt* (§. 415.). Quamobrem *ſi tibi promittantur res nondum exiſtentes, ſed extituræ*, veluti fructus futuræ æſtatis; *ſi nullas extare caſu contingat, nihil debetur.* Patet etiam inde, promiſſioni rerum

rum futurarum tacitam subesse conditionem: si quæ futura sint; vel, quod eodem redit, tacitam hanc exceptionem: nisi omnino nullæ extituræ sint.

§. 421.

De eadem re bis promissa.

Si quis eandem rem, quam tibi promisit, denuo promittat alteri, cum jus ad eandem tibi ex promissione acquisitum auferre nequeat (§. 379. 100.); *promissio posterior non valet, sed prior subsistit.* Enimvero cum nihil obstet, quo minus bis promittas, quod bis præstari potest; *si quod bis promittitur, bis præstari possit, promissio utraque valet.*

§. 422.

In solidum teneri, quid sit.

In solidum teneri dicitur, qui quod pluribus præstandum est, vel a pluribus, totum uni præstare tenetur, vel solus. Id obtinere potest, vel si quid pluribus conjunctim promittitur, vel si plures uni idem promittunt.

§. 423.

De eadem re pluribus conjunctim promissa.

Cum a promissoris voluntate pendeat, quomodo promittere velit (§. 393.); *si quis unam eandemque rem pluribus conjunctim uno actu promittit, in ipsius arbi-*

arbitrio positum est, num singulis in solidum teneri velit, an nolit, consequenter *dum promittit, quid velit, sufficienter indicare debet* (§. 318.): *si neutrum sufficienter indicet, libertati suæ hoc relictum esse voluit* (§. 78.). Enimvero *si, qui rem unam pluribus conjunctim promittit, singulis in solidum tenetur*, cum res nonnisi semel debeatur; *si uni dedit, ceteris ad nihil tenetur*: quoniam tamen omnibus conjunctim debetur; *qui totam accepit, ceteris pro rata tenetur.* Et quia uni totam dare tenetur; *quilibet eorum, quibus ea conjunctim promissa est, ceteris insciis, immo invitis exigere potest.*

§. 424.

De duobus vel pluribus reis. Si duo, vel plures simul eandem rem promittant uni, vel pluribus conjunctim, ita ut singuli teneri velint in solidum, dicuntur *Correi promittendi*; & quatenus eandem rem uni, vel pluribus in solidum debent, *Correi debendi*. Similiter si pluribus conjunctim promittitur res eadem, ita ut singulis in solidum teneatur promissor, qui ita sibi promitti stipulati sunt, *Correi stipulandi*; aut ubi hoc modo pluribus conjunctim

junctim ultro eadem res promiſſa, vel ex alia cauſa iisdem debetur, hi *Correi credendi* appellantur. Cum res promiſſa nonniſi ſemel debeatur; *ſi correorum debendi unus promisſionem adimplet, vel debitum ſolvit, ceteros correos ab obligatione liberat.* Idem intelligitur de reo promittendi, vel debendi, ſi correorum ſtipulandi unus accipit, quod promiſſum, ob rationem eandem. Immo quia ſinguli correi rem nonniſi ſemel dandam totam dare tenentur (§. 422.); *a correorum quocunque, prouti viſum fuerit, rem totam exigere potes, quo facto ceteri liberantur*, prouti jam vidimus. Cum vero omnes conjunctim debeant rem ſemel dandam; *ſi totam ab uno conſequi non potes, partem reſiduam ab altero exigere licet*, quippe qui non ante liberatur, quam re tota data, (*per demonſtrata*).

L. 3. §. 1. eod.

§. 425.

Num acceptatio innoteſcere debeat promiſſori, ut promiſſio ſit valida.

Promiſſor promittere poteſt, quacunque lege voluerit (§. 393.), nec ultra voluntatem ipſius jus aliquod acquiri poteſt a promiſſario (§. 317.). Quare *ſi promittens abſenti velit, ut valeat promisſio, ſi accptetur; ſtatim valet, quampri-*

primum acceptata fuit, quamvis acceptatio nondum innotuerit promiſſori: quodſi vero nolit promisſionem valere, niſi quando acceptatam intellexerit, non ante valet, quam acceptatio ipſi innotuerit. Quamobrem *ſi moriatur promiſſor, antequam acceptatio ipſi innotuerit; in caſu priori valet promisſio, in caſu poſteriori non valet.* Ob rationem eandem *acceptatio fieri poteſt poſt mortem promiſſoris, ſi is velit, ut promisſio etiam poſt mortem acceptari posſit, vel etiam quod datur* (§. 314.). Quæritur vero, quid in caſu dubio ſit præſumendum, quando ſcilicet voluntatem ſuam non ſatis declaravit promiſſor. Cum acceptatione promiſſio fiat valida (§. 381.), nulla ſane ratio eſt, cur eam valere demum velit, ubi acceptationem intellexerit, quando eandem facile præſumit: adeſt vero ratio, cur velis, quando de acceptatione non ſine ratione dubitat. Quamobrem *ſi promiſſor acceptationem præſumit, velle intelligitur, ut valeat promisſio, quando acceptata fuerit: in caſu oppoſito autem, ſi acceptatam intellexerit.* Quamobrem *promisſio priori modo intelligitur, quæ mere liberalis eſt: poſte-*

riori autem modo, quæ onerosa est. Dicitur autem *promissio mere liberalis*, si promissarius nihil vicissim præstare debet; *onerosa* vero in casu opposito.

§. 426.

De ministro promittendi & acceptandi. *Minister* dicitur is, per quem voluntatem nostram alteri significamus. Unde *Minister promittendi* vocatur, per quem alteri quid promittimus, vel promissionem a nobis factam significamus; & in genere *Minister obligationis contrahendæ*, per quem obligationem contrahi volumus sive ex parte nostri, sive ex parte alterius, aut obligatio contrahenda significatur; ac denique *Minister acceptandi*, quem nostro nomine acceptare volumus, aut qui acceptationem factam a nobis significat. Quoniam minister non suo nomine, nec suo jure agit, sed ejus, a quo minister electus est; *in voluntate* quoque *ejus, qui ministerio ipsius utitur, positum est, quantum juris in ministrum conferre velit* (§. 314.)

§. 427.

De revocatione promissi. Quoniam absque acceptatione promissio non est valida (§. 381.); *quamdiu*

diu acceptata non fuit; revocari potest. Dicitur autem *promissio revocari*, si promissor declarat, se ex promisso teneri nolle. Unde patet, *ante acceptationem pœnitere licere.* Liquet porro, *promissionem revocari posse, antequam epistola, in qua ea fit, ad promissarium lata fuerit.* Immo *si promissio eo animo facta, ut non valeat, nisi quando acceptatam intellexeris* (§. 425.); *revocari poterit, quamdiu acceptatio non innotuerit.* l. 55. de O. & A.

§. 428.

Cum tabellarii opera non alio fine utatur promissor, quam ut epistola ad promissarium perferatur, ac ideo perinde sit, sive tabellarius ipse, sive alius eandem perferat; *si tabellario mortuo epistolam, in qua fit promissio, alius perfert, valide acceptatur: revocari tamen potest, quamdiu epistola ab alio non fuerit promissario reddita.* Jus hoc revocandi cum promissori auferretur, quod tamen fieri nequit (§. 74.), si acceptatio valeret, epistola, qua voluntatem suam promissario declarare voluit promissor, nondumperlata, sed argumento ejus ex relatione alterius cognito; *epi-* De tabellario epistolam perferente, in qua promittitur.

stola nondum perlata acceptatio fieri nequit, argumento ejus ex relatione alterius cognito. Quamobrem *si epistola intercidat, promissio nulla est,* consequenter *si promissor in animo promittendi perseveret, renovanda alio quocunque, quo placuerit, modo.*

§. 429.

De ministro promissionem significante.

Minister, qui promissionem significare debet, fungitur vice epistolæ. *Quodsi* ergo is *moritur, antequam promissionem significare potuerit, ea nulla est:* & cum revocari possit promissio, antequam epistola reddita fuerit, consequenter acceptatio fieri nequeat, etiamsi facta revocatione reddatur; *inscio* quoque *ministro promissio revocari potest* (§. 428.).

§. 430.

De ministro alterius nomine promittente.

Enimvero *si minister tuo nomine promittere debeat,* cum tamdiu jure tuo, quod in ipsum contulisti, promittat, quamdiu a te revocatum non fuerit; *promissio ipso inscio revocari nequit,* consequenter *valida etiam post revocationem facta, antequam hæc ipso innotuerit.* Ceterum cum tuo nomine promittere non possit, si moriatur; *ipso mor-*

C. 26. § 1. mon-dati.

mortuo promissio nulla. Et quoniam tamdiu per alium facere potes, quamdiu quid ipse facere potes; *si moriaris, antequam tuo nomine minister promiserit, promissio ab eo post mortem tuam facta nulla est*, utpote nullo jure facta.

§. 431.

De morte promissoris, antequam promissio significata.

Quoniam acceptatio post mortem promissoris fieri nequit, nisi is expresse voluerit, ut post mortem promissum acceptari possit (§. 425. 318.); *si promissor moriatur, antequam epistola ad* ~~*eum*~~ promissarium *perlata fuerit, vel minister eam significaverit, promissio acceptari*, consequenter *valida fieri nequit* (§. 381.).

§. 432.

De acceptatione in literis, vel per ministrum, quæ promissionem præcedit.

Quia perinde est, sive quid per te, sive per alium facias; *acceptatio per ministrum fieri potest*, cumque perinde sit, quomodo animum acceptandi alteri declares, *eadem significari potest cum per epistolam, tum per ministrum.* Quoniam acceptatio præcedere potest (§. 319.); *si a me petieris, ut tibi quid promittam, promissio statim valida*, conse-

quenter *subsistit*, *etiamsi literæ demum post mortem meam ad te perferuntur*; utpote ante mortem perfecta. Enimvero cum acceptatio a te facta intelligi nequit, nisi facta promissione, hæc autem facta non intelligitur, nisi literis ad te perlatis; *quamdiu literæ ad te perlatæ non fuerint*, *promissio revocari potest*. Nimirum scripta epistola promissio revocabiliter facta, quæ morte promissoris efficitur irrevocabilis. Facile patet, *eadem valere de ministro acceptandi*, utpote qui fungitur vice epistolæ.

§. 433.

Promissio mihi de tibi præstando facta. *Si quis mihi promittit*, *se tibi quid præstiturum*, *& ego accepto*, *is in me transfert jus ipsum compellendi*, *ut præstet*, *si & tu acceptes* (§. 361.). Quoniam vero sine acceptatione tua tibi jus nullum quæsitum (§. 381.), jus autem in me translatum mihi auferri nequit (§. 100.), idem tamen remittere possum (§. 342.); *ante acceptationem tuam promissio revocari nequit*, *ego tamen eam remittere possum*. Cumque velim, ut valeat promissio, *quando tibi eam significo*; tacite saltem tibi promitto, ut, si acce-

acceptes, ego efficere velim, ut promiſſio adimpleatur, conſequenter *acceptatione tua tibi obligor ad efficiendum, ut promisſio impleatur* (§. 380.), *aut jus meum promiſſorem compellendi, ut impleat, tibi cedendum* (§. 338. 342.).

§. 434.

De acceptatione pro tertio facta.

Qui non electus eſt miniſter, ut acceptet, cum jus nomine alterius acceptandi non habeat, alterius quoque nomine acceptare nequit. *Quodſi* ergo *te præſente tertio abſenti promitto, nec tu electus es miniſter acceptandi, acceptatio tua nulla eſt, nec ex promisſione teneor alteri* (§. 381.). *Quodſi velim, ut tu ejus nomine acceptes;* eo ipſo declaro, me acceptationem tuam pro acceptatione alterius habiturum, ſi is velit, conſequenter *promisſio a me revocari nequit.* Sed quoniam validitas promiſſionis non a tua, ſed ejus voluntate dependet, in cujus perſonam collata; *tu medio tempore eam remittere non potes*, jure nullo ex promiſſo tibi quæſito, quod remittere poſſes.

§. 435.

Quando onus in commodum tertii adjectum revocabile.

Si onus in commodum tertii adjicitur promissioni, cum jus nullum si tertio, antequam acceptaverit (§. 316.), & onus adjiciatur vel tanquam conditio, vel tanquam modus; quamdiu id a tertio acceptatum non fuit, in tua voluntate positum est, utrum id remittere velis, nec ne (§. 342.), promissione conditionata, vel modali in puram conversa (§. 393. 404), consequenter *ante acceptationem a tertio factam onus revocabile.*

§. 436.

Si promissione invalida stare velit promissor.

L. 2. C. De his qui vi et metus caussa
L. 4. C. eod.

Si promissio fuerit invalida, eadem tamen stare velit promissor, cum a voluntate ipsius dependeat, utrum quid præstare alteri velit, nec ne (§. 314. 328.), vel etiam promittere (§. 385.); [*vel præstare debet, quod promissum est*, [*vel nova promissione opus est*, *quæ*, quia nova est, *alia quacunque lege fieri potest*, *quam anterior fuerat* (§. 393.).

§. 437.

De conventione.

Conventio est actus, quo duo vel plures idem decernunt, seu in idem agen-

agendum, aut non agendum consentiunt. Quamobrem cum nemo sese alteri perfecte obligare possit, nisi promittendo (§. 380.); *conventiones per se nullam producunt obligationem, seu non obligant, nisi quatenus promissionem continent.*

§. 438.

Conventio, qua duo vel plures in eandem, vel easdem promissiones consentiunt, *Pactum*, sive *Pactio* appellatur. Quamobrem cum promissa sint servanda (§. 388.); *pacta* quoque *servanda sunt.* Quoniam itaque pacta omnem vim obligandi a promissione habent (§. 380.); *quæ de promissione demonstrata sunt, ad pacta etiam applicanda.* *De pactis.* L. 7. §. 7. De pact.

§. 439.

Pactum expressum dicitur, quod perficitur consensu expresso; *tacitum* vero, quod tacito. Et *pactis expressis tacite insunt, quæ ex iis, quæ expresse dicuntur, per necessariam consequentiam fluunt* (§. 27.), *Conditio autem per se inesse* dicitur *pacto, vel promissioni*, si sine ea præstatio ejus, quod promissum, concipi nequit, veluti si dico: dabo tibi *De pacto expresso & tacito.*

 sum-

sumtus ad gradum doctoratus obtinendum, & *quæ per se pacto vel promissioni inest conditio, pro expresse adjecta habenda.*

§. 440.

De pacto temporario & aeterno. *Pactum temporarium* dicitur, cujus duratio ad certum tempus restringitur; *æternum* vero, cujus duratio perpetua esse debet, hoc est, quamdiu, existunt personæ, quæ ex eodem jus aliquod quæsitum habent. Quoniam *pacta temporaria non minus*, *quam æterna* ad personas paciscentium restringi repugnat; *utraque non personalia*, *sed realia sunt* (§. 401.); *temporaria* vero *non amplius obligant*, *elapso tempore*, *ad quod restringitur eorum duratio* (§. 317.).

§. 441.

De renovatione pacti. *Pactum renovari* dicitur, si paciscentes inter se conveniant, quod idem ultra terminum, qui ipsi præfixus fuerat, per certum temporis intervallum adhuc continuari debeat. *Quodsi* ergo *pactum temporarium termino ad quem veniente non exspirare debeat* (§. 440.); *renovandum est.* Ast quia non idem pactum continuatur, si quoad præstationes quid immutetur, sed novum initur; *in renovatione*

vatione quoad præstationes nihil immutandum. Facile autem patet, *a paciscentium voluntate unice dependere, utrum pactum renovare, an novum facere velint* (§. 393.). Cum paciscentes in renovatione in continuationem consentire debeant (§. 437): tacite vero in eam consentiat, qui quid ab altero contrahentium pacto temporario finito fieri patitur, quod nonnisi vi ejusdem fieri potuerit (§. 27.); *pactum tacite renovatur, si quid ab uno contrahentium pacto finito fiat, quod nonnisi vi ejusdem fieri poterat, altero conscio, nec contradicente, vel si id approbet, veluti accipiendo, quod nonnisi ex pacto dari poterat.* Quoniam vero in tacita renovatione non exprimitur tempus, ad quod pactum continuari debeat; *ad tantum tempus renovatum intelligitur, ad quantum duratio in pacto fuerat expressa.* Enimvero *si initio statim conveniatur, pactum ultra suum terminum continuari debere, nisi statuto tempore significetur ab alterutra parte, quod eodem non amplius teneri velit; pactum vigore primæ conventionis subsistit, donec dissolvatur* (§. 438.), consequenter *non renovatur* (*vi* §. *præs.*).

l. 13. §. fin. locati.

§. 442.

§. 442.

Quando a pacto discedere liceat. *A pacto discedere* dicitur, qui præstare id non vult, ad quod præstandum ex pacto obligatur. Quamobrem cum *præstationes* sint *mutuæ*, si quid unus alteri præstet, ac ideo vicissim alter ipsi quid præstare debeat, consequenter *præstationum mutuarum una supponat alteram tanquam conditionem potestativam* (§. 315.); *si unus paciscentium præstare nolit, quod debet*, seu *a pacto discedit*, cum ne tu obligeris ad præstandum, quod debes (§. 396.), *tibi ab eodem quoque discedere licet.* Quoniam tamen alter obligatur ad pactum servandum (§. 438.), & inde tibi jus est ad servandum alterum adigendi, si nolit (§. 379.), tibi invito non auferendum (§. 100.); *si discedere nolis, tibi adhuc integrum est eum vi adigere ad præstandum id, quod ex pacto debitum.* Ast quia discedendi jus habes, (*per demonstrata*); *si discedis, quia alter discessit prior, fidem non fallis* (§. 389.). Et cum jam in arbitrio tuo positum sit, utrum pactum continuare velis, nec ne; *si qui prior discessit, pœnitentia ductus id continuare velit, tu id acceptare non teneris.* Quoniam vero ratio,

ratio, cur a pacto discedere licet, cessat, *si quis fidem prior fefellit in pacto alio; non licet tibi propterea discedere ab alio.*

§. 443.

Si, dum a pacto disceditur, ex eo jam aliquid fuerit præstitum.

Quodsi alter a pacto discedit, ubi eidem jam aliquid præstiti, cum dolo mihi daretur damnum, si ejus jacturam facere tenerer (§. 17. 269.); *a pacto etiam discedenti quod datum, aut æstimatio ejus restitui debet* (§. 270.). Ex adverso autem, *si quid alter jam præstitit mihi, dum a pacto discedit*, cum damnum incurrat sua culpa, nec ego ipsi me obligaverim ad quid præstandum, nisi totum, quod promisit, præstetur; *ego ipsi nihil restituere teneor*: pœnam dat perfidiæ suæ (§. 390.). *Quodsi* vero *ego totum præstiti, quod ex pacto præstare tenebar*, cum ex parte mea pactum sit adimpletum, nec mihi amplius ab eo discedere detur (§. 442.); *ad pactum* quoque *implendum alterum ut compellam, necesse est, nisi remittendo jus meum* (§. 337. 342.), *contentus esse velim, ut, quod præstitum, restituatur.* Denique *si paria utrinque fuerint præstita*, cum dici nequeat alter cum damno tuo a pacto recedere, ut aliquid tibi restituen-

stituendum sit (§. 270.); *tibi* quoque *discedenti ad nihil tenetur*.

§. 444.

De dissolutione pacti. Pactum dissolvi dicitur, si contrahentes ab obligatione, qua sibi invicem tenentur ex pacto, liberantur. *Quodsi ergo dissolvatur, antequam ex ea quicquam fuerit præstitum, perinde est, ac si nunquam fuisset factum.* Quoniam quilibet jus suum remittere (§. 342.), consequenter alterum ab obligatione sua liberare potest (§. 337.); *mutuo dissensu pacta dissolvi possunt.* Et quia pactum pristinum subsistere nequit, si novum contrarium fiat; *pacto novo contrario pristinum dissolvitur*, mutuus nimirum dissensus, quo pristinum dissolvitur, inest consensui mutuo, quo novum perficitur (§. 438.), per se.

L. 21. §. fin. de pactis

L. 35. de R. J.

L. 12. C. de pactis

§. 445.

De pacto in scripturam redigendo. Cum pacta perficiantur mutuo consensu (§. 438.); *quamprimum utraque pars consensum suum declaravit, pactum validum est*, consequenter *naturaliter valet, antequam in scripturam redigatur*. Nimirum in scripturam redigitur pactum non validitatis, sed probationis cau-

pr. J. de emtione venditione.

caussa, ejus nimirum, quod in eodem promissum est, seu de quo conventum est. Quoniam vero a voluntate paciscentium dependet, quandonam consensus ipsorum immotus intelligi debeat; inter eos *conveniri potest, ne valeat pactum, antequam fuerit in scripturam relatum & subscriptum, aut etiam sigillo munitum.* L. 17. C. de fide instrumentor.

§. 446.

De pacto jurato. Quoniam per juramentum te tantummodo obligas ad dicendum verum (§. 368.); *jurato promittens tantummodo probas, te habere animum præstandi id, quod promittis, & in eo animo te perseveraturum*, consequenter *juramentum non novam producit obligationem aliquid præstandi, ac propterea si ad actum non obligatorium accedit, eundem in obligatorium vertere nequit.* Quatenus tamen eodem fidem tuam fortius adstringis (§. 389. 368.); *turpius habetur fidem juratam fallere, quam non juratam.*

§. 447.

De jure belli ex pacto enato. Quoniam ex pacto acquiritur jus vi adigendi eum, qui servare non vult, ut præstet id, de quo conventum fuit (§. 438.

(§. 438. 379.), violenta vero juris ſui perſecutio bellum eſt (§. 98.); *homini competit jus belli adverſus eum, qui pactum ſervare non vult.* Quodſi pactum quis violat, conſequenter contrarium ejus facit, quod in pacto conventum; jus alterius perfectum ad id ex eodem acquiſitum violat (§. 97.), ac propterea eidem injuriam facit (§. 87.). Quoniam itaque injuria facta juſta cauſa belli eſt (§. 98.); *pactorum violatio juſta belli cauſa eſt.*

CAPUT VIII.
DE USUCAPIONE ET PRÆSCRIPTIONE.

§. 448.

Grot: Lib: II. cap: 11 *Quando res aliena fiat poſſeſſoris.*

Q*ui rem alienam poſſidet*, eam occupavit (§. 200. 210.). Quamobrem *ſi dominus eam derelinquit, ea ſtatim fit poſſeſſoris* (§. 219.), conſequenter a domino vetere, qui dominus eſſe deſiit (§. 203.), *adverſus poſſeſſorem vindicari amplius nequit* (§. 262.). Patet itaque, in eo caſu dominium non acquiri per poſſeſſionem, ſed modo originario, ſcilicet occupatione (§. 210.).

§. 449.

§. 449.

Cum negotia humana exitum habere debeant, & intersit generis humani, ut jura acquisita & obligationes contractæ sint certa; *quod in casu dubio, quando certitudo haberi nequit, præsumitur, id in negotiis humanis contra eum pro vero habetur, contra quem fit præsumtio.* Sane quando pro vero habetur, quod quis sufficienter indicat (§. 318.), etsi fieri possit eum mentiri (§. 351.), nonne præsumitur, eum verum dicere? Immo si jurato creditur, etsi fieri possit, eum pejerare (§. 371.), nonne præsumitur, eum non pejerasse? *In promissionibus* itaque, consequenter *in pactis* (§. 438.) *præsumitur veritas dictorum, sine qua nil valide promitti poterat.*

Præsumtionis in negotiis humanis necessitas.

l. 33. §. 2. de legatis 3.

§. 450.

Inde vero jam sequitur, *ut, si constare certo nequit, quando intererat ut constaret, num dominus rem suam dereliquerit, derelictio tamen præsumitur, quod eam dereliquerit, pro vero habendum sit* (§. 449.), & per consequens *res fiat possessoris* (§. 448), nimirum non quia possidet, sed quia res possessa

Dominii acquisitio ex derelictione præsumta.

l. 98. de adquir. l. omitt. hered.

pro re nullius habetur (§. 203.) & ab ipso occupata (§. 448.).

§. 451.

Usucapio quid sit & quaenam usucapi possint.

Acquisitio dominii ex derelictione praesumta dicitur *Usucapio.* Quando vero in jure civili res usucapi dicitur per continuationem possessionis temporis lege definiti: lege civili nonnisi determinatur modus derelictionem praesumendi, qui mere civilis est. Sane cum nemo indubium revocare possit sola possessione dominium non acquiri (§. 200.), nec tempori esse vim possessionem validam efficiendi ad dominium acquirendum; *possessio quantocunque tempore continuata non est modus naturalis acquirendi dominium.* Ceterum cum etiam res incorporales dominio subjici possint (§. 206.); *non minus res incorporales*, consequenter *etiam jus ad rem* (§. 121. 335.), *quam corporales usucapi possunt.*

§. 452.

De praescriptione.

Praescriptio est amissio juris proprii ex consensu praesumto. Quoniam itaque, qui rem dereliquisse praesumitur, dominium (§. 203.) & per consequens jus

jus vindicandi amisisse præsumendus (§. 262.); *si usucapitur, dominium & jus vindicandi præscribitur ei, qui fuerat dominus.* Equidem hodie præscriptio & usucapio promiscue usurpantur: consultius tamen est, ut a se invicem distinguantur in jure naturæ, præsertim cum distinctio etiam faciat ad intimius perspiciendum Jus Romanum. Ceterum *præscriptionem esse juris naturalis*, per rationem eandem patet, ob quam usucapionem huic juri vindicavimus (§. 449. & *seqq.*). Nec minus manifestum est, *qui alteri præscribit jus ad id, ad quod præstandum ipsi obligatus erat, eum ab obligatione sua liberari.*

§. 453.

Notandum vero hic est, cum præsumtio denotet collectionem probabilem rei dubiæ in casu singulari (§. 27.), ac ideo, *quod præsumitur, falsum esse possit; id pro vero tantum haberi, donec contrarium fuerit probatum.* Et quia nemo non probabilius agnoscit, id futurum, quod plerumque fit, quam quod rarius, nisi rationes peculiares in contrarium prostent; ideo *quod plerumque* *De præsumtione.* L. 33. §. 2. de Legatis 3. L. 9. de probat.

fit, id præſumitur, non vero *quod rarius, ubi nullæ peculiares rationes proſtant.* Dividitur autem præſumtio in abſolutam & conditionalem. *Præſumtio abſoluta* eſt, qua, quod præſumitur, id pro vero haberi lex jubet; aſt *conditionalis*, qua, quod præſumitur, tamdiu pro vero habendum, donec contrarium probetur. Præſumtio abſoluta coincidit cum ea, quæ ab interpretibus Juris civilis *Præſumtio juris & de jure* vocatur; conditionalis vero cum ea, quæ ab iisdem *Præſumtio juris* appellatur. Addunt equidem illi tertiam ſpeciem, quam *præſumtionem hominis* vocant, quæ fit ab homine, veluti a judice, ubi lex tale quid præſumi non ſtatuit. Cum *in Jure naturæ* probentur præſumtiones omnes rationi conſentaneæ; *præſumtio juris & præſumtio hominis differunt.* In eodem autem jure fundata eſt differentia inter præſumtionem juris & juris & de jure, nimirum ut aliquid, quod præſumitur, vel tamdiu pro vero habeatur, donec contrarium probetur, vel ut abſolute pro vero habeatur, qualis eſt qræſumtio veritatis dictorum ab eo,

eo, qui ad dicendum verum obligatur, in promissis (§. 449.).

§. 454.

Titulus justus est, qui infert nudam possibilitatem juris acquisiti, veluti dominii, non vero ipsam actualem acquisitionem, ut si quis rem emit, cum etiam a non-domino emere potuerit. Unde *Titulum justum habere* dicitur possessor, qui possessionem acquisivit istiusmodi facto, quo dominium a domino transferri posse lex declarat. Factum hoc si fuerit verum, *Titulus verus* dicitur; si putas esse verum, cum non sit, veluti si putas, rem tibi donatam esse, quæ non est, *Titulus putativus*; si vero factum quidem fuerit verum, in eo autem erres, quod tali facto jus tale acquiri possit, veluti rei amissæ inventione dominium, *Titulus falsus*. Hinc apparet, *titulum justum esse speciem quandam tituli inter verum & falsum intermediam.* Habet nimirum aliquam tituli veri partem, quatenus factum quidem verum est, veluti quod rem emeris: nondum tamen constat, an reliqua adsint requisita ad dominium transferendum, veluti quod emeris a domino. *De tituli divisione.*

Ceterum titulus quoque dividitur *in lucrativum & onerosum* quatenus lex, quæ declarat te facto tuo acquirere aliquod jus, ad nihil vicissim te obligat, vel ad quid vicissim præstandum.

§. 455.

Quomodo possessio b. f. acquiratur. Cum, quod ordinarium est, præsumatur (§. 453.); *quilibet possessor præsumitur dominus rei, nisi prostent rationes probabiles in contrarium, tantoque magis, si constet, eum justum titulum habere* (§. 454.). Hinc porro liquet, *qui rem a domino præsumto*, consequenter *a possessore quocunque, cujus dominium cur sit suspectum, nullæ rationes probabiles prostant, justo titulo accepit, eum bona fide posidere* (§. 201.).

L. 7 C. de probationibus

§. 456.

De possessione justa & injusta. Dicitur autem *Possessio justa*, quæ & titulo justo, & bona fide constat; si alterutrum deficit, *injusta*. Exemplum in casu posteriori est, si nosti, te rem emisse a non-domino, vel si putas, rem amissam, quam invenisti, esse tuam.

§. 457.

De certitudine dominiorum pro- Quoniam damnum omne cum a nobis, tum ab aliis avertere debemus (§. 269.); *nemo negligens*, consequenter

ter *quilibet diligens esse debet* (§. 21.) *in inquirendo in res suas, quæ forsan in alterius potestatem venerunt, nec non in jura sibi competentia, sibique cavere, ne inter res, quas possidet, reperiantur, quæ sunt alterius*, consequenter *operam dare, ut dominium earum rerum, quas possidet, sibi sit certum, & ne dominia aliorum maneant in incerto.* Quamobrem *lex naturæ hominibus* quoque *jus dat ad ea, sine quibus dominiorum certitudo obtineri nequit* (§. 46.). Inde autem simul intelligitur, *si quis novit rem suam ab alio possideri, nec eam derelinquere vult, eum tacere non debere.* **movenda.**

§. 458.

Derelictionis ex facto positivo præsumtio. Quoniam, *qui scit rem esse suam, ea tamen facit, quæ facere non poterat, si eam suam esse vellet*, veluti si cum possessore de eadem contrahit tanquam de re aliena, cum ex hoc facto colligatur, quod eam suam esse nolit, seu tuam esse velit; *eam dereliquisse præsumitur* (§. 27. 203.).

l. 95. de adquir. l. omitt. heredit

§. 459.

De consensu ex silentio præsumto. *Si quis tacet, quando loqui poterat & debebat*, cum non alio fine hoc facere videatur, quam quod idem velit, quod

vult alter, vel ceteri volunt, qui animi ſui ſententiam ſufficienter ſignificant; *is conſentire præſumitur*[c] (§. 27.). Atque ideo patet, *ſilentium, ex quo præſumitur conſenſus, eſſe debere ſcientis ac volentis.*

§. 460.

Præſumtio derelictionis rei ex ſilentio.

Quamobrem cum tacere non debeat, qui novit, rem ſuam ab alio posſideri, nec eam derelinquere vult (§. 457); *qui ſcit rem ſuam ab alio poſſideri, nec multo tempore contradicit, cum ratio nulla manifeſta appareat, cur ſilendum, is eam dereliquiſſe præſumitur* (§. 459.).

§. 461.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam vero in inquirendo in res ſuas, quæ forſan in alterius poteſtatem venerunt, quilibet diligens eſſe debet (§. 457.), & homines rerum ſuarum amantes eſſe conſtat; *ſi quis multo tempore rem alienam poſſidet, dominus noſſe præſumitur, quod eam poſſideat, niſi manifeſtæ rationes in contrarium proſtent, vel, ſi res mobiles fuerit, deſperare quod ad notitiam ſuam ſit perventurum, quinam poſſideat,* conſequenter *ex ſilentio diuturno rei derelictio præſumi-*

sumitur, nisi manifestæ prostent in contratium rationes (§. 460.).

§. 462.

Cum dominia rerum semper manerent in incerto, nisi præsumtio ista admittatur, quod per anteriora satis manifestum est; *præsumtio derelictionis rei adversus negligentem in inquirendo in res suas absoluta est, seu juris & de jure* (§. 453.). *Qualis ista præsumtio sit.*

§. 463.

Hinc porro conficitur, *usucapionem & præscriptionem esse juris naturalis* (§. 451. 452.). Juris nimirum civilis est, quod præsumtio derelictionis restringatur ad certum tempus. *Usucapio & præscriptio cujusnam juris.*

§. 464.

Quoniam vero, qui mala fide possidet, rem domino restituere tenetur (§. 201. 261.), consequenter restituturus scire potest, utrum dominus eam suam esse velit, an nolit cum derelictionis præsumtioni locus non sit (§. 203. 27.); *mala fides usucapioni & præscriptione semper obstat*, consequenter *ad usucapionem & præscriptionem toto tempore possessionis bona fides requiritur.* *De bona fide ad præscriptionem requisita.* cap. fin. X. de Praescript.

CAPUT IX.

DE ACTIBUS MERE BENEFICIS IN PRÆSENS ABSOLUTIS.

§. 465.

De actu simplici & composito.

Omnes actus aliis utiles vel in dando, vel in faciendo consistunt, quod per se patet. Dicuntur autem *Actus* isti *simplices*, qui resolvi nequeunt in plures, quorum unus absque altero, vel ceteris esse potest: ast *compositi*, qui in plures resolvi possunt, quorum unusquisque per se subsistere potest.

Grotius Lib. II. c. XII. l. 38 de contract. cond.

§. 466.

Actus beneficus quinam & quotuplex.

Vocatur autem *Actus beneficus*, ex quo unus tantummodo utilitatem percipit, alter vero nihil vicissim accipit; isque *mere beneficus*, cui nulla adhæret obligatio perfecta; *obligatorius* autem, cui obligatio perfecta adhæret.

§. 467.

Actus permutatorii quinam & quotuplices.

Actus permutatorius dicitur, quo utraque pars ad aliquid dandum, vel faciendum adstringitur. *In actibus* itaque *permutatoriis res & facta invicem permutantur*, nimirum res cum rebus, res cum factis & facta cum factis. Est autem

tem

tem *actus* permutatorius vel *diremtorius*, qui separatam utriusque partis utilitatem respicit, pecularibus præstationibus obtinendam; *quo* adeo *adimpleto nihil negotii inter contrahentes amplius reliquum est*; vel *communicatorius*, in quo per præstationes communes intenditur communis quædam utilitas.

§. 468.

Differentia actuum diremtoriorum.

Cum in actibus permutatoriis, consequenter etiam in diremtoriis permutetur vel res cum re, vel res cum facto, vel factum cum facto, & in hisce spectetur separatim utriusque partis utilitas (§. 467.); *in actibus diremtoriis vel do ut des, vel do ut facias, vel facio ut facias.* Nimirum facio ut des per se nullam facit differentiam ab actu do ut facias. Quoniam vero dari possunt tam res incorporales, quam corporales; usus quoque tam nudus, quam cum fructu conjunctus dari potest; cumque pecunia fungatur vice omnium rerum, vi suo loco demonstrandorum, pecunia quoque.

§. 469.

Differentia

Quoniam *facta & res inter se communicare*

actuum communicatoriorum. *L. 551. pro socio* *nicare* dicuntur, qui eadem conferunt ad communem quandam utilitatem; *in actibus communicatoriis vel facta, vel res sive pecunia, vel inde res sive pecunia, inde facta communicantur.*

§. 470.

Beneficium, Benefactor & Beneficiarius. Actus mere beneficus, qui in præsens absolvitur, seu quo statim do alteri, vel facio, dicitur *Beneficium*: ast qui in futurum prominet, seu quo me ad dandum vel faciendum alteri obligo, promissio liberalis est (§. 425.), seu beneficii promissio. Quamobrem cum *gratis dare vel facere* dicatur, qui pro eo, quod dat, vel facit nihil vicissim recipit: *beneficia dantur gratis*: & quia *gratuitum* dicitur quod gratis præstatur; *actus mere benefici gratuiti sunt.* Qui beneficium dat, *Benefactor*; qui accipit, *Beneficiarius* appellatur.

§. 471.

Beneficiorum materia. Actus nostri non intelliguntur aliis utiles, nisi quatenus ad bonum quoddam animi, vel corporis, aut fortunæ qui conferunt, aut malum quoddam animi, vel corporis, aut fortunæ avertunt, vel auferunt. Quamobrem *actus omnis,*

omnis, quo ad bonum quoddam animi, vel corporis, aut fortunæ alterius gratis quid conferimus, aut malum quoddam avertimus, vel depellimus, beneficium est (§. 470.).

§. 472.

Quoniam homo quilibet alium quemcunque ope ipsius indigentem juvare debet, ut consequatur animi, corporis ac fortunæ bona, quantum in potestate sua est, & cavere ne alii in mala ipsis opposita incidant (§. 134.); *homines ad beneficia mutua sibi invicem naturaliter obligantur, quantum in potestate est, & beneficium merentur, qui eodem indigent, aut ipsi acquirere, aut facere nequeunt, quæ dat, aut facit benefactor* (§. 471.). *Qui beneficia dare debeat, quinam mereatur.*

§. 473.

Cum *introductis dominiis* homines sibi invicem obligentur ad dandum, vel faciendum, prouti unusquisque re vel opera alterius indiget (§. 329.), consequenter quantum ego tibi obligor, tantum quoque tu mihi obligeris; *nemo alteri gratis dare, vel facere tenetur, si is vicissim dare, vel facere possit.* Et quia a domini voluntate dependet, num & *Quando beneficia non danda.*

quo-

quomodo dare (§. 314), vel facere velit (§. 225.); *a voluntate benefactoris dependet, num beneficium dare velit* (§. 470.), *nec ad dandum beneficium quis compelli potest.* Quodsi gratis non des, vel facias, dandum est ut det alter, dandum ut faciat, vel faciendum ut faciat. Atque hinc patet, *actus permutatorios diremtorios naturaliter licitos esse* (§. 467. 468.). Quodsi vero nil gratis dandum, *in actibus permutatoriis diremtoriis quantum unus præstat alteri, tantundem hic vicissim ipsi præstare tenetur.*

§. 474.

De animo grato & ingratitudine.

Quoniam homines ad mutua beneficia sibi invicem obligantur (§. 472.), & beneficium ab altero acceptum motivum est eidem vicissim benefaciendi (§. 73.); *beneficiarius obligatur ad benefaciendum benefactori, quia benefecit, natura* (§. 35.), consequenter *si actu non possit, saltem habere debet animum benefaciendi* (§. 37.). Quamobrem cum *beneficium reddere* dicatur, qui alteri beneficium præstat, quia accepit; *gratus* vero *animus*, qui ad beneficium reddendum dispositus est; *beneficiarius gratum erga benefactorem animum habere debet*,

&

& quoniam *gratias agere* dicitur, qui gratum animum verbis, vel factis testatur, *gratias eidem agere.* Enimvero cum *ingratus* sit, qui animum gratum non habet, consequenter nec verbis, multo minus factis eundum declarat, immo contrarium prorsus facit; *ingratitudo lege naturali probibita* (§. 51.).

§. 475.

Datio gratuita *Donatio* appellatur; quod vero gratis datur, *Donum*, sive *munus.* Qui donum dat, *Donans*, vel *Donator*, qui accipit, *Donatarius* appellatur. Cum in donatione transferatur dominium ejus, quod datur (§. 258.); *ad donationem requiritur acceptatio* (§. 316.), *& a donatoris voluntate dependet, num & quomodo, aut qua lege donare velit* (§. 314.), *neque* adeo *donatio habere debet causam expressam* (§. 78.). Patet vero, *quæ de datione demonstrata sunt, ea quoque ad donationem applicanda esse*, consequenter *etiam quæ de promissione demonstrata.* *De donatione.*

§. 476.

Cum donatio beneficium sit (§. 470. 475.); *donatarius ad gratias agendum* *De gratitudine donatarii.*

Dona-

Donatori & ad gratum animum obligatur (§. 474.): quoniam tamen id saltem officii est, cum ad idem donator sibi non obligaverit perfecte donatarium (§. 380.); *donatio* quoque *naturaliter ob ingratitudinem revocari nequit.*

L. fin. C. de revoc. donat.

§. 477.

De jure donandi interno.

Quoniam dominus re sua aliter uti non debet, quam officia exigunt (§. 202.); *eum* quoque *donator facere debet juris donandi usum, quem officia exigunt*; id quod tamen in validitate donationis non attendendum (§. 475.).

§. 478.

De pactis donationi adjectis.

L. 9. C. de donat.

Cum donator lege quacunque donare possit, prouti scilicet ipsi visum fuerit (§. 475.); *donationi* quoque *pactum quodcunque licitum adjicere potest*, veluti *pactum non alienandi rem dono datam, pactum de revocanda donatione, item de jure ad præstationem quandam donatarium, vel ejus successorem compellendi.* Atque hæc *pacta donationi adjecta a donatario servanda* (§. 438.). Ceterum hinc liquet, *donationem* quoque *fieri posse ea lege, ut donator sibi reservet usumfructum*, consequen-

quenter, *tum rem donatam manere debere in potestate donatoris* (§. 200.)

§. 479.

Si donator donat ideo, quia moriturus est, consequenter vel cum expressa vel cum tacita reservatione donationem ante mortem revocandi, siquidem visum fuerit, *Donatio mortis causa* dicitur. Cum nos aliquando morituros certum sit, etsi incerta sit dies mortis; *mortis causa donare potest non modo qui infirma utitur valetudine, aut is, cui periculum mortis imminere videtur, verum etiam qui integra adhuc valetudine utitur.* Patet autem, *donationem mortis causa morte demum fieri irrevocabilem, & si quid mortis causa donatum a donatore alienetur, donationem ipso facto revocari.* *De donatione mortis causa.*

§. 480.

Opponitur donationi mortis causa *Donatio inter vivos*; quæ etiam simpliciter *Donatio* dicitur, quia irrevocabiliter donatur. *Donatio inter vivos.*

§. 481.

Cum donatio inter vivos statim fit valida (§. 480.), donatio autem mor- *De donatario præmoriente.*

tis causa ante mortem donatoris revocabilis non subsistat, antequam mortuus fuerit donator, nec ab eo revocata (§. 479.); *si donatarius præmoriatur, donatio mortis causa non subsistit, subsistit tamen donatio inter vivos, etsi res nondum tradita fuerit.*

§. 482.

De donatione remuneratoria. *Donatio remuneratoria* dicitur, quæ fit ob bene merita a donatario in donantem profecta, vel beneficia ab eo in hunc collata. Dicitur autem *bene mereri* de aliquo, qui operam dat, ut ei quocunque modo prosit, vel agit, quod ad utilitatem vel jucunditatem facit. *Ad donationes remuneratorias, si in potestate sint, naturaliter obligamur*, cum eædem grato animo fiant (§. 474.), præsertim *si mortis causa fiunt* (§. 479.), atque *hæc non revocanda, nisi quando re donata indiges ad sublevandam vitæ tuæ ac tuorum necessitatem, utut in eo standum sit voluntate tua* (§. 479.).

§. 483.

De donatione reciproca. *Donatio reciproca* dicitur, quæ fit sub hac conditione, ut tu mihi vicissim rem aliam dones. *Æquipollet* itaque

dona-

donationi sub onere factæ (§. 409.). Cum vero donatio utraque sit datio gratuita (§. 475.); *in donatione reciproca nulla fit rerum æstimatio.*

§. 484.

Mortis causa capio.

Mortis causa capio dicitur acquisitio rei intuitu mortis alienæ, sed non ex bonis defuncti: sit ita quod *Julianus* JCtus l. 18. ff. *de mort. c. donat. & cap.* vocabulum in genere sumat, ut etiam comprehendat donationem mortis causa. Quamobrem *mortis causa capio est*, *si quid tibi dono intuitu mortis alterius*, veluti si tibi dono decem aureos, quod mihi nuncias mortem agnati mei, qui me hæredem instituit, vel inimici mei, qui nocere potuit: item *si tibi promitto rem quandam ex hæreditate acquisita*, cum, adita hæreditate, bona, quæ fuerunt defuncti, jam sint mea; *illius acquisitio mortis causa capio est.*

§. 485.

Superfluum quid sit.

Sicuti in genere *superfluum* dicitur id, sine quo finis, cujus gratia est, obtineri potest; ita respectu rerum, quas habemus, *superfluum* vocatur, quod ultra eas res habemus, quæ ad vitæ ne-

cessitatem, utilitatem, jucunditatem & decorem sufficiunt.

§. 486.

De divitiis. Patrimonium, quod superfluum continet, *Divitiarum* fert nomen. *Pro eo* igitur, *quod superfluum est in patrimonio, gradus divitiarum major, vel minor est, & divitiæ æstimandæ sunt ex qualitate & conditione personæ.* Hinc *Dives* appellatur, cujus patrimonium superfluum continet; *Opulentus* vero, cui magnæ sunt divitiæ, seu qui omnium rerum affluentia abundat. *Dives* igitur *plus habet, quam quæ ad vitam commode, jucunde ac decore transigendam sufficiunt* (§. 485.). Pro patrimonio, quod ultra id non continet, qud vitæ necessitati, commoditati, jucunditati & decori sufficit, in egestate sermonis Latini de qua conquesti sunt *Lucretius* lib. 1. v. 31. & *Plinius* lib. 4. epist. 17. vocabulum commodum ad designandum medium statum inter divitias & paupertatem reperire non potui. Sermone patrio das Auskommen dicimus & quatenus diversi dantur gradus respectu commoditatis, jucunditatis et decori, inter nöthiges Aus-

Auskommen und gutes und reichliches Auskommen distinguimus.

§. 487.

Fx adverso *Pauperem* vocamus, cujus patrimonium nonnisi res necessarias continet; *Egenum* vero, in cujus patrimonio res etiam necessariæ deficiunt. Quodsi quis tanta rerum inopia laboret, ut desint ea, quæ extrema vitæ necessitas exigit, *Mendicus* est: quæ si sit temporaria, veluti si quis ægrotet, aut occasio labore suo aliquid acquirendi deficiat, *mendicitas temporaria* est. *De paupertate, egestate & mendicitate.*

§. 488.

Quod datur ad sublevandum extremam vitæ necessitatem, *Eleemosyna* dicitur; & *mendicare*, qui eleemosynam petit. *Danda* igitur *eleemosyna ad mendicitatem redactis* (§. 487.). Et quoniam alteri præstare non obligamur ea, in quibus ope nostra non indiget (§. 44.); *mendicare non licet nisi iis, qui labore suo tantum acquirere minime possunt, quantum ad vitæ necessitatem sufficit, sive defectu virium, sive occasionis laborandi, atque his danda* *De eleemosyna, & cuinam eadanda.*

eleemosyna. Ne vero deneges eleemosynam eadem indigenti; *in casu dubio judicium de mendicitate relinquendum est mendicanti.*

§. 489.

Quantum mendicare liceat & quomodo eleemosynis utendum.

Quoniam eleemosynæ dantur ad sublevandam extremam vitæ necessitatem, nec eas petere licet, nisi hujus causa (§. 488.); *non plus mendicare licet, quam quantum ad vitæ necessitatem sublevandam sufficit, & eleemosynis abutitur, qui eas impendit ad vitæ commoditatem, vel jucunditatem,* Quoniam *si quis mendico ultro plus dat, quam quantum ad vitæ necessitatem sublevandam sufficit*, eidem quid donat (§. 475.), a donatoris autem voluntate dependet, num donare velit (§. *cit.*); *quin mendico id accipere liceat, dubitandum non est.* Et quia *medicus* dominium in eleemosyna habet (§. 258.); *si eleemosynis abutitur, id ipsius conscientiæ relinquendum* (§. 202.).

§. 490.

De danda eleemosyna.

Cum introductione dominiorum nemini penitus auferri potuerit usus rerum necessarius (§. 304.); *qui eleemosynam dare possunt, pro modo facultatum sua-*

suarum dare obligantur. Quamobrem non modo *divites ad dandam eleemosynam, & opulenti ad pluribus & largiorem dandam obligantur* (§. 486.); verum etiam *si pauperi non tanta sit penuria verum, quin etiam necessariis sine neglectu officii erga seipsum & suos detrahere quid possit, is ad dandum eleemosynam modicam obligatur*; immo *si mendicus plus mendicando acquisivit, quam quæ ad præsentem vitæ necessitatem sufficiunt, & videat alium iis carentem, eleemosynam quandam eidem dare decet.* Et quoniam introductis dominiis, quæ gratis facis ad sublevandam extremam vitæ necessitatem aliorum, ea eleemosynis æquivalent (§. 327. 488.); *pauperes* etiam, *egeni*, *immo mendici*, *quæ ad sublevandam vitæ necessitatem facere aliis possunt, gratis facere debent.* Enimvero *qui ipse non habet, nisi quod ad tolerandam vitæ necessitatem sufficit, ad dandam eleemosynam non obligatur* (§. 133.). Et quia eleemosyna beneficium quoddam est (§. 470. 488.), ad beneficium vero dandum nemo compelli potest (§. 473.); *ad eleemosynam* quoque *dandam mendicus neminem compellere*

poteſt, conſequenter *ſi petenti, immo precibus inſtanti denegetur, id ferendum, & ab aliis eleemoſyna petenda.*

§. 491.

De eleemoſynis pro aliis colligendis.

Cum aliis, qui ope noſtra indigent, opem ferre debeamus, quantum poſſumus (§. 44.), & lex naturæ nobis det jus ad eos actus, ſine quibus obligationi noſtræ ſatisfacere non poſſumus (§. 46.); *eleemoſynam* quoque *petere licet ad ſublevandam aliorum vitæ neceſſitatem extremam*: quo tamen non obſtante, *qui eleemoſynam pro aliis colligit, non liberatur ab obligatione dandi eleemoſynam de propriis* (§. 42.).

§. 492.

De miſericordia.

Miſer dicitur, qui multa, vel magna experitur mala, præſertim corporis ac fortunæ. *Egeni* igitur *& mendici miſeri ſunt* (§. 487.). *Miſericors* autem appellatur, cui alterius miſeria motivum eſt eum a malis, quibus affligitur, gratis liberandi, aut ſaltem ea tollerabiliora efficiendi, quantum in poteſtate eſt. Quamobrem cum cavere debeamus, ne alii incidant in mala animi, corporis ac fortunæ, quantum poſſumus (§. 134.), conſequenter etiam curæ habe-

bere, ut ab iis liberentur, aut ea saltem tollerabiliora efficiantur; *misericordes esse debemus.*

CAPUT X.
DE PRETIO RERUM ET PECUNIA.

§. 493.

Si tibi do rem A & tu mihi tantundem dare debes, veluti B, necesse est ut quantitas ipsius B determinetur ex A, sine tertio homogeneo assumto: quæ relatio ipsius A ad B a Mathematicis *Ratio* dici solet. *Quando* igitur *nil gratis dandum, vel faciendum est, necesse est, ut tam rerum corporalium & incorporalium, quam operarum ad se invicem & rerum ad operas definiatur ratio*, qualem cum non habeant a natura, utpote *heterogenea*, quorum scilicet unum aliquoties sumtum alteri æquale fieri, aut id superare nequit, *ea arbitrio hominum determinanda.* Hoc igitur ut fieri possit, *rebus attribuenda est aliqua quantitas, secundum quam una ad alteram comparari potest.* Ficta hæc quantitas, quam *Puffendorfius* vocat *moralem*, in oppositione ad *physicam*, quæ rebus inest, vel operis inesse intelligitur, rebus

Pretium rerum & operum quid sit & ejus necessitas.

ac operis arbitrio hominum tributa, ut earum ad se invicem ratio definiri possit, *Pretium rerum & operarum* dicitur, idque cum addito *vulgare*.

§. 494.

Quid sit pecunia & ejus usus. Enimvero ut rerum & operarum diversarum, numero multiplicato, præsertim cum in actibus permutatoriis non facile quilibet opus habeat re, vel opera alterius, quam vicissim dare, vel præstare potest, quantitatem istam rebus affictam tanto commodius & ad communem omnium utilitatem metiri liceret, assumenda erat quantitas quædam determinata physica rei cujusdam corporalis, qua illam metiri daretur. Et res ista corporalis, cujus determinata quædam quantitas sumitur pro mensura communi pretii rerum quarumvis, corporalium & incorporalium, & operarum, *Pecunia* vocatur: quæ ideo etiam definiri potest, quod sit mensura communis pretii rerum & operarum. Hinc *pretia rerum & operarum sunt pecuniæ proportionalia, ita ut pecunia dupla definiat duplum pretium rerum & operarum* ac ita porro. Et propterea *pecunia pro re & opera qualibet dari*, ac *pro*

pro pecunia res & operæ quælibet ab alio comparari possunt. Atque sic *in actibus permutatoriis pecunia fungitur vice rerum & operarum.*

§. 495.

Pretium rei vel operæ cujusdam per quantitatem pecuniæ determinatum dicitur *eminens.* Cum pretium eminens succedat in locum vulgaris (§. 493. 494.); *pretia rerum vulgaria sunt ut eminentia, & contra,* veluti si unius modii avenæ pretium sint octo grossi, pretium autem unius modii hordei duodecim, ratio pretiorum eminentium est ut 8 ad 12, seu ut 2 ad 3; eadem vero est ratio pretiorum vulgarium, cum in permutatione avenæ & hordei unus modius avenæ æquiparetur duabus tertiis unius modii hordei. Patet etiam, *pretia tam vulgaria, quam eminentia rerum & operarum ejusdem speciei quantitati earum physicæ proportionalia esse.* *De pretio eminente.*

§. 496.

Quantitas vero physica pro diversitate rerum corporalium determinatur certa mensura, prouti communi experientia constat; quantitas vero incorporalium æstimatur ex utilitate, quæ inde *De quantitate physica.*

inde percipitur, veluti jus aucupandi aves in certo diſtrictu ex numero avium uno anno capiendarum, demto operarum pretio una cum impenſis ceteris; quantitas denique operarum æſtimatur vel tempore, quo durarunt, vel quantitate effectus, qui iisdem productus.

§. 497.

De pretio primitivo & derivativo.

Diſtinguimus autem pretium primitivum a derivativo. Nimirum *Pretium primitivum* nobis eſt pretium quantitatis phyſicæ rei vel operæ cujuscunque menſura certa definitæ per certam pecuniæ quantitatem determinatum, quod inſtar menſuræ in ſuo genere ſumitur. *Derivativum* vero, quod proportionaliter reſpondet quantitati ejusdem majori, vel minori.

§ 498.

De pretio rerum determinando.

Cum nemo alteri gratis dare teneatur, ſi is viciſſim dare, vel facere poteſt (§. 473.), pro pecunia autem res ac operæ quæcunque comparari poſſint (§. 494.); *pretia rerum & operarum primitiva ita determinanda ſunt, ne cuiquam laborare volenti deſint res neceſſariæ* (§. 121.), ac ideo *pretia rerum neceſſa-*

ceſſariarum ita determinanda ſunt, ut eædem vilis operæ pretio comparari poſſint, & quo major eſt earum copia, eo minus pretium eſſe debet. Enimvero cum rebus utilibus ac inprimis voluptuariis non adeo indigeamus, quam neceſſariis (§. *cit.*); *ſi ſolum uſum ſpectemus, rerum utilium majus pretium conſtituere licet, quam neceſſariarum, & voluptuariarum majus, quam utilium.* Quoniam vero nemo hominum cogi poteſt, ut ſibi res ab alio comparet hoc vel iſto pretio, utpote de pecunia ſua pro arbitrio ſuo diſponens (§. 195.); *pretia rerum, præſertim utilium, ac omnium maxime voluptuariarum ita determinanda ſunt, ut etiam alter tanto pretio eas ſibi comparare velit.* Et ob eandem rationem *in ſtatu naturali pretia rerum determinari nequeunt niſi mutuo conſenſu.*

§. 499.

De pretio æquo & iniquo.

Pretium æquum eſt, quod juri naturæ convenienter determinatum, ita ſcilicet ut nihil committatur, quod eſt contra officia ac inde naſcentia jura: *iniquum* vero eſt, quod illi contrarium. Sed quoniam in his ſtandum eſt communi

muni hominum res & operas permutantium consensu (§. 498.); *pretium æquum habetur, quod in actibus permutatoriis communi hominum consensu alicubi introductum.* Cum vero variatis circumstantiis pretium rerum ac operarum variari debeat, id quod dissertius ostendi hic nimis prolixum foret; *quod uno tempore pretium æquum est, alio iniquum esse potest.*

§. 500.

De mercede. Ceterum pretium operarum peculiari nomine *Merces* appellatur; & tum in significatu strictiori pretium denotat, in oppositione ad mercedem, solum rerum pretium.

§. 501.

Pecuniæ materia & forma. Cum *pecunia* detur pro re & opera quacunque (§. 494.), consequenter accipiatur, ut detur alii, ac ideo per manus tradita continuo ab uno ad alterum veniat; eadem *constare debet ex materia durabili, quæ* scilicet *nec usu facile teritur, nec servando corrumpitur*, cumque commodum sit, si exiguæ quantitati ejus materiæ, ex qua constat, valor tribui possit, qui æqualis sit valori rerum

rerum magnæ quantitatis, *ex materia istiusmodi, quæ ad res artificiales frequentis ac indispensabilis usus non requiritur & quæ rarior.* Unde facile infertur, *pecuniæ maxime convenire aurum atque argentum.* Et quoniam quilibet de valore certus esse debet, atque securus de materia non falsata; eidem inscribenda ratio, quam habet ad eam, quæ in numerando pro unitate sumitur, ac imprimendum bonitatis intrinsecæ signum, hoc est, *pecunia signanda.*

§. 502.

De moneta. Pecunia in certas partes divisa & signata *Moneta* appellatur. Atque ideo patet, *monetam fuisse introducendam* (§. 501.): sit ita, quod gentes quædam usæ fuerint argento & auro puro, minime signato.

§. 503.

De magnitudine patrimonii æstimanda. Cum pretium rerum omnium pecunia determinetur (§. 494.); *patrimonii* quoque *magnitudo pecunia æstimatur, &, quam quis actu habet, pecunia eidem annumeratur* (§. 207.). Dicitur autem *pecunia numerata*, quam quis actu habet. *Debita exigibilia* cum sint, side-

si debitor dare potest, quod debet, seu si sit solvendo; *inexigibilia vero*, si debitor solvendo non sit; *debita exigibilia æquiparantur in æstimanda patrimonii magnitudine pecuniæ numeratæ, debitorum inexigibilium ratio habetur nulla.*

§. 504.

Quomodo divitiæ, paupertas, egestas, & mendicitas æstimentur.

Quoniam dives est, cujus patrimonium superfluum continet (§. 486.); *divitiæ æstimantur ex quantitate pecuniæ superfluæ* (§. 503.). Et *pauper est, qui nonnisi tantum pecuniæ labore suo acquirere valet, quæ ad res necessarias comparandas sufficit; qui ne quidem tantum acquirere valet, egenus; & qui ne tantillum quidem, quantum ad comparandas res sufficit, quas extrema vitæ necessitas exigit, mendicus* (§. 487.).

§. 505.

Reditus, eorumque differentia.

Reditus dicuntur ea, quæ ex rebus nostris, vel operis nostris acquirimus. Appellantur *annui*, qui intra unius anni spatium proveniunt; iidemque *stati*, si singulis annis iidem sint; *variabiles* vero, qui uno anno majores, alio minores sunt, vel etiam nulli.

§. 506.

§. 506.

Expensæ dicuntur pecunia, qua quis res sibi comparat, quæ vel usu consumuntur, vel deteriorantur, aut quæ gratis datur aliis. Unde liquet, *impensas esse in expensarum numero* (§. 279.). Sunt autem *expensæ ordinariæ*, quæ constanter fiunt, vel stato tempore redeunt; *extraordinariæ* autem, quas nonnisi casu emergente fieri necesse est. Pro diversitate rerum, aut impensarum vel *necessariæ* sunt, vel *utiles* & *voluptuariæ* (§. 121. 279.). Sunt autem præterea *minus necessariæ*, quæ fiunt rerum comparandarum gratia, quibus carere poteras; & *inutiles*, quæ fiunt rerum comparandarum causa, quæ tibi nulli prorsus usui sunt. *Expensæ earumque differentia.*

§. 507.

Cum curæ habere debeamus, ut vitam commode ac jucunde (§. 119.), immo & decore transigamus (§. 55.); *operam dare pro virili debemus, ut tantum pecuniæ acquiramus, quantum ad vitam commode ac jucunde, immo etiam decore transigendam sufficit.* Per se autem patet, id extendendum non esse ultra id, quod possibile (§. 37.). *De pecunia acquirenda.*

§. 508.

De pecunia eroganda. Quoniam re sua nemo aliter uti debet, quam officia exigunt (§. 202.); *pecunia* quoque *eroganda non est, nisi quando officia id exigunt.* Quamobrem *ab impensis utilibus prorsus abstinendum* (§. 506.). Patet etiam, *expensas necessarias utilibus & utrosque voluptuariis esse præferendas* (§. 122. 506.), *& qui tenue habet patrimonium, eum ab expensis minus necessariis abstinere debere* (§. 208. 506.), *divitem vero & opulentum in gratiam aliorum, qui pecunia maxime indigent, expensas quoque inutiles ac minus necessarias facere posse* (§. 486. 140. 506.). Cum etiam multi emergere possint casus, in quibus expensæ extraordinariæ requiruntur, & in quibus vel nihil acquirere vel non tantum acquirere valeamus, quantum expensæ inevitabiles exigunt; *non minus in pecunia acquirenda, quam eroganda futuræ quoque, quantum datur, vitæ necessitati prospiciendum.* Denique cum patrimonium, quantum in potestate est, conservare & amplificare obligemur (§. 208.); *curæ habendum est, ne reditus annuos excedant expensæ, sed ex* ad-

adverso potius expensas superent reditus (§. 505. 506.).

§. 509.

Cum *Luxus* dicatur profusio pecuniæ solius ostentationis causa, in pecunia autem eroganda nil committendum, quod officiis adversatur (§. 508.); *luxus lege naturali prohibitus.* Differt is a *prodigalitate*, qua quis plures & majores facit pro facultate patrimonii sui expensas, quam quas officium aliquod erga seipsum, vel erga alios exigit; unde patet, ut ante, *prodigalitatem lege naturali prohibitam esse* (§. 508.). *De luxu & prodigalitate.*

§. 510.

Quia in pecunia acquirenda & parta conservanda majorem operam ac industriam collocare non possumus, quam quanta in potestate nostra est (§. 60.), neque etiam obligamur (§. *cit.*); *si quis in pecunia acquirenda & parta conservanda tantam operam & industriam collocavit, quantam potest, cetera providentiæ divinæ committere & sorte sua contentus esse debet* (§. 173.), consequenter *ea propter minime angi, quod tantum acquirere minime valeat, ut vitam etiam commode ac jucunde transi-* *Quænam circa opes providentiæ divinæ committenda.*

transigere, vel futuræ necessitati provisurus in futuros usus quædam servare queat.

§. 511.

Quantum operæ in acquirendo collocandum. Cum obligatio naturalis necessaria & immutabilis sit (§. 38.); *in acquirenda pecunia non plus operæ collocare licet, quam salva quacunque obligatione naturali fieri potest.*

§. 512.

Quatenus pecunia & divitiæ appetendæ. Quoniam natura hominibus competit jus ad usum rerum quarumcunque, quatenus sine eo obligationi nostræ naturali satisfacere non possumus (§. 183.), & dominiis introductis postquam jus istud commune in proprium transiit (§. 194.), & actiones quoque hominum, vel operæ in dominio esse cœparunt (§. 225.), pecunia inventa fuit ad res & operas, quibus indigemus, nobis comparandas (§. 494.); *pecunia*, consequenter *divitiæ* (§. 486.) *non per se sunt appetendæ, sed ut ea nobis comparare possimus res & operas, quibus ad satisfaciendum obligationi naturali indigemus, & ut egestatem aliorum sublevare possimus* (§. 488.).

§. 513.

§. 513.

Cum paupertas, egestas & mendicitas sint mala fortunæ, quod nemo in dubium vocat, nobis vero a malis fortunæ cavere debeamus (§. 104.); *cavere quoque nobis debemus, quantum in potestate est, ne in paupertatem, vel egestatem culpa nostra incidamus, aut ad mendicitatem redigamur* (§. 17.). Ac *eadem* quoque *cura, quantum fieri potest, nos tenere debet quoad alios* (§. 134.).

De paupertate, egestate & mendicitate vitanda.

CAPUT XI.

DE ACTIBUS BENEFICIIS OBLIGATORIIS, SEU CONTRACTIBUS BENEFICIS.

§. 514.

Actus, qui perfectam obligationem producunt, dicuntur *Contractus*. Quamobrem pacta & contractus naturaliter non differunt (§. 438. 380.).

Contractus.

§. 515.

Contractus beneficus, quo certus quidam rei, quæ usu non consumitur, usus alteri gratis conceditur, *Commodatum* dicitur; qui usum concedit, *Commodans*; is, cui conceditur, *Commo-*

Commodatum & restitutio rei in specie ac in genere.

 mo-

modatarius audit. Unde ſequitur, *ut commodatarius finito uſu rem reſtituere obligetur, & quidem in ſpecie* (§. 317.). Dicitur nimirum *rem in ſpecie reſtituere*, qui numero eandem reſtituit, quam accepit; *in genere* autem, ſi alia ejusdem ſpeciei, vel tantundem ejusdem ſpeciei reſtituit. Ceterum *in commodato datur uſus rei, quæ uſu non conſumitur, gratis.*

§. 516.

De obligatione naturali ad commodatum.

Quoniam in communione primæva, ſi res uſu non conſumitur, eodem finito, eadem alius uti poteſt (§. 187.); *uſum rei noſtræ, quo non ipſimet opus habemus, eumque innoxium rem ubi reſtitutum iri ſatis certi ſumus* (§. 269.), *gratis concedere ei debemus, qui eam ſibimetipſe comparare, vel pro certo pretio eundem uſum ab alio accipere non poteſt* (§. 473.).

§. 517.

Quinam commodare poſſit.

Nemo autem cum de uſu rei diſponere poſſit niſi dominus (§. 199.), *rem quoque alteri commodare poteſt niſi dominus*, conſequenter *rem alienam, vel tibi commodatam alteri ſine conſenſu domini commodare nequis.* Ac ideo *a*

com-

commodantis voluntate dependet, per quod tempus & in quem finem, quaque lege alia commodare velit (§. 195.), ac *inde metiendum est jus & obligatio commodatarii* (§. 317.). l. 17. §. 3. Commodati.

§. 518.

De rei utendæ traditione. Cum res commodata esse debeat in potestate commodatarii, ut eadem uti possit (§. 200. 515.); *ad commodatum requiritur actus, quo res utenda constituitur in potestate commodatarii*, atque hic actus vocatur *traditio ad certum usum*, significatu generaliori (§. 320.).

§. 519.

De deterioratione & corruptione rei commodatæ. Quoniam commodans concedit commodatario rei suæ usum (§. 515.); *si res commodata usu redditur deterior, in hanc deteriorationem consentit*. Alias, cum non concessus sit nisi rei usus innoxius (§. 516.), *commodatarius sibi cavere debet, ne culpa sua res commodata reddatur deterior, vel prorsus destruatur* (§. 517.), consequenter *in ea custodienda atque utenda omnem adhibere diligentiam* (§. 21.), *etiam majorem ea, quam in suis adhibere sueverit.* l. 5. §. 7. Commod. l. 5. §. 2. Commod.

§. 520.

De dolo, culpa & casu a commodatario praestando.

Cum damnum dolo vel culpa datum resarciendum sit (§. 270.); *si res commodata dolo, vel culpa commodatarii deterioratur, vel destruitur, damnum datum resarciendum.* Quoniam culpa commodatarii res interiisse intelligitur casu, quo apud commodantem interitura non fuisset, si hic in mora restituendi fuerit (§. 21. 417.); *casum praestare tenetur commodatarius ob moram in restituendo commissam, quo res commodata apud commodantem peritura, vel deteriorata non fuisset.* Immo cum commodans rei suae usum innoxium eo animo concedens, ut finito usu res sibi restituatur (§. 515.), non praesumatur velle subire periculum rei amittendae, vel deteriorandae; *naturaliter commodato tacita inest haec conditio, ut commodatarius teneatur propter casum, quo res commodata penes commodantem non peritura, vel deteriorata fuisset.* Ast cum *commodatarius* rem vel in specie (§. 515.), vel ejus aestimationem restituere teneatur (§. *praes.*); *si rem in genere restituere velit, eam commodans accipere non tenetur.*

§. 521.

Si tui duntaxat causa commodas, commodatum proprie loquendo non est (§. 515.); cum tu non gratis usum rei tuæ in meum commodum mihi præstes, sed ego potius in commodum tuum quid faciam, ad quod usus rei tuæ requiritur, ut ipse eundem facere videaris. Quamobrem *ego non teneor ob casum, quo res penes te non peritura, vel deteriorata fuisset, quamvis ad culpam & dolum præstandum sim obligatus* (§. 270.). Quoniam vero culpa commodantis res periisse, vel deteriorata fuisse intelligitur; *si* eam *sciens commodavit homini admodum negligenti, ejus licet duntaxat causa* (§. 21.), *culpam præstare non obligatur commodatarius.* *Si commodantis duntaxat causa commodatur.*

§. 522.

Si commodatarius re aliter utitur, quam commodatum est, furtum usus committit (§. 263.), consequenter cum id fiat contra jus commodantis, quia tibi arrogas jus minime competens (§. 198. 83.), *injuriam commodanti facis* (§. 87.). *De furto usus a commodatario commisso.* l. 5. §. 8. (commod.)

§. 523.

Si res, quæ usu consumitur, alium adhuc *Quatenus res,*

quæ usu consumuntur commodentur. *huc habere potest usum, quo non consumitur*, cum quoad hunc usum æquiparetur rei, quæ usu non consumitur, *quoad hunc usum commodari potest* (§. 515.), veluti si alteri commodes pecuniam ostentationis causa, in specie restituendam (§. 515.), vel uvam insolitæ magnitudinis, ut eam ostendat alii.

L. 3. §. 6. Comod.

§. 524.

De mercede pro usu soluta. Cum in commodato usus rei detur gratis (§. 515.); *si quis pro usu rei mercedem solvit, commodatum non est, sed actus quidam permutatorius* (§. 467.), de quo in sequentibus, nimirum *do pecuniam, ut des usum rei, vel etiam rem, aut usum rei alterius.*

§. 525.

De honorario. *Honorarium* dicitur donum pecuniarium, quod remunerandi animo datur alteri ob præstationem quandam gratuitam, vel pecunia non æstimabilem. Cum præstatio gratuita saltem sit motivum dandi honorarii ad significandum animum gratum (§. 475. 482.), motivorum vero in contractibus nulla habeatur ratio (§. 78.); *si honorarium detur, contractus beneficus naturam non mutat*, veluti commodatum manet com-

L. 1. §. 12. de extraord. cogn. L. 27. et 34. §. 1. de donat.

C. 6. mandati

commodatum (§. 515.), *quantitas honorarii a dante pro lubitu determinatur* (§. 475.), *ac* ideo *excedere potest valorem ejus, quod præstatur, promissum* tamen & *acceptatum perfecte debetur* (§. 380. 381.). Enimvero *si quod gratis præstandum erat, alter præstare non vult, nisi sub conditione honorarii certi præstandi*, cum jam conveniatur de eo, quod vicissim præstandum est, ac id pro eo, quod alter præstitit, detur, *honorarium in mercedem mutatur* (§. 500).

§. 526.

De impensis in usum rei & ipsam rem faciendis.

Quoniam commodans se saltem obligat ad usum concedendum, non vero ad faciendos sumtus, ut uti possis (§. 515.); *si usus rei sine certis impensis fieri nequit*, veluti si commodo equum, vel famulum per aliquot dies, *eas facere teneris*. Ast quia quilibet jus suum remittere potest (§. 342.); *si eas facere velit commodans, ad commodatum donatio accedit* (§. 475.), consequenter *actus compositus est* (§. 465.). Similiter cum commodatarius saltem obligetur præcavere, ne culpa sua res reddatur deterior, vel pereat (§. 519.); *si extra usum rei faciendæ sunt impensæ necessa-*

riæ extraordinariæ, veluti ad rei conservationem, *eas restituere tenetur commodans*, præsertim *si pretium usus excedunt*, veluti si ædium commodatarum tectum reficiendum, ne pluvia det damnum.

§. 527.

De rebus fungibilibus.

Res fungibilis dicitur, quæ vice fungitur rei alterius ejusdem generis. *Substitui* igitur *una pro altera potest*, consequenter *tales sunt*, *quarum pretium numero, ponderi ac mensuræ proportionale est*, *& eædem ejusdem generis, quantitatis & qualitatis esse debent.* Hinc porro liquet, *res fungibiles in genere restitui posse absque damno ejus*, *cui restituuntur* (§. 515. 269.), cumque pecunia fungatur vice omnium rerum & operarum (§. 494.), *eam esse omnium maxime rem fungibilem.*

§. 528.

Mutuum quid sit & quid in eo restituendum.

pr. J. quib. mod. re contr. obl.

Contractus beneficus, quo rei, quæ usu consumitur, usus alteri gratis conceditur, *Mutuum* dicitur; qui mutuo dat, *Mutuans*, vel etiam *Creditor*; qui accipit, *Mutuatarius*, vel *Debitor* appellatur. Quoniam vero rem consumere nequis, nisi sit tua, seu dominium in

ea

ea habeas (§. 195.); *mutuans in mutuatarium dominium transferre tenetur.* Ast quia non rem donat (§. 475.), sed saltem usum concedit (*vi def.*), consequenter rem sibi restitui vult, quæ consumta in specie restitui nequit (§. 515.); *res mutuata in genere restituenda*, consequenter *quæ mutuo dantur, res fungibiles esse debent* (§. 527.); *& quod restituitur ejusdem generis, quantitatis & qualitatis esse debet, cujus fuerat mutuatum.* L. 16. de reb. credit. L. 3. eod.

§. 529.

Quinam mutuo dare possit & de re aliena mutuo data.

Cum in mutuo dominum transferatur; *nemo rem mutuo dare potest nisi dominus* (§. 257.), consequenter *si res aliena mutuo detur, contractus in se nullus est*, atque ideo, *si res nondum fuerit consumta, dominus eam vindicare potest* (§. 262.), *si vero consumta fuerit, mutuatarius æstimationem eidem præstare tenetur* (§. 271.), neque enim eidem ex contractu tenetur, ut in genere restitui possit (§. 528.). *Quodsi dominus mutuum ratihabet*, cum jam consensu ipsius factum intelligatur (§. 29.), *subsistit.* L. 8. de reb. credit.

§. 530.

§. 530.

De re aliena commodata & mutuata reſtituenda.

Enimvero quoniam commodatarius ſe obligavit commodanti ad rem in ſpecie reſtituendum (§. 515.), & mutuatarius mutuanti ad rem in genere reſtituendum (§. 528.); *commodans commodanti & mutuatarius mutuanti rem reſtituere tenetur, niſi dominus contradicat* (§. 261.), *dominio probato* (§. 262.). Et *ſi dominus velit, jus hoc mutuans ipſi cedere poteſt* (§. 342.).

§. 531.

De tempore reſtitutionis.

Quia res mutuata in genere reſtituenda (§. 528.); *in mutuo conveniri debet, quo tempore reſtitutio fieri debeat*, cumque pacta ſint ſervanda (§. 438.), *antequam tempus iſtud effluxerit, mutuans rem mutuatam in genere repetere nequit*, & quia dominium ejus in mutuatarium translatum (§. 528.), *eam nondum conſumtam in ſpecie repetere nequit, etiamſi propriis uſibus neceſſaria fuerit* (§. 195.).

§. 532.

De re mutuata in ſpecie vel ante termi-

Cum res mutuata ideo in genere reſtituenda, quia conſumta in ſpecie reſtitui nequit (§. 528.); *ſi mutuatarius re mutuata non habuerit opus, eam in ſpecie*

cie restituere potest. Et quoniam tempus restitutionis determinatur eo fine, ne *mutuatarius* rem restituturus sit in mora; idem *rem ante terminum elapsum restituere potest, nisi expresse aliter fuerit conventum* (§. 438.). *num restituta.*

§. 533.

Cum pecunia referatur ad res, quæ usu consumuntur; *eadem* quoque *mutuo dari potest* (§. 528.), ast *mutuum non est, nisi detur gratis* (§. *cit.*). *An pecunia mutuari possit.*

§. 534.

Bonitas intrinseca pecuniæ, sive *monetæ* est, quæ æstimatur ex materia & pondere; *extrinseca* vero valor eidem arbitrio humano impositus. Idiomate Germanico materia dicitur Korn, item Gehalt; pondus Schrot, item Gewichte; valor impostititius die Würdigung, item Valvation der Müntz-Sorten, vel der Werth. Et hinc *Moneta proba* dicitur, cujus bonitas extrinseca determinatur per intrinsecam, seu si valor impostititius respondet intrinseco, quem a materia & pondere habet; *reproba* vero, cujus bonitas intrinseca parum respondet intrinsecæ. *De monetæ bonitate.*

§. 535.

Summa pecuniæ mutuo datur, quando *Quot modis*

mutuo detur pecunia. do pecunia annumeratur, supposita bonitate intrinseca & extrinseca, veluti si 100 thaleri dantur mutuo in moneta aurea ex auro puro constante & eidem tribuitur valor, quem tempre obligationis obtinet. *Genus mutuo datur*, si annumerantur corpora, non attento valore extrinseco, quem singula tunc habent, e. gr. centum ducati. *Æstimatio* denique *nummorum mutuo datur*, si certa pecuniæ summa in genere, seu in moneta usuali currente & proba sub æstimato valore creditur, e. gr. 100 thaleri, non attento monetæ genere.

§. 536.

Quid pro diversitate illorum restituendum. Cum in mutuo tantundem restituendum sit in genere, quantum datum (§. 528.), ac standum præterea conventis (§. 438.); *si summa pecuniæ mutuo datur, expresso monetæ genere, eadem summa restituenda est in eodem genere juxta bonitatem extrinsecam & intrinsecam, quam tempore contractus habebat; si non expresso monetæ genere, summa restituenda in alio monetæ genere ejusdem bonitatis intrinsecæ, quæ erat datæ, secundum bonitatem extrinsecam, quam tempore contractus habebat.*

Quod

Quodsi genus mutuo detur, tot restituenda sunt corpora, quod data, ejusdem bonitatis intrinsecæ: si denique *æstimatio nummorum, eadem pecuniæ summa in quocunque monetæ genere probo ac usuali restituenda.* Nimirum cum in mutuo mutuans carere nolit nisi usu rei suæ, quam dat alteri (§. 528.); *facta restitutione perinde esse debet, ac si mutuatum non fuisset.* Et hinc definiendum, quid in restitutione fieri debeat, si summa mutuo data valor monetæ intrinsecus, vel extrinsecus interea mutetur, ut scilicet a mutuante eadem conservetur pecuniæ summa sive in eodem genere, sive in alio ejusdem bonitatis intrinsecæ. Sed non consultum videtur, talia in præsenti fusius persequi.

§. 537.

Quia dominium rei mutuatæ in mutuatarium transit (§. 528.); *si res mutuata interit, vel quomodocunque deteriorata fuerit antequam ea uti potuerit mutuatarius, ejus est damnum* (§. 243.), consequenter, *hoc non obstante, in genere illa restituenda* (§. 528.). *De rei mutuatæ interitu ante usum.* L. 9. §. 9. de reb. creditis.

§. 538.

An aliud pro alio reddi & species æstimatæ dari possint.

Cum in mutuo id, quod datur, in genere sit restituendum (§. 528.), non vero pro eo aliud; *si ita conveniatur, ut reddatur aliud, vel res dentur æstimatæ, mutuum non est.* Contractus istiusmodi diverso reguntur jure.

§. 539.

De deposito.

L. 1. Deposit.

L. 17. §. 1. eod.

Contractus beneficus, quo res aliqua gratis custodienda traditur & suscipitur, *Depositum* vocatur. Qui rem custodiendam committit, *Deponens*; qui suscipit, *Depositarius* appellatur. Cum dominium in hoc contractu non transferatur in depositarium; *deponens manet rei depositæ dominus*, & quia *depositarius* saltem in se suscepit custodiam rei, *eadem uti nequit*, consequenter *utens furtum usus committit* (§. 263.). Enimvero *si deponens concedat usum rei depositæ, cum deposito miscetur commodatum* (§. 515.), vel, *si pecunia fuerit, mutuum* (§. 528.).

§. 540.

Si pro custodia quid detur.

Similiter quia depositarius rem gratis custodiendam suscipit (§. 539.); *si pro*

si pro custodia merces datur, de qua convenitur, contractus depositum non est. Ast *honorarium sive promissum, sive ultro datum naturam depositi non mutat* (§. 525.). L. 1. §. 8. et 9. Depositi.

§. 541.

De obligatione depositarii.

Cum depositarius obligetur ad rem depositam custodiendam (§. 539.), damnum vero omne a deponente avertere naturaliter obligetur (§. 269.), nullus vero ipsi competat rei depositæ usus (§. 539.); *depositarius obligatur ad rem depositam omni diligentia custodiendam* (§. 21.), *& deponenti eam repetenti in specie restituendam, ultra tempus tamen conventum custodire non tenetur* (§. 438.). *Quodsi ipsius culpa, vel dolo res pereat, vel deterioretur, damnum resarcire* (§. 270.); cum vero deponentis causa res sit penes depositarium, nec ullam ex contractu hic percipiat utilitatem (§. 539.), *casum præstare non tenetur.* Facile autem patet, *si depositarius non promittit majorem diligentiam in re deposita custodienda, quam in suis adhibet, eum ultra eam non teneri jure externo* (§. 377. 378.). Et quoniam custodia L. 1. §. 16. eod.

tua confisus rem apud te deposui; *si tu me inscio rem depositam deponis apud alium, tu mihi teneris ob culpam & dolum ejus, apud quem deposuisti, hic vero tibi*; cum hic tibi, quemadmodum tu mihi ex contractu obligeris. *Potes* autem *mihi*, si quidem velim, *jus tuum cedere* (§. 338). Et quoniam in mora es, si rem depositam repetenti statim restituere nolis (§. 417.); *non modo casum præstare teneris, quo eadem res apud me non fuisset interitura, vel deteriorata*, cum damnum culpa tua contingat (§. 270.), *sed etiam ad id, quod interest rem statim restitutam non fuisse, teneris* (§. 419.).

l. 12. §. 3. eod.

§. 542.

De obligatione deponentis.

Cum *depositarius* in se gratis suscipiat custodiam rei alterius (§. 539.), & curæ habere debeat, ne culpa sua pereat, vel deterioretur (§. 541.); *si impensas in rei depositæ conservationem facit, deponens eas restituere tenetur* (§. 271.). Cum in potestate tua non sit præstare alteri, quod nonnisi cum neglectu officii erga teipsum fieri potest (§. 59.), nec ultra id obligatio extendatur (§. 60.); *in communi periculo, quod nulla depositarii*

l. 5. eod.

tarii culpa præcedit, depositarius res depositas suis præferre non tenetur, si utraque servari nequit: quodsi tamen præferre maluerit, quia multo pretiosiores, deponens restituere tenetur æstimationem earum, quas servare alias potuisset (§. 271.). Similiter *si occasione depositi dolo, vel culpa deponentis depositario obveniat aliquod damnum*, veluti si deposuit equum calcitrosum, neque te monuit, *damnum datum resarcire tenetur* (§. 270.).

§. 543.

De re aliena deposita.

Si res aliena deponitur, & tu nosti, quinam sit dominus, ea domino restituenda (§. 261.). Supponitur nimirum, inscio domino eam esse apud te depositam, nec depositum rati haberi: alias nimirum perinde, ac si ipse doposuisset per alium, aut, si mavis, alter ejus consensu contractum tecum inivisset.

§. 544.

De re communi deposita.

Cum in re communi indivisa pluribus dominium competat (§. 196.), consequenter *si res communis deponatur*, omnes conjunctim personam deponentis repræsentent; *ea non restituenda uni, sed omnibus conjunctim*, consequen-

ter *qui uni restituit*, *ceteris adhuc pro rata tenetur*. Quoniam vero *qui totam accepit*, *singulis* quoque *pro rata tenetur*, vi communionis (§. 196.), ut nimirum ipsis restitu~~endum~~, quod suum est (§. 261); *ceteri & ~~restituentem~~* sibi *obligatum habent*: cum tamen nonnisi ab uno, quod sibi debetur, consequi possint; *si ab uno consequuntur ratam suam*, *alter simul liberatur*. Quamobrem *si res deposita fuerit dividua*, *nec partes divisæ obnoxiæ sint electioni*, consequenter *si res fungibiles fuerint depositæ*, utpote quæ actu divisæ intelliguntur (§. 527.); *unicuique rata sua restitui sigillatim potest*, consequenter, *si partes ceteræ intereant*, *qui ratam suam accepit*, *ceteris ad nihil tenetur*. Quoniam vero *si species plures communes deponantur*, veluti poculum argenteum, annuli aurei cum gemmis inclusis, vestes & linteamina, in singulis, tanquam in re indivisa, ratam suam habeant singuli (§. 196.); *eædem uni restitui nequeunt*.

§. 545.

De re eadem apud plures deposita.

Quoniam per se patet, rem depositam nonnisi semel restitui posse, & facta restitutione ex contractu nihil amplius

plius deberi (§. 539.). *si res eadem apud plures deposita, unus solus ceteris insciis eandem restituere potest, immo repetenti restituere debet.* Enimvero cum *restituere nolens* statim in mora sit (§. 417.); *deponenti solus tenetur ad omne id, quod interest, rem statim restitutam non fuisse* (§. 419.). L. 1. §. 43. depo

§. 546.

De culpa præstanda, si res apud plures deposita.

Et cum, qui dolo, vel culpa sua damnum dedit, idem resarcire teneatur (§. 270.); *si res eadem apud plures deposita fuerit, singuli dolum, vel culpam suam, communem vero pro rata præstant, nisi aliter fuerit conventum*, veluti ut singuli teneantur in solidum (§. 438. 422.).

§. 547.

De periculo in re deposita remittenda, item de remittenda re commodata.

Quia depositarius vi contractus non tenetur, nisi ad custodiam rei depositæ (§. 539.). & deponenti eam repetenti in specie restituendam (§. 541.); *deponens mandare debet, per quem res deposita remittenda, ejusque sumtu remittenda. Quodsi* vero ipso inconsulto *remitttis per quem volueris*, cum res non ante restituta intelligatur, quam ubi eam acceperit vel deponens, vel is, cui eandem

restitui voluit; *periculum tuum est*. Atque idem intelligitur de re, quæ commodata fuerat, remittenda, quamvis *commodatarius*, cum ipsius duntaxat causa res commodata fuerit, *eam remittere, & quidem suo sumtu, si opus sit, obligetur*.

§. 548.

De sequestro. Depositum rei litigiosæ *Sequestrum* dicitur; & tum depositarius *Sequester* audit. Dicitur autem *Res litigiosa*, de cujus dominio inter duos, vel plures controvertitur; & *de dominio controvertitur*, quando duo, vel plures affirmant, rem esse suam. Atque ideo patet, *sequestrum custodiam rei litigiosæ in se suscipere gratis, & sequestrationem fieri debere apud tertium omnium litigantium consensu*. In Jure civili *sequestrum* hoc *voluntarium* vocatur, in oppositione ad *necessarium*, quod fit a judice: quæ distinctio in Jure naturæ, quod in statu naturali viget, & in quo judicem communem non habent litigantes, non attenditur.

§. 549.

De rei sequestrata Cum litigantes omnes conjunctim deponens sint (§. 548.); *sequester rem seque-*

sequestratam restituere tenetur litigantibus communi consensu eam repetentibus (§. 541.), *lite autem terminata victori, ea tamen lege, de qua a litigantibus conventum fuit*, veluti si victor ceteris quid præstare tenetur, antequam possessionem nanciscatur, non ante, quam id præstitum fuerit. *restitutione.*

§. 550.

Quoniam nec depositarius locupletari potest ex re deponentis, nec deponens, etsi custodia gratis suscipiatur, cum damno depositarii (§. 271.); *si res fructuosa deponitur*, consequenter etiam *si sequestratur* (§. 548.), *fructus* quoque *rei restituendi deponenti, aut in casu sequestri victori* (549.), *depositarius* vero *detrahit impensas & mercedem operarum atque curæ, sine quibus fructus percipi non potuissent*. Cumque consultum sit evitandæ litis causa, ut de mercede conveniatur, quando res deponitur; *conventio de operarum & curæ mercede est pactum sequestro adjectum* (§. 438.). *De restitutione rei fructuosæ depositæ, vel sequestratæ.* L. 1. §. 24. de pos.

§. 551.

Mandatum dicitur contractus beneficus, quo alteri quid nostro nomine *De mandato.*

 fa-

faciendum committitur, & commissum ab eo gratis suscipitur. Qui committit, *Mandans*; qui commissum gratis suscipit, *Mandatarius* appellatur, vel etiam *Procurator*. *Committere* autem idem est, ac alterum sibi perfecte obligare ad aliquid suo nomine faciendum. Aliud igitur est *commendare*, quando scilicet alteri significamus, gratum nobis fore, ubi facere voluerit, quod eum facere volumus; aliud *rogare*, quando nimirum sufficienter indicamus, nos enixe velle, ut faciat alter, nec facere abnuat. Cum commendans & rogans non contrahant; *nec commendando, nec rogando alterum nobis perfecte obligamus*, *nec nos obligamur ipsi*. Ex adverso autem *mandatarius se obligat mandanti ad id, quod faciendum ipsi committitur*, *omni diligentia faciendum*, cumque non suo, sed mandantis nomine agat, consequenter non ex sua, sed mandantis voluntate metiendum sit jus ipsius, *nil facere debet*, *nisi quod mandatum fuerit*: *& vicissim mandans se obligat mandatario ad ratihabendum, quod intra fines mandati facit.*

§. 552.

§. 552.

Mandatum speciale est, quo aliquod negotium in specie gerendum committitur, veluti ut emas ædes, vel equos; *generale* autem, quo universa quædam negotia alteri gerenda in genere committuntur. Utrumque vel *Mandatum cum libera* est, quo tantummodo in genere determinatur, quid a mandatario fieri debeat, ceteris arbitrio ejus relictis; vel *sine libera*, scilicet agendi potestate, quo, quid a mandatario fieri debet, præcise definitur, ita ut nihil arbitrio ejus relinquatur. Dividitur etiam *Mandatum* in *manifestum*, quod ad notitiam ejus, cum quo agitur, pervenit; & *arcanum*, quod non pervenit. *Mandatarius* igitur *agere debet ex mandato arcano, non tamen idem manifestare alteri, cum quo agit* (§.551.), *nec mandatum arcanum attenditur, nisi in obligatione, qua mandans & mandatarius sibi invicem obligantur.* Similiter patet, *si mandatum fuerit sine libera, mandatarium nil agere debere, nisi quod expresse definitum; in casu opposito eum facere debere, quod sibi bonum, vel melius videtur & æquitati minime repugnat*

De differentia mandati. L. 6. 5. mandati

L. 58. mandati

§. 8. J. de mand

pugnat

pugnat seu, ut vulgo dicitur, *mandatum adimplere ex bono & aequo.*

§. 553.

Quaenam obligationes contrahantur a mandatario.

Quoniam *mandatarius* tuo nomine agit (§. 551.); *quod intra fines mandati agit, tu fecisse putandus es*: cumque de voluntate tua alteri constare non possit, nisi ex mandato manifesto (§. 552.); *quod mandatarius facit intra fines mandati manifesti, id a te factum recte sumit is, cum quo agitur* (§. 318.), consequenter *promittendo te huic, & acceptando hunc tibi obligat* (§. 380. 381.). Patet itaque, *mandatarium esse ministrum obligationis contrahendae* (§. 426.), & *si cum altero valide agere debeat, mandato manifesto opus esse*, consequenter *si solo mandato arcano instructus cum altero agis*, cum is ignoret te alieno nomine cum ipso agere (§. 552.), *proprio nomine eidem obligaris, tu vero jus tuum mandanti cedere potes etiam invito altero* (§. 338. 342.), *immo*, cum ex mandato arcano mandanti obligeris (§. 551), *teneris*: & quia *mandans* ex eodem mandatario vicissim obligatur; *quod intra fines mandati arcani, quo solo instructus eras, egisti, ratihabere tenetur* (§. 551.).

Ex

Ex dictis porro conficitur, *si mandato arcano aliter mandatum, quam manifesto, nec mandatum arcanum manifestare licet, ex arcano agendum vel spe ratihabitionis, vel quasi proprio nomine.*

§. 554.

Cum *mandatarius* mandanti se obliget ad mandatum adimplendum (§. 551.); *si mandatum non exequitur, tenetur mandanti ad id, quod interest, mandatum executioni datum non fuisse* (§. 415.), *ne executionem mandati in favorem tertii intermittere potest.* Quoniam tamen nil facere debet, nisi quod mandatum (§. 551.); *si intra fines mandati cum altero nil agere potest, suo nomine & sui causa cum eo agere potest.* Cum vero in mora sit, *si mandatum non tempestive adimpleat* (§. 417.); *mandanti tenetur ad id, quod interest, mandatum tempestive adimpletum non fuisse* (§. 551. 419.).

De mandato non adimpleto, aut non tempestive.

§. 27. §. 2. mandat.

§. 555.

Quia mandatarius mandatum adimplere debet (§. 551.); *ea etiam* ipsi *mandata intelliguntur, sine quibus mandatum adimpleri nequit,* veluti iter, si sine itine-

De eo, quod mandato tacite inest.

itinere adimpleri nequit. Cumque mandans id etiam voluisse intelligatur, quod cum eo, quod expresse mandatum, connexum est & cohæret, veluti quod merces emtæ etiam sint ad se perferendæ; *id, quod cum mandato connexum est, etiam mandatum intelligitur*, veluti delatio mercium emtarum.

§. 556.

De eo, quod occasione mandati venit ad mandatarium, vel ei donatur.

Cum mandatarius negotium mandantis gerat & ejus, non suo nomine ac commodo agat (§. 551.); *quicquid occasione mandati ad eum pervenit, etiamsi quoad hoc præter mandatum egit*, veluti si ex fundo, quem intra fines mandati emit, consecutus etiam est fructus, vel equis emtis additus vitulus, *mandanti restituere tenetur*. Enimvero *si mandato adimpleto mandatario quid donetur*, cum donatio actus sit, qui ad negotium gestum non pertinet, utpote sine eo subsistens eo modo, quo gestum est; *id mandanti non restituendum.*

l. 10. §. 8. et 9. mandati.

§. 557.

De indemnitate mandatarii.

Ex adverso quia mandatarius negotium mandantis hujus nomine atque

que commodo gerit, idque gratis
(§. 551.), consequenter in eo personam
mandantis repræsentat; *mandans man-* L.27.§.4. eod.
datario restituere tenetur impensas, sine
quibus negotium geri non potuit, & re-
sarcire damnum, quod occasione man- L.50. eod.
dati incurrit; cum alias ab eodem im-
munis fuisset. Quoniam tamen man-
dans mandatario non obligatur nisi ex
mandato, quod per se patet; *si casu*
quodam in expeditione mandati manda-
tarius damnum quoddam incurrit, in
quod etiam incurrere poterat, quamvis
mandatum non suscepisset, id mandans
resarcire non tenetur. Similiter cum
mandatarius non amplius tuo nomine
agat, si fines mandati excedit, vel agit,
quod mandatum non est (§. 553.), con-
sequenter ratio indemnitatis cesset; *si*
quod damnum incurrit occasione excessus
mandati, aut ejus, quod mandatum non
est, id resarcire non tenetur, nec impen-
sas in id factas restituere. Quoniam
tamen mandatarius adimplevit manda-
tum quoad ea, quæ intra fines mandati
egit, & ad hæc ratihabenda obligatus es
(§. 551.); *quoad ea, quæ intra fines man-* §.8 J. de mand.
dati acta sunt, obligatus manes. Enim-
vero

vero cum locupletior fieri non possis cum damno mandatarii (§. 271.); *si mandatarius fines mandati excessit*, veluti cum emit equos pretio 170. thalerorum, tu autem nonnisi 150. mandaveras, *& cum damno ipsius nonnisi intra fines mandati quod actum est, ratihabere velis*, utpote ultra non obligatus (§. 551.), *ille autem malit proprio nomine actum, nisi, quod actum est, totum ratihabere velis; mandatum pro non adimpleto habetur*, consequenter *ille tibi tenetur ad id, quod interest, mandatum adimpletum non fuisse, quatenus intra fines adimpleri poterat* (§. 554.). Et quoniam *mandatarius* obligari non potuit ultra id, quod possibile (§. 37.); *si sine culpa sua* 56. §. 4. mand. *negotium finire non potuit, aut contrarium eventum expertus fuit, mandans nihilominus eum indemnem præstare tenetur.* Ex adverso autem, *si is dolo, vel culpa sua damnum dedit, id resarcire tenetur* (§. 270.).

De eodem negotio pluribus conjunctim mandato.

§. 558.

Si pluribus conjunctim mandetur idem negotium, cum omnes conjunctim repræsentent unam personam, consequenter quod unus ceteris non contradi-

tradicentibus facit, omnes fecisse censeantur; *quod negligentia unius sit, quam præcavere ceteri poterant*, ac ideo debebant (§. 551.), *id etiam imputatur ceteris*: cum vero cesset ratio imputationis, *si quidpiam agendum, quod uni a ceteris committendum, hi vero in committendo omnem adhibuerunt diligentiam*, consequenter obligationi ex parte sui satisfecerunt (§. *cit.*); *culpam in exequendo non participant ceteri*. Nimirum *singuli præstant dolum, vel culpam suam*, cujus ceteri non sunt participes, *communem* vero *conjunctim*, atque ideo *pro rata, nisi expresse fuerit conventum, ut singuli teneantur in solidum* (§. 438.). Enimvero *si idem negotium pluribus per partes mandetur*, cum revera tot sint mandata diversa, quot mandatarii, nec singuli obligentur ultra id, quod ipsis mandatum (§. 551.); *unusquisque culpam suam præstare tenetur.*

§. 559.

De ratione negotii gesti reddenda.

Rationem negotii gesti reddere dicitur, qui distincte exponit, quomodo singula ad negotium gerendum requisita executus fuerit. Unde patet, *eum,*

qui alienum negotium gessit, alteri, cujus est negotium, rationem reddere teneri negotii gesti. Quamobrem cum *mandatarius* negotium mandantis gerat (§. 551.); *mandanti quoque rationem reddere tenetur negotii gesti.*

§. 560.

Utile in contractibus quid dicatur. *Utilitatis* nomine *in contractibus* non venit, nisi quæ vel in pecunia consistit, vel pecunia æstimari potest. Quamobrem *in contractibus non aliud spectatur lucrum, aut damnum, vel interesse, nisi quod pecuniarium est, vel pecunia æstimabile.* Nimirum quando agitur de eo, quod alteri restituendum vel resarciendum, id quod restitui, vel resarciri debet, nisi res in specie, vel in genere restituatur, pecunia æstimandum. Atque hinc ulterius intelligitur, *cujusnam causa negotium geratur*, ejus nimirum, cujus est utilitas.

§. 561.

De eo, quod mandatur mandatarii Quoniam sola utilitas mandatarii spectatur, si ejus tantum gratia mandetur, consequenter mandantis nihil interest, utrum alter faciat, nec ne, quod

quod se facturum, vel non facturum dixit; *si mandatarii tantum gratia mandetur, mandatum non est, sed consilium.* Dicitur nimirum *Consilium* declaratio voluntatis nostræ de eo, quod ab altero fieri debere existimamus, ipsius tamen arbitrio relicto, num facere velit. Quamobrem *ex consilio nullæ nascuntur obligationes dantis & accipientis*, consequenter *nec ulla producitur obligatio, si mandatarii saltem causa mandetur.* Enimvero *si quis consilio doloso, vel fraudulento alterum inducit, ut faciat, quod male successurum,* cum jam dolo alteri damnum det (§. 269.); *ad resarciendum damnum eidem tenetur* (§. 270.).

causa & consilio.

l. 2. §. 6. mand.

§. 562.

Si aliena causa mandetur.

Enimvero cum alienum negotium spectes tanquam tuum, quando aliena causa mandas, consequenter cum mandatario contrahis (§. 551.); *mandans mandati tenetur, & mandatarius vicissim eidem obligatur, si aliena causa fuerit mandatum.* Ac ideo *periculum mandantis est, si mandatarii & aliena causa mandetur*, velut ut tu pecuniam credas Titio: *perinde ac si mandantis &*

l. 6. §. 4. eod.

mandatarii causa mandetur, veluti ut tu pecuniam credas Titio, quam in rem meam versurus est (§. 561.).

§. 563.

De mandato facti turpis. Quia *factum turpe* dicitur, quod lege prohibitum; *si factum turpe mandatur*, *mandatum nullum est* (§. 42.), consequenter *nullæ inde oriuntur obligationes*.

l. 6. §. 3. mand.

§. 564.

De mandato adimplendo per æquipollens & in forma specifica. *Mandatum adimpleri* dicitur *per æquipollens*, si impletur per aliud æque utile, aut utilis, quam erat id, quod fuerat mandatum; *in forma autem specifica*, si impleatur præcise per id, quod fuerat mandatum. *Si quid sub conditione generaliori mandatum, quæ aliter quoque obtineri potest*, veluti si mandetur, ut emas ædes Titii pretio 4000. thalerorum, propterea quod loco commodo sitæ sunt, ubi merces venales exponuntur, cum mandans non intendat aliud, nisi ut habeas ædes mercaturæ exercendæ commodas, quæ non excedunt pretium 4000. thalerorum; *mandatum adimplere licet per æquipollens*, ut in exemplo dato emere licet ædes alias

com-

commodiores pretio minori. Quoniam tamen utilitas, quæ intenditur a mandante, ex ipsius mente, non ex tua æstimanda, præsertim cum præter finem principalem etiam intendi possint alii secundarii; *nisi certo constet, finem, quem intendit mandator, æque obtineri, si per aliud æquipollens, sive in forma specifica adimpleatur, in forma specifica adimplendum* (§. 551.).

§. 565.

De revocatione mandati.

Mandatum revocare dicitur mandans, si mandatario declarat, se nolle, ut mandatum adimpleat. Cum mandatarii nulla sit ex mandato utilitas (§. 551. 560.), consequenter ejusdem non intersit, sive mandatum adimpleatur, sive minus; *mandans mandatum pro lubitu revocare potest, antequam fuerit adimpletum.* Quoniam tamen mandatum subsistit, quamdiu non revocatur; *si mandatum jam adimpleri cœpit, aut impensæ ejus adimplendi causa factæ, mandans indemnem mandatarium præstare tenetur* (§. 557.).

§ 1x Inst: de Mandato.

§. 566.

An mandatum post mor-

Cum mandans sit minister obligationis contrahendæ (§. 553.); *manda-*

 tum

tem mandantis adimpleri possit.

tum morte mandantis extinguitur (§. 430.). Enimvero *si mandans expresse velit, mandatum adimpleri, etiamsi se mori contingat, antequam adimpleatur*, cum ad hoc se obligaverit mandatarius (§. 551.); *mortuo etiam mandante illud adimplendum*. Eodem modo patet, *si mandetur in casum mortis, vel quod post mortem mandatoris faciendum, mandatum post mortem ejus adimplendum*. Et quoniam *mandatarius ignorans mandantem mortuum esse, si mandatum adimplet*, non agit, nisi ad quod agendum se obligaverat (§. *cit.*), veluti si emit merces mandatas, & quod sub conditione indemnitatis in se suscepisse intelligitur (§. 557.); *indemnis præstandus est. Idem* eodem modo *intelligitur de eo, qui, ignorans mandantem mortuum esse, cum mandatario contrahit, mandato manifesto confisus* (§. 553.). Ast cum *mandatarius, qui novit mandantem mortuum esse, si contrahit cum eo, qui ignorat & mandato manifesto confidit*, culpa sua det damnum *ei, cujus intererat, contractum non fuisse* (§. 269.); huic *tenetur ad id, quod interest* (§. 415.).

§. 567.

§. 567.

Cum mandans non intelligatur negotium commiſiſſe huic perſonæ, quam quod de ipſius diligentia ac fide ſe ſatis certum exiſtimavit; *mandatum perſonale eſt* (§. 400.), conſequenter cum obligatio inde orta (§. 551.) non egrediatur perſonam *mandatarii* (§. 402.), ejus *morte mandatum ſolvitur.* Et ob eandem rationem, *quod tibi mandatum, alii mandare nequis, ſine conſenſu mandantis, niſi tuo periculo.* **De morte mandatarii.**

§. 568.

Mandatum renunciare dicitur mandatarius, quando mandanti ſignificat, ſe mandatum, quod ſuſceperat, adimplere nolle. *Tempeſtiva* vocatur *renunciatio*, quando mandatoris non intereſt, ſi mandatarius mandatum exequi nolit; aſt *intempeſtiva*, ſi per renunciationem damnum aliquod ſentiret mandans. Cum mandatarius mandanti obligetur ad mandatum adimplendum (§. 551.); *ſine juſta cauſa*, hoc eſt, *niſi impedimentum inevitabile ac inſuperabile objiciatur, mandatum renunciare non licet*, conſequenter *ſi renunciatio intempeſti-* **De renunciatione mandati.**

 ve

ve facta, mandatarius tenetur ad damnum datum resarciendum & ad id, quod interest, mandatum adimpletum non fuisse (§. 554.). Quoniam vero ex tempestiva renunciatione damnum nullum sentit mandans; *mandatarius* quoque *ob tempestivam renunciationem ad nihil tenetur*: id quod *etiam intelligitur in eo casu, quo impedimentum inevitabile ac insuperabile supervenit*; cum obligatio non extendatur ultra id, quod in potestate est (§. 60.).

§. 569.

De fidejussione & obligatione fidejussoris.

Fidejussio est contractus beneficus, quo quis ei, cui alius obligatus est, vel obligandus, se gratis obligat, quod ipse præstare velit, nisi alter præstet, quod debet. Qui pro altero obligato, vel obligando se gratis obligat, *Fidejussor* vocatur; is vero, pro quo fidejubetur, *debitor principalis*; unde & hujus *obligatio principalis* appellatur; fidejussoris autem *accessoria*. Patet autem, *obligationem principalem non tolli, nec variari obligatione accessoria*, item *fidejussorem & debitorem principalem ad idem obligari debitum, nisi quod obligatio fidejussoris conditionata sit.* Patet etiam,

fide-

fidejussionem accedere posse ad quamlibet obligationem, ac fieri in securitatem debiti, consequenter *non ante validam esse, nisi ubi obligatio principalis fuerit contracta, & si principalis nulla sit, accessoriam nullam esse*. Hinc ulterius sequitur, *ut, si principalis debitor non fuerit solvendo, fidejussor solvere teneatur*; cum tamen non ante constet, eum solvendo non esse, quam ubi fuerit excussus, hoc est, in facultates ejus inquisitum; *debitor principalis ante sit excutiendus, quam fidejussor ad solvendum adigi possit, nisi aliter conventum fuerit* (§. 342.).

§. 570.

Quo usque extendatur obligatio fidejussoris.

Cum fidejussoris & debitoris eadem sit obligatio (§. 569.); *si debitor principalis solvit, fidejussor liberatur, & si fidejussor solvit, debitor principalis liberatur.* Quoniam tamen nemo locupletior fieri debet cum damno alterius (§. 271.); *si fidejussor solvit, principalis debitor eidem manet obligatus*, cumque jus suum creditor eidem cedere possit (§. 342.), *facta cessione fidejussor suum repetit tanquam debitum contractum* (§. 338.), *non vero urget, ut damnum*

datum sibi reparetur. Enimvero cum nemo alterum sibi obligare possit contra voluntatem suam (§. 78.); *si quis pro invito fidejubet ac solvit, debitor principalis ad nihil ipsi tenetur.* Cum vero consentire præsumatur (§. 459.), immo tacite consentiat, qui tacet, quando loqui poterat & debebat (§. 27.); *si quis pro præsente & patiente fidejubet, hujus consensu fidejussio facta censetur.* Et quia creditor a fidejussore plus juris acquirere non potuit, quam is in ipsum transferre voluit (§. 317.); *si fidejussor se tantummodo obligavit pro debito principali, vel parte ejus, nec ultra debitum principale, vel hanc partem creditori tenetur.*

L. 40. Mand.

Lex IX. de Fidejussoribus

L. 6. §. 2 Mand.

L. 9. de fideius.

§. 571.

De fidejussione pura, sub conditione & in diem facta.

Cum fidejussor promittat solutionem debiti alieni (§. 569.); *a voluntate fidejussoris pendet, utrum pure, an sub conditione, aut in diem promittere velit* (§. 385. 393.). Quoniam fidejussio in se sub conditione facta intelligitur, scilicet si debitor principalis non solvat (§. 569.); pure fieri intelligitur, si se constituit correum debendi (§. *cit.* & §. 424.). *Quodsi* ergo *fidejussor pure se obli-*

obligat, non excusso debitore principali ad solvendum debitum adigi potest: quodsi tamen creditor ab eo totum consequi non possit, regressus eidem patet ad debitorem principalem, ut, quod deficit, consequatur (§. 424.). Ast *si fidejussor sub conditione, vel in certum diem fidejussit, nonnisi conditione existente, vel die veniente, debitore principali excusso* (§. 569.), *ad solvendum adigi potest* (§. 395. 396.).

§. 572.

De termino solutionis inscio, vel invito fidejussore prorogato.

Quoniam interest fidejussoris, ne terminus solutionis differatur, cum fieri possit, ut, qui nunc solvendo est debitor, esse desinat; qui fidejubet pro debito nunc solvendo, non intelligitur fidejussisse pro debito termino prorogato solvendo. Quamobrem *terminus solutionis inscio, multoque minus invito fidejussore prorogari non potest, & si hoc faciat creditor, fidejussor liberatur* (§. 317.).

L. 44 ff. de obligationib. et Actionib.

§. 573.

De pluribus fidejussoribus.

Quia ex fidejussione non plus juris acquiri potest, quam fidejussores in creditorem transferre volunt (§. 569. 317.), & contra ipsos pro vero habetur, quod sufficienter indicant (§. 318.); *si singuli*

in

in solidum se obligarunt, in solidum tenentur; si pro certa parte, nonnisi pro certa parte. Enimvero *si nihil expresse dictum*, cum plures fidejussores petantur in majorem securitatem crediti (§. 569.); *id actum intelligitur, ut omnes conjunctim obligentur pro toto debito*, consequenter *singuli pro æqua parte: si tamen ceteri solvendo non sint, unus totum solvere teneatur.*

§. 574.

De fidejussore succedaneo.

Qui pro fidejussore fidejubet, *fidejussor succedaneus*, subinde etiam *subalternus*, vel *vicarius* appellatur. Quamobrem cum is se obliget creditori ad solvendum debitum, si fidejussor non solverit; *ad solvendum adigi nequit, nisi fidejussore excusso, nec*, utpote obligatus pro eo, quod solvit fidejussor, *obligatio inter ipsum & fidejussorem dividitur.* Et quoniam fidejussor succedaneus se obligat pro obligatione fidejussoris, quemadmodum fidejussor pro obligatione debitoris; *quæ valent de fidejussore principali respectu debitoris, eadem valent de fidejussore succedaneo respectu principalis* (§. 569.): immo cum fidejussor succedaneus succedat in locum prin-

principalis, *idem* quoque *jus ipsi competit respectu debitoris principalis, quod fidejussori principali respectu ejusdem* (§. *cit.*).

§. 575.

De fidejussore indemnitatis.

Fidejussor succedaneus in specie *Fidejussor indemnitatis* vocatur, si creditori se obligat ad omne id, quod nec a debitore principali, nec a fidejussoribus principalibus consequi potest. *Fidejussor* itaque *indemnitatis prorsus indemnem præstat creditorem.* Enimvero si quis obligat fidejussori pro obligatione ipsi propria, scilicet promittendo, quod a se recuperare debeat, quod solvere coactus fuit; siquidem a debitore principali recuperare non possit, eum *Fidejussorem indemnitatis fidejussoris* appellare lubet. *Fidejussor* itaque *indemnitatis fidejussoris creditori nullo modo obligatus, nec obligari potest, ac inscio creditore & debitore principali se obligare potest.* Patet etiam, *hanc fidejussionem saltem fieri in securitatem fidejussoris*, consequenter *si is nihil solvit, in nihil tenetur*: immo *si solvit, non tenetur, nisi debitore principali excusso.*

§. 576.

§. 576.

De fidejussione pro facto alieno.

Si quis se obligat pro facto, vel non-facto alterius, cum se obliget pro obligatione, quæ ex non-facto, vel facto alterius enascitur, adeoque tendit ad aliquid restituendum, vel reparandum; *pro facto negativo fidejubens tenetur in omne id, quod interest, principaliter obligatum fecisse, quod non facere debebat, vel si pro positivo fidejubet, in id, quod interest, principaliter obligatum non fecisse.* Exemplum esto, si pro fide famuli, quem commendas, fidejubes, vel si pro mandatario.

§. 577.

An fidejussor in plus, vel minus obligari possit.

Quia fidejussor se obligat pro obligatione aliena (§. 569.); *in plus obligari nequit, quam debitor principalis*, consequenter *si plus promiserit, tenetur in eam partem, quam debet principalis.* Ast quia etiam pro parte saltem fidejubere potest (§. 573.); *in minus obligari potest.* Quamobrem cum plus sit statim dare, quam post tempus dare; *fidejussor compelli nequit ad solutionem ante terminum, etsi notorium sit, debitorem principalem non esse solvendo.*

§. 578.

§. 578.

Cum *juramentum* actum non obligatorium in obligatorium vertere nequeat (§. 446.); *fidejussionem invalidam validam efficere nequit.* Et quia obligatio nascitur ex promissione (§. 380.); *fidejussio fieri potest per epistolam & per alium* (§. 403.), *nempe ministrum* (§. 429.). Et quamvis *fidejussio valeat sine scriptura & antequam in scripturam redigatur, nisi expresse aliter fuerit conventum* (§. 445.): cum tamen obligatio non extendatur ultra id, quod dictum est (§. 318.); *eam in scripturam redigi consultum est*: &, *si fidejussor terminos artis* in eadem usurpatos non *intelligat, iidem ipsi sufficienter explicandi* (§. 386.). *De fidejussione jurata & in scripturam relata.*

§. 579.

Expromissor dicitur, qui alterius obligationem in se transfert, seu pro altero obligato, aut obligando ita se obligat, ut ipse suo nomine tanquam debitor principalis præstet, ad quod præstandum alter erat obligatus. *Expromissor* itaque *induit personam debitoris principalis, nec hic creditori amplius manet obligatus*, consequenter *si is solvendo non* *De expromissione.*

fue-

Lex xxvi §2. Mandati *fuerit, creditori non datur regressus ad debitorem principalem, etsi hic solvendo sit.* Cumque expromissio sit negotium, quod inter creditorem & expromissorem unice geritur; *expromissor a debitore principali repetere nequit, quod pro eo solvit, nisi aliter fuerit* pacto speciali, cum debitore principali inito, *conventum* (§. 438.): jure tamen interno, *si expromissor ei, cujus causa promittitur, nihil debet, quod solvit, restituendum* (§. 271.). Idem etiam intelligitur de debitore principali, si expromissor solvendo non fuerit. Sane expromissio fieri potest animo donandi & quia jam expromissori aliunde satisfactum: id quod in expromissione non attenditur (§. 318.). *Quodsi quis ideo expromittit, quia debitori principali ad quid præstandum obligatus, expromissione in tantum liberatur, in quantum eadem alteri se obligat*; utique enim hoc animo expromissio facta intelligitur (§. 318.). Ceterum *non minus fidejussio, quam expromissio indefinite facta in omne id, quod dabitur, valet*; cum voluntatis tuæ sit, quomodo fidejubere & expromittere velis (§. 393.).

CAPUT



CAPUT XII.

DE ACTIBUS PERMUTATORIIS, SEU CONTRACTIBUS ONEROSIS.

§. 580.

Actus permutatorii dicuntur etiam *Contractus onerosi*. Quamobrem cum in contractibus onerosis res & facta invicem permutentur (§. 467.), nemo autem alteri gratis dare, vel facere teneatur, si vicissim dare, vel facere potest (§. 473.); *in contractibus onerosis observanda æqualitas*, scilicet ut quantum præstat unus, tantundem vicissim ipsi præstandum ab altero sit, consequenter *contractu oneroso adimpleto, neuter contrahentium plus, vel minus habet, quam ante eundem habebat*, ac propterea *ex contractu neuter fit locupletior* (§. 271.). Quamobrem *si contrahentes scientes atque volentes ab æqualitate recedant, contractus mixtus est ex benefico*, sive gratuito *& oneroso*. *De contractibus onerosis in genere.* §. 38. de contrah. emt. vendit.

§. 581.

Quia in contractu oneroso æqualitas observanda (§. 580.); *inæquali-tas* *Si inæqualitas insit contractui.*

tas in contractu oneroſo illicita (§. 51.). Quamobrem cum eadem pars altera defraudetur (§. 286.); *qui plus accepit, tantundem alteri reſtituere debet, quantum plus habet* (§. *cit.*), ac propterea *ob inæqualitatem contractus non reſcinditur.* Dicitur nimirum *Contractus reſcindi*, quando pro nullo declaratur, qui ipſo jure nullus non eſt, ſeu ſubſiſtit.

§. 582.

Permutatio quid & quomodo perficiatur.

Contractus oneroſus, quo res datur pro re, ſive corporalis, ſive incorporalis, *Permutatio* eſt. Quoniam nonniſi dominus rem dare poteſt (§. 258.); *ſi unus contrahentium det rem alienam, permutatio nulla eſt.* Et cum datio ſit translatio dominii (§. *cit.*), id vero transeat in acceptantem nuda voluntate domini ſufficienter declarata (§. 317.); *permutatio naturaliter perficitur mutuo conſenſu* (§. 27.), *quamprimum* ſcilicet *in rem pro re tradendam conſentitur, permutatio perfecta eſt*, conſequenter *contrahentes ſibi invicem obligantur ad res tradendas* (§. 320.), quamvis *mutuo conſenſu traditio differri poſſit in certum tempus* (§. 314.).

583.

§. 583.

Cum in permutatione res omnes dari possint (§. 582.), pecunia vero tanquam corpus considerata, non tanquam pretium rei, æquiparetur rei; *pecunia quoque numerata tanquam corpus considerata permutari potest.* Et quia usus rei datur, si datur jus re utendi; *permutatio est, si do usum rei meæ pro usu rei tuæ* (§. *cit.*). Immo cum operæ similiter æquiparentur rebus (§. 225.); *operæ etiam cum operis permutari possunt.* Et quoniam res tibi data tua est, si vero tu eandam mihi iterum das, mea fit (§. 258.); *res etiam sua cum sua permutari potest, si detur, ut pro eadem detur eadem certo die.* *Quomodo pecunia & usus permutetur item res sua cum sua.*

§. 584.

Cum permutatio contractus onerosus sit (§. 582.), in contractu autem oneroso observanda æqualitas (§. 580.); *in permutatione æqualitas observanda*, consequenter ut de eadem constare possit, *res æstimatæ dandæ sunt*, consequenter *rei minoris pretii adjiciendum aliud, quod excessum alterius adæquat.* Enimvero *si quis sciens ac volens plus dat,* *De æqualitate in permutatione observanda.*

quam recipit, contractus mixtus est ex permutatione & donatione (§. 582. 475.)

§. 585.

De alienatione rei permutatæ

Quoniam in permutatione transit dominium, etiamsi res non statim tradantur (§. 582.); *neuter permutantium rem nondum alteri traditam alienare potest* (§. 257.): *qui vero rem sibi traditam accepit, eam alienare potest, etiamsi ipse rem datam nondum tradiderit* (§. 314.).

l. 4. C. De rer. perm.

§. 586.

Scholion de eo, quod civile in hoc contractu.

Jus Romanum in permutatione plurimum recedit a Jure naturæ, ob rationes singulares, quas vide in Jure naturæ nostro Tom. 4. not. §. 879. 880. Quod itaque civile est, non confundendum cum eo, quod est Juris naturalis. Tale e. gr. est, quod contractus non ante validus, nisi ab una parte res tradatur, & per consequens non solo consensu perficiatur.

§. 587.

Emtio venditio quod sit.

Contractus onerosus, quo res datur ab uno, & alter pro ea dat pretium eminens, hoc est, eam pecuniæ summam, per quam pretium rei determinatur,

natur, dicitur *Emtio venditio.* Qui dat rem, *Venditor*; qui vero pretium, *Emtor* appellatur. Sed res, quæ venditur, *Merx* vocatur. Mercium itaque nomine non veniunt res, quæ venales non sunt, & communiter hoc nomen restringitur ad res mobiles.

§. 588.

Quænam vendi possint. Cum in emtione venditione pro re detur pecunia, qua æstimatur (§ 587.), pretium vero rerum omnium pecunia definiatur, & hæc pro qualibet re dari possit (§. 494.); *emi ac vendi possunt res omnes corporales, mobiles ac immobiles, & incorporales, pecunia qua corpus, possessio etiam rei propriæ, quam quis amiserat, jus in re, vel ad rem quamcunque,* immo etiam *res extituræ: non tamen res, quæ in rerum natura non existunt.* Quoniam vero res dari nequit nisi a domino (§. 258.); *nemo* quoque *rem vendere potest nisi dominus: non-dominus rem alienam vendere nequit.*

§. 589.

De dominio & jure futuro. *Dominium futurum* dicitur, quod nobis competit in re extitura, quamprimum existit, veluti in frugibus æsta-

tis futuræ, vel in re accipienda, veluti in pecunia, quam salarii loco accepturi sumus. Unde simul patet, quodnam in genere dicatur *Jus futurum*. Quamobrem *dominium futurum continet jus excludendi dominio in re extitura, vel accipienda, quando illa existit, vel accipitur, ceteros omnes* (§. 195.), cumque ideo iam contineat aliquod jus præsens, *dominium* quoque *futurum in alium transferri potest*. Quoniam tamen actu dominus esse nequis, antequam res existit, vel accipitur; *translatione dominii futuri potentia efficeris dominus, sed ita, ut statim actu sis dominus, quam primum res existit, vel accipitur*. Et eodem modo intelligitur, *te voluntate transferentis statim potentia jus acquirere proprium, actu autem, quando ea adsunt, a quibus juris actualitas pendet*.

§. 590.

De emtione rerum extiturarum.

Cum dominium futurum nullum sit, nisi res existant (§. 589.); *res extituræ non emuntur, nisi sub tacita hac conditione, si existant*, consequenter *si non existere contingat, nulla est* (§. 396.). Quoniam in emtione observanda æqualitas (§. 580.), consequenter neuter contra-

l. 8. de contrah. emt. vendit.

trahentium habet animum aleam subeundi; *si res extituræ emuntur, vel emenda est certa quantitas, vel pretium ad certam quantitatem constituendum.* Quamobrem *si* in casu priori *minor quantitas existat, ultra eam ad tradendum non tenetur venditor*; quia emtio conditionata, (*per demonstr.*) *si autem major nascatur, nonnisi ea emta intelligitur, de qua conventum est* (§. 318.): ast in casu posteriori, *omnes emtæ intelliguntur, & pretium computandum ex eo, quod ad quantitatem constitutum* (§. *cit.*). Enimvero *si res extituræ emantur, quantitate non expressa & pretio nullo constituto*, cum quantitatis nulla facta mentio; *omnes emtæ videntur, quæ extituræ sunt*, & quia pretium nondum constitutum fuisse patet, propterea quod non omni tempore idem, *tacite consensisse intelliguntur contrahentes in pretium, quod erit illo tempore, quo existunt, commune.* l. 39. §. 1. eod.

§. 591.

Ad mensuram emi dicitur, si quantitas determinetur, quæ emta esse debet, & pretium ex quantitate quadam certa definiatur, vel res certa tota emitur

De emtione ad mensuram.

l. 35. §. 5. et 7. de contrahend. emt. vendit.

tur ea lege, ut eius quantitas certa mensura determinetur, ex qua pretium ejus definitur. Unde patet, *si facta mensura minor deprehendatur quantitas, venditorem pretii partem remittere debere, nisi defectum supplere possit; si* vero *major, eum superfluum retinere, nisi emtor pretium, si ille velit, augere malit.* Enimvero *si nulla quantitas, exprimatur, totius rei pretium ab emtore solvendum, quod facta mensura quantitati deprehensæ convenit* (§. 318. 438.).

§. 592.

De emtione per aversionem.

Per aversionem emi dicitur, si res certa emitur ita, ut ejus pretium ad nullam quantitatem restringatur, unde computandum. Quamobrem *pretium, de quo conventum, solvendum, etsi alia deprehendatur ejus quantitas, facta mensura, quam putabatur* (§. 318. 438.).

§. 593.

De re aliena vendita.

Quia non-dominus rem alienam vendere nequit (§. 588.), consequenter rei alienæ venditio nulla est; *res aliena emtu domino sine pretio restituenda* (261.): *venditor* autem *emtori pretium restituere tenetur* (§. 271.), consequenter, *rem venditori restituere non licet, ut ab eodem pretium recuperes.*

(§. 594.

§. 594.

Cum *res tibi vendita* tua sit, etsi nondum tradita (§. 587. 320.); *si* ea *alteri denuo vendatur, venditio nulla est* (§. 588.). Enimvero cum nuda venditionis promissione in te non transferatur dominium rei vendendæ, sed saltem jus exigendi, ut eam mihi, non alii vendas (§. 379. 587.); *si rem, quam mihi vendere promisisti, alii vendas, venditio valida est* (§. 257.): *mihi tamen teneris ad id, quod interest, rem mihi venditam non fuisse* (§. 415.).

De rebus vendita.

l. 1. de act. emti venditi.

§. 595.

Quoniam ex ipsa dominii notione patet, id non existere nisi in certa specie, rei autem in genere nullum esse (§. 195.); *si res in genere vendatur*, veluti si tibi vendo decem modios frumenti in genere, non tanquam partem acervi tibi demonstrati, *dominium in emtorem non ante transit, quam si in specie detur.*

De re in genere emta.

§. 596.

Ex emtione venditione datur res pro pecunia (§. 587.). Quamobrem cum pecunia in dominio esse nequeat,

Quando emtio venditio perfecta.

nisi quatenus in corporibus consistit, nec certa sit, nisi corporibus demonstratis, consequenter dominium in pecunia transferri nequeat, nisi datis, vel demonstratis corporibus; *naturaliter emtio venditio perfecta est, quamprimum de pretio conventum & emtor ad solvendum pretium paratus* (§. 317.), *ac emtione perfecta statim nascitur obligatio venditoris ad rem tradendam, emtoris vero ad pretium statim solvendum.* Nimirum *solutio pecuniæ* est actus, quo dominium & possessio pecuniæ debitæ una transfertur; consequenter traditionem & dationem una continet (§. 258. 320.), & *pecunia solvitur, si ei, cui debetur, numeretur.*

§. 597.

Si fides de pretio habeatur.

l. 19. de contrah. emt. vendit.

Fidem de pretio habere dicitur venditor emtori, vel *fidem emtoris sequi*, si verbis emtoris de pretio solvendo confidens, nec de eo solvendo sibi quocunque alio modo caveri, vel satisfieri jubens, mercem tradit. *Fidem de pretio itaque habere, vel fidem alterius sequi est quasi accipere.* Quamobrem cum venditor fidem de pretio habens emtori idem accepisse & pecuniam emtori mutuo

tuo dedisse videatur (§. 528. 323.); *emtio venditio perfecta, quamprimum de pretio conventum & fides de eo habetur.* Nimirum venditor cum nolit rem dare nisi pro pretio; *dominium rei non ante transit in emtorem, nisi quando venditor vel actu accipit pretium, vel de eo accipiendo certus est.* Patet autem (§. 314.), *a venditoris voluntate pendere, utrum velit pretium sibi statim solvi, an fidem de pretio habere emtori, aut de eodem sibi alio modo cautum iri,* veluti fidejussione (§. 569.), aut expromissione (§. 579.).

§. 598.

De re sine pretio convento emtori tradita.

Quoniam emtio venditio non perficitur, nisi res certa pro pretio certo detur (§. 587.); *si venditor mercem dat & tradit, quamvis de pretio nondum fuerit conventum, emtori fidem de pretio habet* (§. 597.), *& hic tacite consentit in pretium commune illius temporis, quo mercem accepit.*

§. 599.

De pecunia & re pro re data.

Similiter quia in emtione venditione datur pecunia, sive pretium pro re (§. 587.), in permutatione autem res pro

L. 1. Cod. L. 1. C. S. pro re (§. 582.); *si quis dat rem pro re & pecuniam tanquam additamentum, contractus permutatio est: si vero pecuniam pro re & rem tanquam supplementum pretii, emtio venditio.*

§. 600.

Quando pretium augere, vel imminuere liceat. Cum usus pecuniæ sit aliquid æstimabile, quatenus lucrosus; *plus solvit, qui statim solvit, vel solutionem anticipat, quam qui solutionem differt.* Quamobrem *ob dilationem solutionis pretium rei augeri potest, ob solutionem anticipatam minui: non tamen licet augere ob dilationem, si quis omni tempore paratus est ad pretium solvendum, quando pecunia indiget venditor.*

§ 33. Inst. de actionibus.

§. 601.

De emtione venditoris causa & contra. Similiter quia opportunias rem suam vendendi, aut aliam ab alio emendi aliquid æstimabile est, præsertim si intersit venditoris, ut sua vendat, emtoris ut emere possit; datur enim in priori casu præmium ei, qui fecit, ut vendere, in posteriori, ut emere potuerimus, emtore nimirum in illo, venditore in hoc quæsito; *si interest venditoris, ut rem statim vendat, aut ejus causa emi-*

emitur, viliori pretio emere licitum, & si interest emtoris, ut res vendatur, aut ejus causa venditur, majore pretio eam vendi iniquum non est.

§. 602.

Cum nemo locupletior fieri debeat cum damno alterius (§. 271.); *si venditor in pretio indicando erravit & vero majus ab emtore accepit, quod plus accepit, reddere tenetur*: ex adverso *si pretium vero minus solutum, quod vero deest supplere debet emtor*, aut, *si nolit vero pretio emere, mercem restituere ac, quod solvit, pretium recipere.* Quoniam jus naturæ non distinguit inter plus & minus, sed nullam prorsus fert læsionem; *naturaliter contractus rescindi potest ob quamlibet læsionem.* Ceterum ob eandem rationem *idem valet, si per ignorantiam solvatur pretium majus, quod verum putabat emtor.* *De pretio majore, vel minore per errorem soluto.*

§. 603.

Quoniam perinde est, sive emtor & venditor inter se de pretio conveniant, sive ejus determinationem in arbitrium tertii vel certi, vel incerti con- *De pretii determinatione in arbitrium tertii,*

emtoris, venditoris collata. conferant; *determinatio pretii in arbitrium tertii collata naturaliter valet, nisi a communi seu vero nimis recedat* (§. 271.): cumque determinatio ideo in arbitrium tertii conferatur, ne metuenda sit læsio ex contractu; *is, in cujus arbitrium confertur, peritus rei æstimator esse debet.* Enimvero cum in contractibus pro vero habendum, quod sufficienter indicatum (§. 318.), nec lege naturæ permissum, ut faciant contrahentes, quod officiis repugnat (§. 42. 57.); *ex circumstantiis æstimandum, quinam fuerit animus contrahentium*, seu qua de causa determinatio pretii in arbitrium emtoris, vel venditoris collatum, & *jure interno reguntur istiusmodi emtiones per officia.*

§. 604.

De errore circa corpus, vel materiam, aut qualitatem rei. Cum pactum errantis nullum sit, si error ei dedit causam (§. 405. 438.); *si res alia pro alia vendatur ac ematur, sive sit alia quoad corpus*, seu in individuo, *sive quoad materiam*, ut vel tota, vel ex parte ex alia materia constet, quam putabatur, *emtio venditio nulla est.* Patet etiam exinde, quod in hoc actu committatur fraus vel consilii, vel even-

eventus, utraque non ferenda (§. 286.). *Idem eodem modo intelligitur, si emtor vel expresse indicet, vel aliunde id sufficienter appareat, quod ob qualitatem quandam rem emat, alias eam non emturus, & circa qualitatem erretur,* veluti si vinum recens vendatur pro veteri.

§. 605.

De pactis emtioni venditioni adjectis. Et de eadem in diem, & ad certum tempus facta.

In emtione venditione translatio fit dominii rei a venditore in emtorem (§. 587.). Quamobrem cum a domini voluntate dependeat, quomodo dominium rei suæ in alterum transferre velit (§. 314.), & a voluntate accipientis, utrum id eodem modo habere velit, an nolit (§. 316.); *pro lubitu emtoris & venditoris emtioni venditioni adjici possunt pacta, quæ jus ex illa quæsitum immutant, & novas quasdam obligationes producunt,* utique *servanda* (§. 438.). Hinc sequitur, *ut, si in diem res vendatur & ematur, emtio venditio statim perfecta, sed ad eam consummandam non obligentur contrahentes, antequam dies venerit*: & ex adverso, *si res vendatur ea lege, ut sit emta per certum tempus, emtio venditio statim consum-*

summanda, tempore autem præterlapso finiatur.

§. 606.

De emtione sub conditione resolutiva.

Cum (*vi §. præc.*) etiam emtio venditio contrahi possit sub conditione resolutiva & pœna pœnitentiæ; *si ita conveniatur, ut, nisi pretium intra certum tempus solvatur, res sit inemta, emtio venditio statim perfecta, sed pretio intra tempus conventu non soluto, resolvitur* (§. 397.), &, *si ita conveniatur, ut intra certum tempus emtori a contractu recedere liceat, recedens vero certi quid præstet venditori, venditor interea rem alii vendere nequit, in emtorem collatum est jus pœnitendi, emtor vero pœnam pœnitentiæ præstare tenetur.*

L. 31. §. 22. de ædilit. edict.

§. 607.

De emtione sub conditione suspensiva & pinguioris emtoris.

Similiter cum etiam sub conditione suspensiva emtio venditio contrahi possit (§. 605.); *si sub certa conditione emtio contrahitur, antequam conditio existat, emtio perfecta non est, nec ad eam consummandam tenentur contrahentes, & illa deficiente nulla est* (§. 396.): *pendente tamen conditione pœnitere non licet*, cum spes perfectum iri emtionem neutri parti aufer-

auferri possit (§. *cit.*). Specialis conditio est, si emtor pinguior haberi possit. Quodsi ergo ita conveniatur, *ut res sit inemta, si emtor pinguior haberi possit intra certum tempus, emtio statim perfecta, pinguiori tamen emtori eam vendere potest venditor*: ast *si ita conveniatur, ut res si emta, nisi intra certum tempus emtor pinguior haberi possit, emtio tum demum perficitur, si pinguior sese non obtulerit, interea tamen temporis pœnitere non licet.* Nimirum in casu priori conditio resolutiva est, in posteriori suspensiva (§. 315.).

§. 608.

De addictione in diem. Pactum, quo ita convenitur, ut res sit inemta, si intra certum tempus emtor pinguior offeratur, vel ut sit emta, nisi offeratur, dicitur *Addictio in diem*; & in casu quidem priori *pura*, in posteriori *conditionata*. Vocatur autem *Emtor pinguior*, qui meliorem offert conditionem, quam primus; & *Conditionis melioris* nomine venit, quicquid ad utilitatem venditoris pertinet, veluti si pretio qui addatur, si solutio offeratur in moneta majoris bonitatis intrinsecæ, si statim solvatur. Quoniam

pacta naturaliter per se obligant (§. 438.); *naturaliter* quoque *contractui cuicunque adjici possunt ex intervallo*, consequenter etiam *addictio in diem ex intervallo adjici potest*. Cum vero in hoc pacto id agatur, ut emtio vel rescindatur, vel non perficiatur, conditione meliore ab alio oblata, minime autem, ut venditor, si eum pœniteat, contractum pro lubitu rescindere, vel non perficere possit (§. 607.); *venditor ipse conditionem meliorem offerre non potest*. Id vero adhuc notandum est, *addictionem in diem fieri posse vel in gratiam venditoris, vel in gratiam emtoris*. Et *in casu primo* facile intelligitur, *venditori liberum esse, utrum conditionem meliorem acceptare, an primam sequi malit*; *in altero* autem *conditione meliore oblata, emtorem ab obligatione statim liberari, & venditorem vel conditionem acceptare, vel rem recipere teneri*. Patet etiam porro, *venditorem emtori primo indicare non teneri, quod & qualis conditio offeratur antequam offerenti rem vendat, nisi expresse hoc fuerit conventum, ut res emta manere debeat, si ille eandem conditionem adimplere velit*. Quoniam vero emtori

L. 4 §. 5. de in diem addict. L. 9. de in d. add. L. 9. in fin. eod.

emtori perinde est, sive alius emtor rem accipiat, sive venditor eam retineat sibi, conditione meliore oblata, nec sibi retinens quicquam committat, quod est contra jus primi emtoris (§. 83.); *si melior conditio offertur, venditor rem sibi retinere potest, nisi expresse, ut ante, fuerit conventum.* l. 11. cod.

§. 609.

De lege commissoria.

Lex commissoria in genere vocatur pactum, quo ita convenitur, ut, nisi præstetur, quod ex alio contractu debetur, debitor amittat, quod ex eo habere decebat. Et tunc id, quod amittitur, dicitur *committi.* Et in specie in præsenti contractu *Lex commissoria* dicitur pactum, quo ita convenitur, ut, nisi emtor intra certum tempus pretium solvat, res sit inemta. *Pactum* itaque, *cui lex commissoria addita, statim resolvitur, conditione resolutiva, quæ eidem inest* (§. 315), *existente.* Et propterea *si emtio sub lege commissoria contracta, & pretium intra tempus præstitutum non fuerit solutum, dominium rei venditæ confestim ipso jure redit ad venditorem.* Cum venditor cum damno emtoris locupletior fieri nequeat l. 14. de public.

 (§. 271);

(§. 271.); *si emtor partem pretii solvit, emtione commissa, ea ipsi restituenda.* Et quoniam emtio *in gratiam venditoris* tantummodo resolvitur; *si lex commissoria* in ipsius gratiam *addita*, *in ipsius* utique *arbitrio positum est, utrum ea uti velit, nec ne.* Quoniam effectus legis commissoriæ pendet a conditione resolutiva, quæ eidem inest; *si conditio quæcunque resolutiva emtioni & in genere contractui, sive pacto cuicunque adjicitur, clausula adjecta hæc legi commissoriæ æquivalet.* Atque ea de causa adjectio istiusmodi conditionis, qua, quod ex pacto haberi debebat, committitur & ipsum pactum resolvitur, *clausula commissoria* appellatur.

L. 4. §. 2. de lege commissoria.

§. 610.

De pacto resolutivo ex nunc & ex tunc.

Pactum, cui adjicitur conditio quæcunque resolutiva, vulgo *resolutivum* dicitur; cujus ideo species sunt lex commissoria & addictio in diem sub conditione resolutiva. Vocatur autem *resolutivum ex nunc*, quando contractus retro resolvitur, quasi ab initio statim fuisset nullus; *& ex tunc*, quando contractus resolvitur eo, quo conditio existit, tempore, ut ab eo demum habeatur

beatur pro nullo. Quoniam naturaliter a voluntate *paciſcentium* dependet, quomodo convenire velint (§. 385. 438.); *in* ipſorum quoque *arbitrio poſitum eſt, utrum conditione reſolutiva exiſtente pactum reſolvi debeat ex nunc, an ex tunc.*

§. 611.

De Jure retractus.

Quod ſi ita conveniatur, ut, ſi rem emtam iterum vendere volueris, eam mihi, vel tertio cuidam certo vendere debeas, vel ut alii vendere non liceat, ſi ego, vel tertius ille idem pretium ſolvere velimus, quod ſolveret alius; pactum emtioni venditioni adjectum dicitur *Pactum de retrahendo*; & jus ex hoc pacto acquiſitum, *Jus retractus* appellatur, in jure civili cum addito *Jus retractus conventionale*, quia ex pacto deſcendit; in oppoſitione *ad legale*, quod certis perſonis lege tribuitur ac mere civile eſt. *Jus hoc retractus eſt jus prælationis, eodemque imminuitur jus alienandi* (§. 257.), *ſed ſine damno domini* (§. 269.). Quoniam *Jus protimiſeos* vocari ſolet, quo quis præferri debet in eodem actu alii, vel aliis; *jus retractus eſt jus protimiſeos, ſed non contra.* Quia

vero *jus retractus* ex pacto ad emtionem venditionem restringitur; *locum non habet, si res eidem obnoxia alio titulo quam emtionis venditionis alienatur*, veluti si donetur, vel permutetur (§. 318.). Cum naturaliter quilibet jus suum alteri cedere possit (§. 342.), nisi personale fuerit (§. 400.); *jus quoque retractus cedi potest, nisi vel expresse fuerit dictum, ne alii cedatur, vel aliunde appareat, id ad personam retrahentis esse restrictum* (§. 318.).

§. 612.

Pactum de retrovendendo & de redimendo.

Si ita conveniatur, ut, quando tibi visum fuerit, vel certo tempore, vel intra certum tempus rem venditam tibi redimere liceat; pactum, quod emtioni venditioni adjicitur, dicitur *Pactum de retrovendendo*, vel *retrovenditionis*. Quamobrem *emtor* quidem *obligatur ad rem retrovendendam*, *venditor* autem *minime ad eam redimendam*. Ac hoc pacto cum omnino differat, si ita conveniatur, ut res vendita vel certo tempore, vel intra certum tempus redimi debeat; lubet id *Pactum de redimendo* appellare. Et *ex pacto de redimendo venditor obligatur ad rem redimendam*, non

non vero emtor ad eam iterum vendendam. Cetera intelliguntur de utroque pacto, sicuti de ceteris omnibus adjectis, ex eo, quod dictum, vel alio modo sufficienter indicatum est (§. 318.).

§. 613.

Quamprimum ex contractu emtionis venditionis pactis quibuscunque adjectis dominium in emtorem transit, cum is jam sit dominus, & venditor esse desierit (§. 195.); *omne* quoque *commodum, quod ex re percipi potest* (§. 198.), *& omne deteriorationis, amissionis & interitus periculum ad emtorem pertinet* (§. 243.). Atque inde facile in casu quolibet definitur, cujusnam sit commodum & periculum naturaliter. Quoniam vero naturaliter conveniri potest, prouti visum fuerit contrahentibus (§. 393. 438); *ita etiam conveniri potest, ut sub certa conditione, vel certo tempore rei venditæ dominium maneat penes venditorem, commodum tamen & periculum sit penes emtorem, vel contra; immo ut dominium cum periculo transeat in emtorem, commodum tamen sub certa conditione, vel certo tempore pertineat ad venditorem.* **Cujusnam sit commodum & periculum rei emtæ in diversis casibus.**

§. 614.

De emtione rei gustu, aut inspectione probanda.

Si res, quæ gustu demum probetur, aut inspiciatur, vendatur, veluti si tibi venditur vinum in cella mea, gustu probandum; *ea nonnisi sub hac conditione intelligitur emta, si tibi probetur*, consequenter *periculum & commodum non ante ad emtorem pertinet, quam si degustata, vel inspecta probatur* (§. 613.).

§. 615.

De commodo & periculo rerum alternative venditarum.

Cum emtori dominium in re alternative vendita ante opinionem nullum competat (§. 195.); *si duæ res alternative vendantur, ita ut optio detur, quamnam eligere velit, antequam optio facta est, commodum atque periculum utriusque ad solum venditorem spectat* (§. 613.).

§. 616.

De venditore in dilationem pretii non consentiente & interesse moræ.

Quia emtio non perficitur, nisi pretium statim solvatur (§. 596.), aut venditor in dilationem consentit (§. 597.); *si de pretio fuerit conventum, & venditor in dilationem consentire non vult, emtio nulla est*, consequenter *si redux pretium statim solvere velis, eam tibi pro eodem dare non tenetur*. Cumque in mora sis,

si

si convento tempore pretium non solvas (§. 417.); *venditori præstare debes, quantum valet usus pecuniæ a die moræ* (§. 419.).

§. 617.

Res evinci dicitur, si quis eam ob jus, quod in ea habet, nec exercere potest, nisi eam in potestate sua habeat, a possessore aufert, veluti si res a non-domino emta a domino vindicatur (§. 262.). *Evictionem* vero *præstare* dicitur, qui satisfacit alteri pro damno ob rem evictam eidem obvenienté. Quoniam possessor quilibet præsumitur dominus, nisi prostent rationes probabiles in contrarium (§. 455.), consequenter emtor cum venditore tanquam cum domino contrahit, nisi noverit rem esse alienam; *emtioni inest tacita hæc conditio, ut evictio præstetur,* consequenter *naturaliter opus non est eam demum expresse promitti: præstationi tamen evictionis renunciari potest* (§. 342.). Quoniam qui sciens a non-domino emit, se nonnisi possessionem emere novit (§. 588.), consequenter in periculum evictionis consentit (§. 593.); *ad præstandam evictionem rei alienæ venditor*

De evictione.

L. 1. C. de evict.

L. 11. §. 2. de act. emt. vend.

L. 11. §. 18. eod.

L. 27. C. de evict.

ditor scienti non obligatur. Et quia non minus quis jus, quod in re vendita habet, evincere potest; *venditor* quoque *evictionem juris cujusdam, quod tertius in re habet, præstare obligatur.* Enimvero *donator*, cum gratis donans (§. 475.) non intelligatur in donatarium transferre voluisse nisi jus, quod in re habet, *donatario ad præstandam evictionem non obligatur.* Mere civile est, quod præstatio evictionis exigatur in donatione remuneratoria, cum ad eam non competat jus perfectum donatario (§. 482.).

L. 48. de evict.

§. 618.

De vitiis rei emtæ. *Vitium rei* dicitur accidens, quod eidem inhæret & rem usui suo minus aptam reddit. Cum res emantur propterеum, quem habere debent usum, consequenter nemo res vitiosas emere velle præsumatur; *vitia rei, quæ in oculos non incurrunt, vel aliunde nota sunt, emtori indicare tenetur venditor,* consequenter *multo minus ea studiose occultare debet, ne in oculos incurrere possint.* Et quia vitium rei æstimabile quid est, quatenus scilicet rem per se ad aliquem usum aptam ineptam reddit; *vitia pretium*

tium rei imminuunt; immo *si quod vitium rem prorsus inutilem reddit, eam nullius pretii faciunt.* Immo cum non minus fraus eventus, quam consilii sit vitanda (§. 286.); *si res prorsus inutilis fuerit ob vitium latens, pretium emtori restituendum: si vero adhuc usum habere potest, aut alio modo damnum reparari, damnum saltem datum resarciendum* (§. *cit.*). Haud difficulter patet, *jura, quæ tertius in re emta habet, vitiis annumeranda esse.* L. 29. de act. em. vendit.

§. 619.

Arrha dicitur pecunia, vel res, quæ ab uno contrahentium datur alteri contractus probandi & confirmandi causa. Ideoque *arrham sibi dari petit, cujus maxime interest, ne a contractu recedatur; ultro etiam offert is, qui sibi metuit, ne contractus ab altero non adimpleatur, vel nondum perfectus non perficiatur.* Patet itaque, *arrhæ dationem esse contractum, vel pactum peculiare, & ad quemvis alium contractum, non modo ad emtionem venditionem accedere posse; eadem tamen in contractu, cui accedit, nihil immutari.* Enimvero cum de arrha valeat, quod conventum fuit (§. 318.); *si* De arrha datione. L. 35. de contr. em. vend.

arrha

arrha detur tanquam pars ejus, quod ex contractu debetur, in id imputatur, si vero detur in securitatem contractus adimplendi, eo adimpleto, restituenda. Ob eandem rationem *si arrha datur ea lege, ut in id imputatur, quod ex contractu debetur, si dans impleverit eundem, eam vero retineat accipiens, si non impleverit; pacto non adimpleto, arrham accipiens lucratur:* quoniam tamen accipiens in id quidem consensit, ut datori liberum sit, utrum arrham amittere, an contractum adimplere malit, non autem id actum est, ut accipienti integrum sit a pacto discedere, si arrham restituat; *accipienti liberum non est, utrum arrham restituere, an contractum adimplere malit.* Enimvero *si ita convenitur, ut, nisi contractum alteruter contrahentium adimplere velit, arrhæ dator cum dispendio arrhæ a contractu recedat, ab eodem vero si accipiens recedat, duplum restituat,* cum in arbitrio paciscentium positum sit, ut hanc legem contractui dent (§. 385. 438.), & sub pœna contrahere liceat (§. 410.); *naturaliter contractus revocabiliter, sed sub pœna initus intelligitur.* Similiter *si ita conveniatur, ut, si arrhæ*

L. 17. C. de fide instrument.

arrhæ dator a contractu recedere velit, eam perdat, accipiens vero duplum in eodem casu restituat, salvo tamen jure ejus, qui contractum adimplere velit, cum sub pœna pœnitentiæ ita contrahatur; *contractus cum dispendio arrhæ, vel dupli restitutione subsistit.* Patet autem in hoc casu cum arrhis fortius contrahi, quam sine arrhis; cum major introducatur obligatio contractum adimplendi (§. 35.). *Si de arrha nihil speciale fuerit conventum*, cum ea detur tanquam indicium contractus initi & constantiæ voluntatis; *cum dispendio arrhæ a contractu recedere non licet*, consequenter *contractu adimpleto, aut, si eum adimpleri non amplius integrum est, præstito interesse* (§. 415.), *arrha restituenda, aut, si in pecunia consistat, in id, quod debetur, imputandum.* Quoniam denique si alter ex pacto jam aliquid præstitit, dum ab eo discedit, ego ipsi nihil restituere teneor (§. 443.); *si emtor parte pretii jam soluta, vel arrha data, re tamen nondum tradita, a contractu recedat, venditor ab eodem recedens partem pretii jam solutam, vel arrham datam restituere non tenetur.*

§. 620.

§. 620.

Locatio conductio quid & quotuplex. *Locatio conductio* vocatur contractus onerosus, quo certus rei usus conceditur, aut certa opera præstatur pro certa mercede. Pretium, quod solvitur pro usu rei, præsertim immobilis, vocatur *Pensio.* Qui pro usu rei mercedem solvit, *Conductor rei;* & is, cui operæ pro mercede præstantur, *Conductor operarum* appellatur; qui vero pro mercede concedit usum rei, *Locator rei;* & qui pro operis suis eandem accipit, *Locator operarum.* In specie conductor ædium, *Inquilinus;* agri, *Colonus;* operis faciendi, *Redemtor* appellatur: qui postremus idem est cum locatore operarum, veluti si faber lignarius contrahit cum te de ædibus certo pretio excitandis.

.60. §. 8. Locati.

§. 621.

Quando contractus perfectus, & nascentes inde obligationes. Cum ad perfectionem contractus locationis conductionis nil amplius requiratur, quam ut locator promittat concessionem usus, vel operas præstandas pro mercede solvenda, & conductor solutionem mercedis pro usu rei, vel operis præstandis (§. 620. 380.); *quamprimum locator & conductor conve-*

vene-

venerunt de mercede pro usu rei, vel operis præstandis, locatio conductio perfecta est: perfecto autem *contractu locator obligatur ad usum rei conventum,* consequenter *rem isti usui, ad quem eam conduxit, aptam, vel operas promissas præstandum, & conductor ad mercedem solvendam, etiamsi re, vel operis locatoris uti non potuerit, modo is interea rem, vel operas alii non locaverit*; cum tunc ipse a contractu discesserit (§. 442.), nec ullum damnum datum sit locatori a conductore, quod foret resarciendum (§. 269. 270.).

§. 622.

De re locata alteri a locatore locata, & quomodo re locata utendum.

Quoniam locator rei in conductorem transfert jus re utendi, quomodo conventum fuit (§. 620.); *ipse ea interea uti nequit, dum non utitur conductor, & si interea alii locet, merces, quæ datur, huic debetur,* cum usus jam sit ipsius; *immo* ob eandem rationem *sine consensu ejus alteri locare nequit*: ex adverso *conductor re aliter uti non potest, quam conventum fuit, alias furtum usus committit* (§. 264.). Immo *si aliter utatur, seu re abutatur, locator contractum rescindere potest* (§. 442. 581.).

§. 623.

§. 623.

De præstatione operarum.

Similiter *conductor non alias operas a locatore exigere potest, quam conventas, nec alio, quam tempore convento* (§. 317.), *& locator perinde operas tempore convento præstare debet* (§. 438.), *alias tenetur ad id, quod interest, eas convento tempore præstitas non fuisse* (§. 415.), cumque a pacto discedat locator; *conductori licet, si ita visum fuerit, alterius operas conducere* (§. 442.).

§. 624.

De sublocatione.

l. 7. locati.

Si conductor rem, vel operas sibi locatas alii locet, locatio ab ipso facta *Sublocatio* dicitur. Cum jus utendi re, vel operis in conductorem translatum sit (§. 620.); *sublocatio rei conductæ ad eundem usum, ad quem fuerat conducta, & operarum ad idem licita, nisi conventum fuerit, ne sublocetur*; quoniam tum jus utendi sine potestate sublocandi translatum, nec aliter conductori competit (§. 317.).

l. 6. C. locati.

§. 625.

Quænam locari possint.

Cum nemini gratis dare, vel facere teneamur, si quis vicissim dare, vel facere potest, & in locatione non detur

tur nisi usus rei pro mercede, non vero res ipsa, id quod est rem vendere (§. 587.); *res omnes, quæ usu non consumuntur, tam corporales, mobiles ac immobiles, quam incorporales locari & conduci possunt, itidemque operæ omnes non illicitæ*; quia ad illicitas non committendas indispensabiliter obligamur (§. 49. 42.). l. 26. de V.O

§. 626. §. 628

An merces in re consistere possit.

Quoniam pretium rerum pecunia æstimatur, ideoque perinde est, sive des pecuniam, sive rem, quæ tanta pecunia æstimatur, in locatione conductione autem datur pecunia pro usu rei, vel operis (§. 620.); *naturaliter locatio conductio est, si pro usu rei, vel operis datur res certa, de qua convenitur*, consequenter *erit etiam locatio conductio, si partim pecunia, partim res detur*.

§. 627.

De mercede tacite conventa.

Cum pro usu rei, vel operis præstanda sit merces conventa (§. 620.); *si de mercede nihil fuerit expresse dictum, tacite consensisse censentur contrahentes in eam mercedem, quæ communiter pro tali usu, vel istiusmodi operis dari solet,*

aut in eam, quam dederat, qui ante conduxerat. Idem intelligitur, *si convenitur, ut detur merces æqua, vel quæ dabitur ab aliis;* tum enim *danda merces, quæ ab aliis dari solet.*

§. 628.

De pactis adjectis. Quoniam etiam locationi conductioni pacta adjici possunt, prouti commodum visum fuerit contrahentibus, perinde ac in emtione venditione (§. 605.); *de quo in pactis adjectis fuerit conventum, eo standum* (§. 438.). Istiusmodi pactum est, quo prohibetur sublocatio (§. 624.), quo usus rei certa lege restringitur, quo convenitur de mercede anticipanda, quo adjicitur clausula commissoria, ut contractus sit nullus, nisi merces certo die solvatur, & statim liceat rem alii locare, ut locatio rescindatur, seu statim cesset, ubi res vendita, vel propriis usibus necessaria fuerit; cum enim jus ex contractu quæsitum invito auferri nequeat (§. 100.), naturaliter non finitur locatio ad certum tempus facta, ubi ante idem vendita, vel propriis usibus necessaria fuerit. Sed de his pactis singulis, quæ

L. 6. C. locati.

fieri

fieri possunt, non opus est, ut sigillatim dicamus.

§. 629.

Quando venditio rei locatæ, aut præstatio operarum per alium non illicita.

Cum *locator* non obligetur *conductori* nisi ad præstandum rei usum conventum (§. 620.); *si eidem rem similem & æque commodam præstet absque ullo ipsius sumtu, rem ut vendat, vel propriis usibus necessariam locatori adimat, injustum non est.* Idem intelligitur, *si qui operas ipse præstare non potest, substituat alium æque idoneum, qui præstet.*

§. 630.

De eadem opera pluribus locata.

Si locator eadem opera pluribus utilis esse possit, cum bis promittere liceat, quod bis præstari potest (§. 421.), & parum intersit, sive uno actu, sive duobus diversis præstetur; *quin operas tibi locatas alii locare & ab utroque conductore mercedem integram accipere liceat, dubitandum non est.* Exempli loco esto tabellarius ad literas deferendum conductus. Quoniam vero, *si eadem opera pluribus conjunctim locetur*, omnes conjunctim non repræsentant nisi unum ~~locatorem~~ conductorem, consequenter mercedem conjunctim nonnisi se- L. 47. locati.

mel solvere tenentur; *conductores singuli mercedem pro rata solvunt, prouti conventum fuit inter ipsos. Quodsi operæ, quæ nonnisi uni præstari possunt, duobus locentur, conductori primo præstandæ* (§. 421.).

Leg. 26 locati

§. 631.

De relocatione & renunciatione locationis.

Si res, vel operæ ad certum tempus locentur, finito tempore conductoris jus cessat & contractus finitur (§. 317. 318.), consequenter cum *locatio & conductio renunciari* dicatur, si vel locator conductori, vel conductor locatori significat, se ultra certum terminum ex contractu amplius teneri nolle; *naturaliter renunciatione opus non est, nisi expressè fuerit conventa* (§. 628.). Quamobrem cum *res, vel opera relocari* dicatur, si conductori finito tempore iterum locetur; *relocatio novus contractus est, ab anteriore prorsus diversus*, consequenter *pacta quæcunque eidem adjici possunt*, seu *legem quandam eidem dare licet, a priori diversam.* Quoniam vero tacite etiam conveniri potest (§. 439.); *si locatore non contradicente conductore re ultra tempus conventum utatur, vel renunciatio conventa*

Leg. 13 § 11 de locat.

l. 13. §. 10 et 11. locati

L. 13. §. 11. eod.

ta non fuerit facta, relocatio in modum anteriorem tacite facta intelligitur (§. 441.).

§. 632.

De locatione morte, vel jure in re extincto finita.

Quodsi duratio contractus in alterutrius, vel utriusque arbitrium conferatur, cum mortuus velle desinat; *morte ejus, in cujus arbitrium collata est*, consequenter *in casu posteriore morte alterutrius, locatio conductio finitur.* Cumque nemo plus juris in alterum transferre possit locando, quam habet (§. 258.); *jure locatoris in re locata extincto, locatio finitur.*

Lex 4 Locati
Leg. § 1 Locati

§. 633.

De damno in re, vel usu rei dato.

Quoniam conductori usus rei locatur (§. 620.); *locator consentire tenetur in eam deteriorationem, sine qua usus obtineri nequit.* Enimvero *si dolo, vel culpa conductoris reddatur deterior, vel prorsus destruatur, damnum conductor resarcire tenetur* (§. 270.). Cum vero dominium maneat penes locatorem, usus autem sit conductoris (§. 620.); *si damnum casu datur in re, quem nulla conductoris culpa praecessit, id locatoris est; si in usu, conductoris, nisi de remissione mercedis quaedam fuerint con-*

Lex 2 digest. locati

venta (§. 342. 628.). Enimvero *si casus auferat omnem rei usum, cum merces* pro usu detur; ea *remittenda*.

§. 634.

De damno, quod incurrit locator operarum, & damno in opere conducto dato.

Similiter cum conductori imputari nequeat, *si locator operarum culpa sua damnum incurrit, dum operas præstat* (§. 3.), a quo sibi cavere debebat (§. 269.); *conductor id resarcire non tenetur*. Et quia casus prævideri nequeunt; qui operas pro mercede locat, subire tenetur periculum, quod inde imminere poterat, consequenter *nec conductor resarcire tenetur damnum, quod casu incurrit locator*. Ita *si locator operarum fregerit, vel perdiderit instrumentum operas promissas præstando, damnum ipsius est; vel etiam si id contingat in materia locatoris operæ propria, ex qua tibi opus facere debebat*: enimvero *si tua sit materia, in qua casus contingit, damnum tuum est* (§. 243.). Culpa utique sua damnum dedisse intelligitur, *qui opus ex tua materia fecit vitiosum* (§. 21. 269.); ac ideo *si vitium corrigi possit, sine mercede id corrigere, sin minus, pretium materiæ restituere & opus vitiosum retinere debet* (§. 270.).

Quia

Quia *Artifex* dicitur, qui artem aliquam callet, vel exercet; *imperitia artificis, seu ejus, qui se artificem profitetur*, utique *culpa est* (§. 21.). Denique cum opus, quod alteri locasti, tuum sit; *si sine conductoris operis culpa casus in cœpto, vel jam perfecto contingat, damnum tuum est* (§. 243.): ast *si vitio operis contingat damnum*, cum tunc culpa conductoris detur (*per demonstr.*); utique *conductor id resarcire tenetur* (§. 270.).

§. 635.

Si ita conveniatur cum artifice, ut faciat opus ex materia sua, pretio in opus perfectum & approbatum constituto, cum non conveniatur de mercede pro operis præstanda, sed de pretio pro opere confecto solvendo; *contractus locatio conductio non est* (§. 620.), *sed emtio venditio rei extituræ, sub hac conditione inita, si vitio careat* (§. 587. 590.). Et quoniam in emtione venditione res tanquam supplementum pretii dari potest (§. 599.); *erit adhuc emtio venditio, si data materia, vel res alia in pretium imputanda.* **De emtione operis nostra voluntate ab alio conficiendi.**

§. 636.

De impensis in rem locatam factis. Quoniam locator rem usui conducto aptam præstare tenetur (§. 621.); *si conductor fecit impensas necessarias*, sine quibus scilicet res non poterat habere usum, quem conduxerat, *locator eas restituere tenetur*: non vero *licet facere impensas utiles sine consensu locatoris*, utpote qui nonnisi usum conductum præstare tenetur (§. 317.), cumque conductor non sit dominus (§. 620.); *ne suo quidem sumtu sine consensu locatoris in re conducta quicquam immutare licet conductori* (§. 256.).

§. 637.

De vitiis rei locatæ. Cum quilibet damnum ab alio avertere debeat (§. 269.); *locator* quoque *vitia rei locatæ, quibus damnum dari potest in usu rei, indicare tenetur*, veluti si equus sit calcitrosus, vel certo anni tempore ab inundatione periculum immineat in certis ædium partibus. *Quodsi ergo sciens rem vitiosam locet, conductori tenetur in id, quod interest* (§. 415.), *si ignorans invincibiliter*, etsi ab imputatione liber sit (§. 34.), cum tamen usum non præstet, quem res minime vitiosa habere poterat; *pensionem*

nem remittere tenetur pro circumstantiis datis (§. 621.).

§. 638.

Si alicui pecudum usus pro viliori mercede annua, aut certa fructuum parte conceditur ea lege, ut, si quæ illarum pereant, accipiens vel alias in earum locum substituat, vel æstimationem præstet, contractus dicitur *Socida*. Patet itaque, *socidam esse locationem conductionem cum pacto adjecto, quo periculum omne rei locatæ in se suscepit conductor* (§. 620. 628.). Patet porro, *in socida pecudes locatori nunquam mori, & æstimatas esse tradendas.* Et quoniam *Pecudes ferreæ* dicuntur, quæ danti nunquam moriuntur, vel pereunt; *socida est locatio pecudum ferrearum.* Quia vero æqualitas observanda in contractibus onerosis (§. 580); *merces in socida determinanda ex pretio fructuum, quos ex pecudibus percipit conductor, & periculo, quod in se suscipit.* Cumque usus causa pecudes locentur; *locator pecudes sanas in socidam tradere obligatur, & si morbo ante socidam contracto moriantur pecudes, periculum est locatoris* (§. 415.).

De socida.

L. fin. C. de per. et comodo rei venditae.

§. 639.

Societas negotiatoria quid sit. Si duo, vel plures inter se conveniant, quod res & operas ad negotiationem quandam conferre velint eo fine, ut lucrum ac damnum commune sit, contractus dicitur *Societas*, nimirum *negotiatoria.* Qui societatem ineunt, *Socii* vocantur. *Societas* autem *contrahitur, sive uterque sociorum res & operas, sive unus res, alter operas, sive unus res & operas, alter vel res, vel operas confert.* Sub rebus etiam comprehendi pecuniam, per se patet. *Cum eo, qui nec operas, nec res confert, societas non contrahitur; sed si ad partem lucri saltem admittitur, donatio* (§. 475.), *si etiam damni particeps esse debet, peculiaris quidam contractus est* (§. 438.).

§. 640.

De societate ratione damni contracta. Quoniam quilibet jus suum remittere potest (§. 342.), & unicuique permittendum, in quantum se obligare velit (§. 78. 97.); *societas ita contrahi potest, ut quis sit particeps lucri, non vero damni*: ast cum damnum ab altero avertere debeamus (§. 269.), nec eum damno ejus locupletiores fieri (§. 271.);

ita

ita contrahi nequit, *ut socius sit particeps damni*, *non vero lucri*, consequenter cum *societas leonina* dicatur, in qua unus solus lucrum, alter solus damnum habet; ea *illicita est*, *per se nulla*. l. 29. §. 2. pro socio.

§. 641.

Si bona universa tam præsentia, quam futura in communionem deducuntur, *Societas* dicitur *omnium bonorum*, vel *fortunarum*; si vero ea omnia, quæ opera & negotiatione acquiruntur, *Societas bonorum* simpliciter vocatur. Utraque communi nomine *Societas universalis*, subinde etiam *generalis* appellatur; & in oppositione *particularis* audit, in qua communicantur ea, quæ ex certis rebus, vel certa negotiatione proveniunt. **Societas bonorum & omnium bonorum.**

§. 642.

Bona societatis dicuntur, quæ in communionem deducuntur, dum societas contrahitur. Quamobrem in bonis societatis quilibet socius pro parte dominium habet (§. 639.), consequenter *quamprimum societas omnium bonorum initur*, *socius unusquisque in alterum transfert dominium in bona sua præsentia & futura pro rata* (§. 641. 589.). **De bonis societatis.** l. 1. §. 1. et l. 2. pro socio

§. 643.

§. 643.

Sortis nomine quæ pecunia veniat.

Pecunia, quæ in societate ad certum usum confertur; & in genere pecunia, qua fruimur, dicitur *Sors*.

§. 644.

De diverso modo operas cum pecunia collata conferendi.

Si quis operas solas, alter vero pecuniam confert, & operæ conferuntur cum usu pecuniæ, cum usus pecuniæ & usus operarum invicem communicentur; *collator operarum non fit particeps sortis, & sors perit ac salva est ei, qui pecuniam contulit*: ast *si eædem operæ conferantur cum ipso dominio pecuniæ*, quoniam ipsa pecunia & operæ eadem æstimandæ invicem communicantur; *qui operam impendit, fit particeps sortis pro eo, quod valet pretium operæ, sorti adjiciendum.*

§. 645.

Di divisione lucri & damni.

L. 29. pro socio

Cum *in societate negotiatoria* socius nullus alteri gratis quid dare & facere præsumatur, nec dare vel facere debeat naturaliter (§. 473. 639.); in eadem *observanda est æqualitas* (§. 580.), consequenter *commune lucrum & damnum in ratione collatorum dividendum*, ita scilicet ut qui duplum contulit,

tulit, duplum percipiat lucrum, ſed duplum quoque ferat damnum, ac ideo *ſi collata ſint æqualia, partes quoque lucri & damni ſint æquales.* Quilibet æquiſſimam judicat æqualitatem partium, ſi collata fuerint æqualia. Sed cum qui duplum confert, duos repræſentet ſocios, & ita porro; inde omnino ſequitur, ut eadem ſit æquitas diviſionis lucri & damni communis in ratione collatorum. Quoniam vero ſocii de partibus inter ſe convenire poſſunt, prouti ipſis commodum viſum fuerit (§. 385. 438.); *ſi partes lucri & damni fuerint expreſſæ, eædem ſervandæ ſunt* (§. 438.). Enimvero *ſi operæ cum uſu pecuniæ conferantur, cum qui operas confert, non fiat particeps ſortis* (§. 644.); *ratio, in qua commune lucrum dividendum, definienda ex eo, quod valet uſus pecuniæ & periculum amittendæ ſortis, & ex eo, quod valent operæ & periculum eas perdendi; quodſi* vero *periculum non attendatur, ex eo, quod valet uſus pecuniæ, & ex eo, quod valent operæ.*

l. 29. pro socio

§. 646.

De lucro compenſando.

Cum lucrum ſit res, conſequenter pecu-

pecunia, quæ bonis nostris superaccedit (§. 414), impensæ autem in societate lucri faciendi causa fiant (§. 279. 639.); *lucrum non intelligitur, nisi deductis impensis*, consequenter *etiam deducta pecunia, quæ collata fuerat, & deductis damnis*, quæ lucrum imminuunt (§. 269. 279.).

L. 30 pro socio

§. 647.

De societate finita & prorogata.

Cum societas certi cujusdam negotii causa contrahatur (§. 639.); *finito negotio, propter quod societas contracta societas finitur, & si ad certum tempus contracta, elapso tempore finitur* (§. 438.). Quoniam vero *societas prorogari* dicitur, quando ultra tempus conventum continuatur; consequenter societatem prorogare idem est, ac eandem renovare (§. 441.); *quæ de renovatione pactorum dicta sunt, de prorogatione societatis valent* (§. cit.). Ast quia nemo alteri damnum dare debet (§. 269.); *a societate discedere non licet cum damno societatis: si tamen ad nullum certum tempus contracta, sine damno societatis ab ea discedere licet*; quia tunc nihil fit contra jus sociorum (§. 83.).

§. 6. J. pro societate
L. 65. §. 6. pro s.
L. 65. §. 5. eod.

§. 648.

§. 648.

Societate renunciare dicitur, qui declarat, se in eadem diutius manere nolle. *Renuncians* itaque *a societate* discedit (§. 442.). Quamobrem *si socius unus non præstet, ad quod præstandum vi societatis tenetur, alteri licet renunciare societati*, consequenter *si plures fuerint, certi societatem continuare & socium negligentem, vel rixosum, qui solo suo arbitrio omnia fieri vult, excludere possunt*. Idem nimirum est, ac si societati renunciarent, ac postea novam inter se contraherent. *Mutuo* autem *dissensu*, sicuti pactum omne (§. 444.), ita etiam *societatem dissolvi posse*, satis liquet.

De renunciatione & dissolutione societatis.

L. 63. §. fin. pro socio

L. 64. pro socio.

§. 649.

Quicquid pro usu rei, quæ usu consumitur, seu fungibilis, inprimis pecuniæ datur, sive sit pecunia, sive res alia, *Usura* dicitur. Cum usus rei, quæ usu consumitur, non minus aliquid æstimabile sit, quam rei, quæ usu non consumitur, prouti evidenter apparet, si ponamus pecuniam in emtionem fundi fructiferi, aut negotium quoddam lucrosum impendi, nemo autem alteri

De usuris.

alteri gratis dare teneatur, qui vicissim dare potest (§. 473.); *usuræ in se illicitæ non sunt*, *naturaliter* autem *quantitas definienda ex usu pecuniæ*, *cujus causa creditur debitori.* Nimirum usuræ spectari possunt tanquam pars lucri, cujus particeps fit socius pecuniam solam conferens, habita ratione periculi, quod solus in se suscipit debitor. Atque hinc patet, *naturaliter usuras nunc esse posse majores*, *nunc minores.* Hinc *usuræ mordentes* dicuntur, si exigantur ab eo, qui usu pecuniæ vix tantundem lucrari potest, quantum ad vitæ necessitatem sufficit, vel si excedunt lucrum, quod usu pecuniæ facere potest debitor; & eas *naturaliter illicitas esse*, patet (§. 513.). Usurarum vero illicitarum exactio *usuraria pravitas* vocatur.

§. 650.

De contractu fœnebri. Quoniam mutuum non est, si usus pecuniæ non datur gratis, sed pro pecunia (§. 533.); ac ideo quoque pecunia sub usuris debita *Pecunia usuraria* dicitur; contractum, quo pecunia sub usuris creditur, in Jure naturæ part. 4. §. 1423. *Contractum fœnebrem* appellamus;

mus: ſicuti in Jure Romano *Pecunia fœnebris* dicitur, pro cujus uſu uſuræ ſolvuntur. Poterat etiam dici *contractus uſurarius*.

§. 651.

Anatociſmus vocatur pactum, quo conventur, ut uſuræ convertantur in ſortem & debeantur etiam uſuræ uſurarum. Cum uſuræ ſolutæ, quamprimum ſolvuntur, ſint ſors accipientis, pecuniam vero credere liceat ei, cui jam antea ſub uſuris credidiſti; *uſuras acceptas ſub uſuris rurſus credere eas debenti ob juſtam uſurarum cauſam naturaliter licet*. Quamobrem apparet, *anatociſmum in ſe illicitum non eſſe*. *De Anatociſmo.*

§. 652.

Chirographum ſunt literæ, in quibus quis fatetur, ſe rem quandam fungibilem ab altero accepiſſe, & eam in genere reſtituere promittit. Contractus, qui madiante chirographo perficitur, dicitur *Contractus chirographarius*. Unde porro patet, quinam ſit *creditor*, quinam *debitor chirographarius*, & quodnam *debitum chirographarium*. Liquet etiam, *contractum chirographarium eſ-* *Chirographum & contractus chirographarius quid ſit.*

se mutuum scriptura perfectum (§. 528.), *aut contractum fœnebrem scriptura perfectum* (§. 650.).

§. 653.

De contractu chirographario tenenda.

Cum in chirographo promittatur restitutio ejus in genere, quod acceptum (§. 652.); *quisque rei fungibilis*, veluti pecuniæ, *accipiendæ chirographum tradit, eam autem non accipit, ad nihil quoque restituendum obligatur.* Ne vero casus emergant, in quibus dubium videtur, num ea accepta sit; *quamprimum chirographum traditur, res fungibilis tradenda, vel pecunia numeranda, nec antequam hoc fiat, debitor chirographarius chirographum tradere, nec creditor chirographarius accipere debet.* Idem intelligitur, si non integra quantitas in chirographo expressa traditur. Eadem de causa *quamprimum solvitur, chirographum reddendum.* Ceterum *naturaliter in chirographo non exprimenda causa debendi* (§. 407.). Quamobrem cum naturaliter perinde sit, ac si causa debendi non fuisset adscripta, etiamsi adscribatur; *chirographum valet, etiamsi falsa causa debendi exprimatur, modo verum sit, tantum deberi.*

l. 2. C. de cond. ex lege.

§. 654.

§. 654.

Apocha, vulgo *Quittancia*, dicuntur literæ, in quibus creditor fatetur, debitorem solvisse, seu se ab eodem accepisse, quod debebat. Quoniam itaque apochæ productione probatur solutio facta; *nec danda, nec accipienda, nisi solutione facta*, consequenter *spe solutionis data aut repetenda, aut debitor ad solutionem compellendus.* Idem intelligitur, si apocha accepta pebitum non integre solvitur. Cum apocha probari possit solutio; *si chirographum casu amissum, vel reperiri non potest, in apocha id exprimendum.* *De apochis.*

§. 655.

Permutatio pecuniæ cum pecunia, quacunque tandem lege fiat, vulgo *Cambium* dicitur; in specie autem permutatio specierum monetæ, *Cambium manuale*, veluti si moneta grandior cum pecunia minuta permutetur. Græcis *Collybus* appellatur. Hinc *Collybista*, item *Nummularius* & *Trapezita* dicitur, qui pecuniam in hoc paratam habet, ut eam cum aliis permutet speciebus. Et quod collybista specierum mo- *De cambio manuali.*

netæ permutandarum causa deducit, *Lagium* vulgo vocatur. Dicitur etiam *Collybus*, sed non sine æquivocatione; cum ipse etiam contractus hoc nomine veniat. *Si pretium rerum, vel operarum definitur valore extrinseco monetæ, &, ut pecunia commodius erogari possit, certa monetæ species cum alia permutatur,* cum perinde sit, quænam monetæ species detur; *in cambio manuali non spectandus nisi monetarum valor extrinsecus* (§. 580.). Enimvero *si tua intersit, ut monetam habeas, cujus major bonitas intrinseca, quam ejus, quam nunc habes, nec minus mea intersit, ne speciem meliorem cum viliori permutem,* cum interesse aliquid æstimabile sit; *in cambio manuali attendendus est valor intrinsecus,* consequenter *lagium non illicitum.* Et quoniam collybista usu pecuniæ suæ, quem alias facere poterat, in gratiam permutationis pecuniæ cum pecunia carere & operam huic negotio impendere tenetur, utrumque autem æstimabile quid est; *collybistæ tantum deducere licet, quantum valet usus pecuniæ, quo carere, & opera, quam huic negotio impendere debet*, cumque etiam ipse lagium

gium dare teneatur, si speciem viliorem cum meliori permutat (*per demonstrata*), *quantum etiam valet differentia bonitatis intrinsecæ specierum permutandarum* (§. 473.). Pro diversitate circumstantiarum in definienda quantitate lagii alia quoque accidentia æstimabilia attendenda sunt.

§. 656.

Contractus, quo pecunia alicui ita datur, ut is pro certa mercede eandem alio in loco sive danti, sive alii cuidam solvi certo die curet, proprie *Cambium* dicitur, subinde *Cambium trassatum*. Ad cambium itaque concurrunt quatuor personæ principales, nimirum persona, quæ pecuniam alio loco solvendam dat; persona, quæ eandem accipit & alio loco solvendi curam in se suscipit; persona, quæ pecuniam alio loco solvit & persona, cui alio loco solvitur. Prima dicitur *Campsarius*, sive *Remittens*, secunda *Campsor*, sive *Trassans*, tertia *Acceptans*, sive *Trassatus*, & quarta *Præsentans*. Patet autem, unum subinde duplicem repræsentare posse personam, veluti ut trassans idem sit cum trassato, vel campsa- *De Cambio trassato.*

psarius cum præsentante. Literæ, quæ a trassante inscribuntur trassato, pecuniæ præsentanti solvendæ causa, & pro pecunia numerata dantur campsario, seu remittendi, dicuntur *Literæ cambiales*: ast literæ, quibus de cambio certior redditur trassatus, & quomodo eidem rursus satisfieri debeat propter pecuniam pro literis cambialibus, a præsentante exhibitis, solutam vocantur *Literæ advisoriæ*. Pretium cambii, de quo remittens trassanti satisfecit, *Valuta*; summa vero pecuniæ in literis cambialibus expressæ, quatenus a præsentante exigenda, respectu Remittentis *Remissa*, quatenus a trassato solvenda, repectu Trassantis *Trasta* vocatur. Utilitas hujus contractus inde elucet, quod *beneficio cambii pecunia in locis maxime dissitis solvi & a peregrinantibus ubivis locorum in ea monetæ specie, quæ ibidem usitata est, accipi possit*. Quid juris naturalis sit in cambio, quod sicuti omnes actus humanos, ita etiam cambium regit, quoad obligationes contrahendas, jura inde quæsita, definiendum est ex iis, quæ de promissione, de damno resarciendo & præstando

do interesse, & de se non locupletando cum damno alterius demonstrata sunt. Ita statim patet, *trassantem obligari remittenti, ut curet pecuniam conventam loco & tempore convento præsentanti solvi, remittentem vero ad præstandum valutam* (§. 380.): *trassatum* autem *præsentanti ad solutionem non obligari, antequam literas cambiales acceptavit*, cum acceptando eidem promittat, se pro literis solvere velle (§. 380.); *trassantem* vero *obligari ad valutam cambii restituendum & præstandum interesse, nisi trassatus solverit* (§. 271. 415.). Sed nolumus plura addere, quæ in opere majore part. 5. c. 1. legantur.

§. 657.

Ad imitationem cambii trassati, a mercatoribus ad facilitanda commercia introducti, alii commenti sunt *cambium siccum*, quo quis ab alio accipit literas cambiales, pro quibus ipsi, vel alii causam ab eo habenti, eodem loco, sed certo tempore, certa pecuniæ summa, de qua conventum, solvendum; *quod naturaliter non differre a contractu chirographario* manifestum est (§. 652.). Quamobrem Juris mere po- *De cambio sicco.*

sitivi est omnis differentia, quæ inter contractum chirographarium & cambium siccum intercedit.

§. 658.

De contractu æstimatorio.

Contractus æstimatorius dicitur, quo res æstimata certo pretio vendenda traditur alteri, ut eam vel reddat, vel pretium determinatum solvat. Quamobrem *si accipiens rem pluris vendere possit, excessum supra pretium determinatum lucratur, & si pretium ipse solvere velit, eam tradenti reddere non tenetur.* Ex adverso autem cum sine consensu tradentis minoris vendere nequeat (§. 317. 199.); *si minoris vendat, defectum supplere debet* (§. 269. 438.). Ex ipsa autem definitione liquet, *contractum æstimatorium iniri posse circa res omnes, quæ vendi possunt.*

§. 659.

De pretio venditionis & taxationis gratia adjecto.

Pretium rei taxationis gratia adjici dicitur, quando adjicitur eo fine, ut constet nunc & in posterum de ejus valore: *venditionis gratia* vero, ut constet, quanti res emta esse debeat. *Taxationis* itaque *causa adjiciendum, quoties res in eadem bonitate restituenda,* ut in commodato, mutuo, deposito; *venditionis* autem

autem *gratia in contractu æstimatorio.* Etenim *si rei vendendæ pretium taxationis gratia adjicitur, contractus vel mandatum est* (§. 551.), *vel locatio conductio operarum* (§. 620.); & *si certo pretio æstimata vendenda traditur alteri ea lege, ut, si majus accipiat, excessus sit communis, societas contrahitur quoad excessum* (§. 639.). Cum contrahentes legem contractui dare possint, quam voluerint (§. 314.); *in contractu æstimatorio vel dominium transferri potest in accipientem, vel tradens idem sibi retinet.*

§. 660.

Constitutum dicitur contractus, quo quis promittit se soluturum, vel facturum, quod vel ipse, vel alius jam antea solvere, vel facere debebat, salva manente priori obligatione. Is, qui constituit, *Constituens*; is autem, cui constituitur, *Constituarius* appellatur. Quamobrem *debitum proprium constituendo firmatur*, veluti si hæres legatario promittit solutionem legati: *si vero debitum fuerit alienum, constituens solutionem in se suscipit, nisi debitor principalis solverit*, veluti si promittit solutionem *De constituto.* l. 5. §. 2. De pec. constituta.

 ultimo

ultimo Septembris, nisi Sempronius interea solvat, qui jam quarta Julii solvere debebat. *Constitutum debiti alieni naturaliter non differre a fidejussione*, ex collatione definitionum patet (§. 569.): unde vero veniat in Jure Romano differentia, dictum alibi. Facile quoque patet, *si quis majorem quantitatem promittit, quam quæ debetur, nisi debitor principalis solverit, debitum non constitui, sed contractum mixtum esse ex constituto & pacto de donando, vel pactum de donando conditionatum.*

§. 661.

De adjecto. *Adjectus* dicitur is, cui nihil debetur, voluntate tamen creditoris solvendum debitum, aut saltem solvere licet. Quodsi ergo *adjecto solvitur, debitor ab obligatione sua liberatur*: ast cum eidem debitor obligatus non sit, *adjectus debitorem ad solvendum adigere nequit, sed solutionem sponte oblatam saltem accipere potest*. Immo *solvere* quoque *potest debitor ipsi creditori: quodsi tamen se obligavit ad solvendum adjecto*, cum obligationi suæ defuerit, *eidem tenetur ad id, quod interest, adjecto solutum non fuisse* (§. 415.).

§. 4. J. de inutil. stipulationib.

(§. 415.). Nimirum solutionis causa alius adjici potest, vel in gratiam debitoris, vel creditoris. Ceterum cum tertium adjiciendo non mutetur obligatio debitoris; *in constituto tertius adjici potest, qui in priori obligatione non erat adjectus* (§. 660.); & *alius adjici potest, quam qui fuerat in obligatione priori adjectus*, consequenter *tunc solvi in priori obligatione adjecto nequit.*

§. 662.

Contractum institorium appellamus, quo quis negotiationi quæstuariæ aliquem administrandi gratia universaliter præponit. Dicitur autem *negotiatio quæstuaria*, quæ lucri faciendi causa exercetur. Et *Institor* vocatur, qui præponitur; *Præponens* autem, qui alterum præponit. Cum Romani servos & filios, quos in potestate habebant, negotiationi præponere solerent; nulla contractus institorii, sed saltem institoris & actionis institoriæ in Jure Romano fit mentio. Hoc tamen non obstante, eadem ex præpositione descendunt obligationes & jura, quæ inde oriuntur, quando quis ex pacto fuit præpositus. Patet autem, *institorem obligatum*

De contractu institorio.

L. 2 De institutoria actione.

ligatum esse ad negotiationem administrandam, præponentem in eum conferre jus ad omnes actus ad negotiationem exercendam necessarios, nisi specialiter fuerit conventum, ut quædam sine consensu suo fieri non possint, consequenter institorem terminos conventionis excedere non debere. *Institorio nomine agere* dicitur institor, quicquid negotiationis, cui præpositus est, causa fit, seu id, sine quo administrari negotiatio nequid. *Quicquid* igitur *institorio nomine facit, id nomine præponentis facit*, consequenter *quoties institori cum tertio negotium est*, per se patet, *eum institorio nomine egisse, si actus negotiationi proprius; alias necesse est, ut expresse dicat, se institorio nomine agere, nisi aliunde alteri hoc jam notum fuerit.* Hinc porro sequitur, *ut institor institorio nomine contrahens non se, sed præponentem aliis, nec alios sibi, sed præponenti obliget: quodsi* vero *præponens institorem specialiter obligavit, ne quid faciat, aut ne faciat sine consensu suo, necesse est ut hoc notum faciat iis, quibus contrahendo ab institore obligandus.* Enimvero quoniam institor præponentem obligare nequit, nisi

nisi institorio nomine agat; *si proprio nomine contrahit, etiam negotiationis causa, se aliis, non præponentem obligat.* Cum tamen nemo re alterius locupletior fieri debeat (§. 271.); *in tantum præponens tenetur ex contractu negotiationis causa inito, quantum locupletior factus.* Et quia negotiatio præponentis est, quam ipsius nomine administrat institor: *lucrum & damnum ex negotiatione sine culpa institoris, quæ omnino ab ipso præstanda* (§. 270.), *ad præponentem pertinet* (§. 271. 243.). Denique cum institor negotiationem, cui præpositus, omni diligentia administrare obligetur (§. 21.); *proprio nomine negotiationem exercere nequit, quæ ullo modo vergit in præjudicium domini; secus, si hoc non fiat.* Cumque finito officio institoris jus extinguatur; *finito officio nihil institorio nomine valide agit sine consensu domini vel expresso, vel tacito,* veluti si administrationem adhuc eidem permittit, consequenter, cum damnum, si quod detur, dolo detur (§. 17.), *si ex actu, vel contractu institoris emergat damnum, id domino resarcire obligatur* (§. 270.): *ei autem, cum quo dolose contrahit, tenetur*

ad id, quod interest (§. 415.). Unde per se sequitur, *si dominus institorem nondum finito officio dimittat, id sine mora intimandum esse iis, cum quibus negotium habet.*

§. 663.

De pluribus institoribus eidem negotiationi præpositis.

L. 1. §. 13. De exercitoria actione.

Si plures fuerint institores, cum nullus eorum plus juris habeat, quam dominus negotiationis, sive præponens in eum conferre voluit (§. 317.); *ex lege præpositionis dijudicandum, quænam sit singulorum obligatio, & quantum juris quoad administrationem negotiationis unicuique competat.* Quoniam tamen unusquisque eorum damnum omne a domino avertere obligatur (§. 269.); *si unus eorum videt alterum facere, quod in damnum domini vergit, id tempestive indicandum. Quodsi plures ita præponantur negotiationi, ut eam communi consilio administrent*, cum omnes simul unam repræsentent personam; *ex facto unius tenentur omnes pro rata, nisi unus dolose clam ceteris quid fecerit*, cum ignorantia invincibilis imputari nequeat (§. 34.); sicuti & manifestum est, *ex facto ceterorum eum non teneri, qui contradixit.*

§. 664.

Quatenus con-

Contractus institorius hoc commune habet

habet cum mandato, quod negotium aliquod alteri gerendum committatur; cum locatione conductione, quod pro operis præstitis merces solvatur, prouti ex definitionum collatione statim patescit (§ 551. 620. 662.). Atque hinc intelligitur, quatenus de mandato & locatione conductione demonstrata ad contractum institorium applicari possint.

tractus institorius cum mandato & locatione conductione conveniat.

§. 665.

De contractu exercitorio.

Contractum exercitorium appellare lubet, quo quis navi exercendæ præponitur, veluti eidem locandæ, vectoribus conducentis, armamentis emendis & ita porro. Is, qui præponit, *Exercitor* vocatur, sive ipse sit dominus navis, sive eam per aversionem conduxerit: qui vero navi exercendæ præponitur, *Magister navis* vocatur. Quoniam itaque *magister* in navi exercenda exercitorem repræsentat; *quod ipse facit, id exercitor fecisse putandus, & hic in ipsum contulisse intelligitur jus ad omnes actus ad navim exercendam necessarios*. Cum vero exercitoris sit, qua lege magistrum præponere velit navi (§. 317); *si magister certa lege præpositus, jus ipsius ex lege præpositionis æstimandum*.

L. 1. §. 15. de exerc. action. Rheder, Schiffherr, Schiffsreeder. L. 1. §. 1. eod. Schiffer, Schiffcapitain. L. 1. §. 8. eod. L. 1. §. 12. eod.

Dicitur

Dicitur autem *exercitorio nomine agere* magiſter, quicquid navis exercendæ cauſa facit, cui præpoſitus eſt. Ceterum quia magiſter ſpectari poteſt tanquam inſtitor reſpectu navis exercendæ; ad eum quoque facile applicantur, quæ de inſtitore demonſtrata ſunt, ut ideo opus non ſit ſigillatim de his dicere.

§. 666.

De nautis.

Nautæ dicuntur, qui agendæ navis cauſa in navi ſunt. Quoniam ipſis jus nullum vavis cauſa contrahendi competit; *ex nautarum contractu nec magiſter, nec exercitor obligari poteſt.*

L. 1. §. 2. de exerc. actione

§. 667.

De contractibus do ut des, do ut facias & facio ut facias.

Contractus oneroſi omnes ad tria genera revocantur, nimirum ad contractum do ut des, do ut facias, facio ut des (§. 468.). Sub iis itaque contractus omnes, de quibus hactenus egimus, tanquam ſpecies continentur, quarum quotidianus uſus eſt. Enimvero ſi qui præterea contractus occurrunt, de iis ex natura contractuum do ut des, do ut facias, facio ut des, ſtatuendum. Quid igitur Jure naturali de iis ſtatuendum ſit, a nobis explicandum: cum enim

facias, facias,

enim Jus Romanum ab eo abeat, diximus alibi, ubi monuimus, differentiam inter contractus nominatos & innominatos esse mere Juris Romani, not. §. 879. part. 4. & not. §. 145. part. 5. Jur. nat. Cum hominibus competat jus ad certas præstationes sibi alterum obligandi (§. 97.), aliter autem se obligare non possint nisi promittendo (§. 380.); *quamprimum voluntatem dandi & faciendi sibi invicem declararunt, contractus perfectus est* (§. 379. 97.), consequenter *mutuo consensu perficiuntur contractus do ut des, do ut facias, facio ut des* (§. 27.). Quamobrem *si statim ea præstentur, de quibus conventum fuit, contractus consummatur, quamprimum perfectus fuit.* Et quoniam contractu perfecto necessitatis est, quod antea erat voluntatis (§. 97.); *contrahendo, sive paciscendo ex imperfecte debito, sive officio, & ex naturaliter licito fit perfecte debitum* (§. 49. 80.), vel vbi quis se obligat ad non præstandum, quod præstare erat licitum, *illicitum* (§. 49.). Ast cum nemo se ab obligatione naturali liberare possit (§. 42.); *ex naturaliter illicito fieri nequit licitum.*

Cumque ab uniuscujusque voluntate dependeat, quomodo jus quoddam suum in alterum transferre velit (§. 314.); *arbitrii paciscentium est, quomodo de præstationibus mutuis conveni-re velint, & standum est eo, de quo con-ventum fuit* (§. 438.). Quoniam vero fraus omnis tam consilii, quam eventus illicita (§. 286.); *in contractibus quoque do ut des, do ut facias, facio ut facias neuter contrahentium defraudandus.*

CAPUT XIII.

DE CONTRACTIBUS QUI ALEAM CONTINENT.

§. 668.

De contractibus aleam continentibus in genere.

C*ontractus aleam continentes* dicuntur, quibus super incerto eventu convenitur, ut eodem utrinque stetur, veluti si convenitur de pretio pro jactu retis solvendo, ut pisces capti sint ementis. *In his* igitur *contractibus, quod dari, vel fieri debet, sive ex utraque, sive ex una contrahentium parte suspenditur ab eventu.* Cum abusus dominii naturaliter quidem illicitus sit, unicuique tamen permittendus, quamdiu nil fit

fit contra jus tuum (§. 202.), consequenter in contractibus non attendendus; *contractus* equidem *aleam continentes inire non debet, qui in dando dominio, in faciendo libertate naturali abutitur: si tamen init, jure externo subsistunt.* Et cum in contractibus onerosis observanda æqualitas (§. 581.), *in contractibus* autem *aleam continentibus* fieri nequit, ut quantum unus præstat, tantum vicissim recipiat ab altero, nisi forsan casu rarissimo, minime prævidendo; *utriusque* saltem *contrahentium eadem esse debet conditio, nempe eadem spes lucri & idem metus damni*, consequenter *contrahentes ab omni fraude alienissimum habere debent animum* (§. 286.). Ceterum *contractus aleæ etiam benefici esse possunt* (§. 466.).

§. 669.

Sors dicitur res quæcunque, a cujus fortuita determinatione suspenditur acquisitio rei alterius corporalis, vel incorporalis; seu est signum ejus, quod nobis esse debet acquisitum, fortuito determinatum. Unde patet, *sorte dirimenda non esse ea, quæ certo consilio fieri possunt, sed quæ eo expediri nequeunt.* *De sorte.*

Est vero *sors* vel *electrix*, qua definitur, quid ex duobus electum esse debeat; vel *attributrix*, quæ rem certam alicui attribuit; vel *divisoria*, qua definitur, quamnam rei divisæ partem quis habere debeat. Additur hisce *sors divinatoria*, qua quis, quid futurum sit, determinare vult. *Divinatio* enim est futurorum prædictio. Cum eventus rerum in hoc universo per causarum seriem determinatos esse constet, consequenter etiam sors, quomodo cadere debeat, per eandem determinata sit; *præscientia eventus futuri sorti committi nequit*, consequenter *sors divinatoria superstitioni debetur*, ac ideo *legi naturæ repugnat* (§. 182.).

§. 670.

De contractu sortis electricis.

Contractus sortis electricis est, quo convenitur inter duos, vel plures, quamnam ex rebus pluribus quis habere debeat, vel utrum aliquid, an nihil habere debet. *Sors* igitur *personam eligentis repræsentat*, cumque ex contractu oriatur obligatio (§. 514.), *eadem standum*, consequenter *quod sors indicat, id statim acquiritur, si nihil indicat*, quoque *acquiritur*.

§. 671.

Contractus sortis divisoriæ est, quo facta rei communis divisione partium distributio sorti committitur, ut scilicet per eam determinetur, quamnam partem unusquisque habere debeat. *Sors* igitur *divisoria unicuique tribuit dominium in certa rei divisæ parte, & quamprimum sortis judicium manifestatur, dominium in ea, quam ostendit, parte singulari acquisitum.* Facile autem intelligitur, *si in rebus indivisis duo, vel plures habeant dominium pro parte inæquali, tot fieri debere partes æquales, quot unitates continet summa terminorum rationis, & unicuique per sortem assignandas esse tot partes, quot terminus rationis ipsum respiciens habet unitates*, veluti si termini rationis sint ut 2 ad 3, divisio fieri debet in partes quinque, & uni sorte attribuendæ partes duæ, alteri tres. **De contractu sortis divisoriæ.**

§. 672.

Contractus sortis attributricis est, quo ita convenitur, ut res aliqua, ad quam duo, vel plures æquale jus habent, sit ejus, quem sors ostenderit. Cum pacta sint servanda (§. 438.); *standum* **De contractu sortis attributricis.** L. 5. fam. erciscund.

dum in contractu sortis attributricis simpliciter intra terminos conventionis. Etenim contrahentes ut contractui cuicunque (§. 314.), ita etiam huic legem dare posse, quam voluerint, satis patet.

§. 673.

De lotaria. *Lotaria* est contractus, quo res certæ pecunia collatitia emuntur, vel etiam certa pecuniæ summa confertur ea lege, ut per sortem definiatur, utrum quis aliquid & quid habere, an vero symbolæ suæ dispendium facere debeat. Cum lotaria contractus aleæ sit; *licita est, in quantum contractus liciti, qui aleam continent.* Ast quia lex naturæ dat jus ad ea, sine quibus officio erga Deum, vel erga alios satisfacere non possumus (§. 46.); *lotaria in casu altero jure interno licita, si contrahitur eo fine, ut satisfaciamus officio cuidam erga Deum, vel erga alios*, quando scilicet pecunia collatitia lotaria instruitur, *tuncque pars lucri ~~debetur~~ finis consequendi causa impendenda, in quam consentiunt contrahentes*; quia mutuo consensu contractus perficiuntur (§. 668.). Enimvero *si lotaria contrahitur eo fine, ut*

ut res emta sorte uni attribuatur, non majus pro re pretium exigendum, quam quod ab aliis emtoribus dari solet, habita tamen ratione impensarum, si quæ eo fine fieri debent a venditore; quoniam nulla ratio est, cur majoris vendi debeat.

§. 674.

A lotaria parum differt *Olla fortunæ*, quando in urnam immittitur certus numerus schedularum partim inscriptarum, partim inanium, & pro certo pretio emitur jus schedulam unam extrahendi ea lege, ut, qui eam extrahit, accipiat rem, quam inscriptio indicat. Atque *hic contractus cum quolibet in singulari statim perfectus est, quamprimum pretium pro jure unam extrahendi fuerit solutum.* Et quoniam omnes schedularum emtores res omnes sorti expositas emunt; *omnium schedularum pretium determinandum est per pretium omnium rerum sorti expositarum, opportunitatem omnes simul vendendi, impensas in venditionem faciendas atque periculum, si pretiosissima primo loco una exeant, relictis schedulis plerisque inanibus, ut nemo amplius contrahere* *De olla fortunæ.*

 velit.

velit. Quoniam vero nemo locupletior fieri debet re aliena (§. 271.); *jure interno olla fortunæ & lotaria illicita est, quæ fit solo lucri faciendi animo.*

§. 675.

De præmio certantibus proposito.

Contractibus aleam continentibus affinis est is, quo præmium exponitur ea lege, ut certo quodam modo inter se certent de eodem aliqui, & id sit ejus, qui vicerit. *Qui præmium exponit, cum singulis contrahit sub hac conditione, si certamen iniverint & vicerint*, consequenter *qui præmium exponit, obligatur ad dandum præmium victori, qui autem cum eo contraxit, non obligatur ad certamen subeundum, sed jus idem subeundi consequitur* (§. 318.). Cumque duo victores unam repræsentent personam, quia *præmium* nonnisi semel promissum; idem *commune est, si simul vicerint.* Dicitur autem *vincere*, qui conditionem, sub qua præmium promissum, adimplet.

§. 676.

De sponsionibus.

Sponsio est contractus aleam continens, quo super eventu incerto, ita convenitur, ut ei, qui existentiam affirmat, ab altero, qui negat, certum quid

quid detur, vel etiam ut detur ei, penes quem erit veritas. Unde liquet, *sponsionem non valere, si alteruter certo scit, quid evenerit*; immo *nec scientiam suam dolose dissimulare, aut reticere licet* (§. 286.). Quoniam quilibet de suo statuere potest pro lubitu (§. 195.), & unicuique permittendus etiam est sui abusus, quam diu nil facit contra jus alterius (§. 202.); *jure externo sponsiones subsistunt*: quia tamen nemo locupletior fieri debet re alterius (§. 271.), cum sponsiones non fiant nisi lucri faciendi, consequenter re, vel pecunia alterius se locupletandi animo; *jure interno illicitæ sunt*.

§. 677.

Serium dicitur id, ad quod dicendum, vel faciendum ratio, quædam nos urget. Verba non seria & facta iis æquipollentia, quibus nimirum idem, quod verbis significatur, *Joci*; facta vero cetera non seria, *Ludi* dicuntur. *Joci igitur & ludi animi tantummodo, aut temporis fallendi gratia fiunt.* Cum nihil temere sit loquendum & faciendum (§. 360.); *joci & ludi temerarii illiciti sunt, ad erudiendum vero vel emen-*

De jocis & ludis.

dandum alios compositi liciti (§. 134.). Et quia neminem offendere debemus (§. 154.); *joci* quoque, *quibus offenduntur alii, illiciti.* Quoniam voluptas transitoria, si innocua, licita est (§. 120.); *si jocis nihil insit, quod officio cuidam repugnet, solius voluptatis percipiendæ gratia jocari licet, immo etiam solius voluptatis percipiendæ causa ludere licet.* Denique cum lex naturæ nos etiam obliget ad actiones indecoras omittendas (§. 55.); *a jocis* quoque *& ludis indecoris abstinendum.*

§. 678.

De contractu lusorio. *Contractus lusorius* vocatur, quo inter collusores ita convenitur, ut certum quoddam lucrum, communi consensu determinatum, sit ejus, ex cujus parte extiterit certa quædam conditio, vel etiam damnum quoddam, in lucrum imputandum, sit ejus, ex cujus parte alia quædam conditio existit. *Lucrum primarium* dicitur, quod ejus est, penes quem finito lusu certa quædam conditio existit; *secundarium* vero quod ei cedit, ex cujus parte conditio quædam durante lusu existit. *Damnum* vero *ordinarium* est, quod patitur is, qui

qui perdit, quod ad lucrum primarium contulit; aſt *extraordinarium*, quod inter ludendum incurrit luſor, certa quadam conditione exiſtente. Patet facile, *de contractu luſorio eadem valere, quæ de ſponſione demonſtrata ſunt.* Ceterum *ſi in contractu luſorio æqualitas obſervanda, periculum amittendi & ſpes lucrandi ex utraque parte contrahentium eadem eſſe debet* (§. 668.). Et *quando ludi illiciti ſunt, contractus* quoque *luſorii illiciti ſunt*: quamvis ſupponatur nihil vitii hærere in lucro, aut, ſi mavis, in præmio, de quo certatur.

§. 679.

Aſſecuratio, ſeu *contractus avertendi periculi* dicitur, quo quis periculum mercium per mare transvehendarum, aut in genere indemnitatis circa caſus fortuitos præſtationem pro certa mercede, ſeu lucro in ſe recepit. Qui periculum in contractu aſſecurationis in ſe ſuſcipit, *Aſſecurator* dicitur. *Aſſecurator* itaque *ſe obligat ad præſtandam indemnitatem, ſi caſus contingat; dominus vero pure ad certum quid dandum pro periculo in ſe ſuſcepto*: ſeu, quod perinde eſt, *aſſecurator promittit periculi averſio-* *De aſſecuratione.*

ſio-

sionem, dominus pro periculi aversione mercedem. Unde sequitur, *ut assecurator dominum indemnem præstare teneatur*; *dominus* vero *ipsi solvere mercedem, sive casus contingat, sive non.* Cum merces detur pro aversione periculi; *contractus nullus est, si assecurator noverit, rem jam extra omnem periculi aleam esse constitutam*; *aut dominus noverit, damnum in re assecuranda jam contigisse.* In utroque casu committitur fraus non toleranda (§. 286.). Et quoniam æqualitas observanda inter aversionem periculi & mercedem, quæ pro ea datur (§. 580.); *merces determinanda est ex magnitudine damni*, *quod datur*, *& ex probabilitate existentiæ ipsius casus*, consequenter *res taxanda, antequam assecuretur.* Quoniam res omnes assecurari possunt, quæ casu quodam fortuito interire, aut deteriorari possunt, vel quarum jacturam dominus casu quodam facere potest; contractus aversionis periculi, etsi inter mercatores in mercibus per mare transvehendis receptus sit, multo tamen latius patet, & ad alios quoque contractus, veluti ad depositum accedere potest. *Quodsi* ita *conveniatur, ut asse-*

assecurator lucrum capiat, si res salva pervenerit in locum destinatum, seu casu non existente, si vero perierit, mercium assecuratarum æstimatio præstetur, ne melior sit conditio assecurati casu existente, quam non existente; *merces in æstimatione rerum assecurandarum a vero earum pretio detrahenda.*

§. 680.

De contractibus trajectitiis.

Pecunia nautica, vel *trajectitia* dicitur, quæ per mare transvehenda periculo creditoris; *quasi nautica*, vel *quasi trajectitia* vero, quæ per alia loca periculosa periculo creditoris transferenda. Usuræ, quæ pro pecunia trajectitia solvuntur, *fœnus nauticum*; quæ vero pro quasi trajectitia solvuntur, *quasi nauticum* appellantur. Hinc *contractus fœnebris nauticus* est, quo de fœnore nautico; *quasi nauticus*, quo de quasi nautico convenitur. Communi nomine *contractus trajectitii* appellantur. *Fœnus itaque nauticum & quasi nauticum excedere debet usuras, quæ dantur pro solo usu pecuniæ, quantum valet periculum in pecunia transferenda subeundum*, consequenter *pro magnitudine periculi augetur & minuitur fœnus nauticum & quasi*

quasi nauticum, in infinitum. Cum pecunia debitori non ante data intelligatur, quam si salva in locum destinatum pervenerit; *si casus in pecunia contingat, nihil debetur* (§. 243.); *si vero salva fuerit, sors debetur cum fœnore* (§. 438.). Ast quia periculum cessat, *quando pecunia trajectitia salva pervenerit in locum datum*; *fœnus* quoque *nauticum*, quod pro periculo datur, *cessat, & usuræ ordinariæ ab eo tempore succedunt.* Cum vero perinde sit, sive pecunia ipsa per loca periculosa transvehatur, sive pecunia in merces impendatur & eædem per loca periculosa transvehantur; *si pecunia credita in merces comparandas impenditur, quæ periculo creditoris per mare, vel alia loca periculosa transvehendæ, fœnus nauticum, vel quasi nauticum debetur.*

fin. C. de naut. foenore.

§. 681.

De bodemeria.

Bodemeria dicitur contractus, quo pecunia numerata creditur in ipsam navim ea lege, ut sors pereat creditori, si navis interierit, vel in locum destinatum non venerit, creditor autem lucrum conventum capiat, si salva in portum venerit. Patet autem, *nautam,* cum

cum ad navem ducendam obligatus sit, *si in itinere pecunia indigeat, ut sine ea navem ducere non possit, bodemeriam contrahere posse.* Cum vero contractus hic non permittatur nautæ nisi in extrema necessitate; *si proprias habet merces, quas vendere potest, in navi, bodemeriam contrahere non licet.* Sane *si nemo sit, qui bodemeriam contrahere velit, nec nauta proprias habeat merces quas vendere possit, merces alias*, urgente quippe necessitate, *vendere potest.*

§. 682.

Reditus annui dicuntur jus ab altero annuatim exigendi certam pensionem, constitutum vel super re alterius, vel super obligatione personali. Reditus annui determinati ad vitam emtoris, vel venditoris, vel tertii cujusdam, vocantur *Reditus vitalitii.* Cum etiam res incorporales emi possint (§. 588.); *reditus* quoque *annui & vitalitii emi ac vendi possunt*, consequenter *si reditus vitalitii emuntur, mortua persona, ad cujus vitam determinantur, sors venditori data repeti nequit*; sicuti *nec venditori quicquam restituitur, si pensio ad finem usque vitæ percepta superet* *De reditibus annuis & vitalitiis.*

sortem

ſortem pro reditibus vitalitiis datam. Dicitur autem *contractibus vitalitiis*, quo pro ſorte alteri data reditus vitalitios ſtipulamur; ſeu quo reditus vitalitii emuntur ac venduntur. *Reditus* autem *vitalitii determinandi ſunt ex eo, quantum valet uſus pecuniæ, quo carere debes, & ex probabilitate termini vitæ, quem attinges.* Cumque perinde ſit, ſive pecunia detur, ſive res, quæ pecunia æſtimantur; *reditus vitalitii etiam in fructibus & rebus aliis conſiſtere poſſunt; in caſu fructuum determinandi vel ad menſuram, vel ad ratam fructuum ſingulis annis percipiendorum;* cum, quod ſolvendum, certum eſſe debeat. Hinc *Reditus vitalitius* dividitur in *fructuarium* & *pecuniarium.*

§. 683.

De contractu metallico. Si in metallifodina, tanquam toto pluribus communi, concipiantur partes æquales quotcunque, quælibet iſtiusmodi pars indiviſa dicitur *Pars metallica*, vel etiam, a voce Germanica Kux, *Kuckus.* Quamobrem *qui kuckum habet, pro ea parte dominium habet in fodina*, conſequenter *in metallis in ea contentis, ſed*

com-

communi sumtu eruendis ac præparandis. Quamobrem cum pecunia a kuckuum dominis in metalla eruenda & præparanda impendenda, *Symbola metallica*; excessus vero pretii metallorum super impensas, *Reditus kuckuum* dicantur; *quamdiu pretium metallorum ab impensis deficit, aut nihil metalli eruitur, symbolæ conferendæ; si vero illud has excedit, reditus distribuendi in ratione kuckuum,* consequenter *symbolæ conferuntur spe redituum.* Cum *kuckus* sint partes fodinæ, rei immobilis; ipsi quoque *rebus immobilibus accensendi*: ast quia metalla ad substantiam metallifodinæ pertinent; *reditus kuckuum fructus non sunt* (§. 198.). *Contractus metallicus* est, quo ita convenitur, ut dominium pro parte in metallifodina in nos transferatur & nos vicissim obligati simus ad metalla, quæ in fodinis latent, aut latere putantur, nostro sumtu eruenda ac præparanda. Quamobrem *kuckum suum pro arbitrio suo alienare potest dominus* (§. 257.), cum vero nemo aliter rem in alium transferre queat, quam quomodo eandem ipse habet; *qui eum emit, seu alio quocunque titulo accipit, tacite in-*

contractum metallicum conſentit. Et quoniam dominus rem ſuam derelinquere poteſt (§. 203.); *dominus kuckum infœcundum derelinquere poteſt, ſymbolæ conferendæ pertæſus.* Si ſocietatem metallicam contraxerit, aliunde venit, quod derelinquere nequeat, niſi vel ſociorum conſenſu, vel alio in locum ſuum ſubſtituto, qui ſymbolam confert.

§. 684.

De emtione ſpei.

Emtio ſpei dicitur contractus, quo ita convenitur, ut, quod certo actu, in quo eventus dubius eſt, fuerit acquiſitum, tuum ſit, & tu pro eo, quod incertum eſt, pretium certum ſolvas; vel brevius: eſt emtio rei acquirendæ incertæ. *Quodſi* ergo *eo actu, ſuper quo contractum, nihil acquiratur, emtor nihil accipit, pretium tamen ſolvere tenetur: nec* ex adverſo *ultra pretium conventum quid ſolvere obligatur, etiamſi, quod acquiritur, idem plurimum excedat.* Patet autem, cum ſpes ematur, *pretium determinandum eſſe ex probabilitate ſpei, acquiſitum iri.* Enimvero quia non emitur niſi ſpes iſtiusmodi quid acquirendi, quod actu, ſuper quo conventum,

tum, acquiri ſolet; *ſi caſu extraordinario eo actu, ſuper quo contractum, acquiritur aliquid, quod iſtiusmodi actu alias acquiri non ſolet, emtio ſpei non valet*, conſequenter *nec pretium conventum pro eo ſolvitur.*

§. 685.

Miſſilia dicuntur res, quæ jactantur in vulgus eo animo, ut fiant occupantis. *Jactu* igitur *miſſilium dominium transfertur in perſonam incertam, eam nimirum, quæ occupaverit.* Facile patet *ſi quis miſſilia emit, quæ aliquis occupaturus eſt, antequam jactentur, contractum eſſe emtionem ſpei* (§. 684.). *De miſſilibus.* L. 9. §. 7. de adq. rer. dom. L. 8. §. de contr. emt. v.

CAPUT XIV.
DE
QUASI CONTRACTIBUS.

§. 686.

Q*uaſi contractus* dicitur conventio ficta, in qua conſenſus unius expreſſus eſt, conſenſus autem alterius tantummodo præſumitur. Quoniam vero contractus celebrantur utilitatis cauſa; *conſenſus in contrahendo præſumi nequit, niſi manifeſta appareat ejus, cujus conſenſus præſumitur, utilitas.* *Quid ſit quaſi contractus.*

§. 687.

De obligatione ex quasi contractu veniente.

Quoniam in quasi contractu utraque pars consensisse supponitur in id, quod pars altera in alterius utilitatem facit (§.686.); *ex quasi contractu alter nobis obligatur ad id, ad quod obligatus fuisset, si revera contraxisset, & nos eidem vicissim obligamur, tanquam ex contractu vero.*

§. 688.

Quando quasi contrahi licitum.

Quia præsumtioni locus non est, ubi de veritate constare potest, quod ultro admittendum; *si consensus alterius expressus haberi potest, quasi contractus non valet, consequenter quasi contractus tantummodo valet, si quod faciendum est alterius nomine non fert moram, ut consensus ejus expressus requiri possit, vel si alter, cujus utilitatis causa faciendum, propter ætatem, vel inopiam mentis consentire nequit.*

§. 689.

An quasi contractus sint juris naturalis.

Quoniam naturaliter obligamur utilitatis alterius gratia facere, quod in potestate nostra est (§. 133. 134.), & ad idem alteri nos perfecte obligare possumus contrahendo (§. 667.), alte-

alterius autem consensus, qui ad perficiendum contractum requiritur (§. 438.), præsumi potest (§. 686.); *quasi contractus* utique *juris etiam naturalis est, ac ideo quoque naturaliter consensus præsumtus tunc idem operatur, quod expressus.*

§. 690.

Negotiorum gestio est quasi contractus, quo negotium alienum sine mandato domini gerendum sua sponte suscipitur, animo eum sibi obligandi. *Negotiorum* itaque *gestio est quasi mandatum, negotiorum gestor quasi mandatarius, & dominus negotii quasi mandans* (§. 552.); ac ideo *in mandatum abit, si dominus gestionem ratihabet sive expresse, sive tacite,* consequenter *negotiorum gestor domino ad id obligatur, ad quod mandatarius mandanti, & dominus vicissim eidem ad id, ad quod mandans mandatario* (§. 687.). Ast quoniam quasi contractus validitas tota pendet a manifesta domini utilitate (§. 686.); *negotiorum gestor negotium omni diligentia, quæ adhiberi potest, gerere debet* (§. 21.), consequenter *domino tenetur ob ea, quæ gerere debuit, non autem quæ gessit*; neque

De negotiorum gestione.

l. 60. de R. J.

l. 6. §. 12. de negot. gestis.

que enim facere debet, nisi quod dominum ob manifestam utilitatem facturum præsumit (§. 686.). Unde sequitur, *ut non debeat facere impensas utiles, quas domino fore onerosas præsumere poterat; in casu* autem *dubio ab iis prorsus, a voluptuariis semper abstinere* (§. 279. 280.). Cum negotiorum gestio supponat consensum præsumtum; *si quis contra prohibitionem domini negotium ejus quamvis utiliter gessit, dominus perfecte ipsi ad nihil obligatur*, consequenter *si is prohibet, ne quis gestionem continuet, ab ea statim abstinendum.* Et quoniam in alieno negotio gerendo respicienda partim necessitas, partim utilitas domini, dominum autem repræsentat negotii gestor; *necessitas negotii alieni gerendi adesse intelligitur, si eo non gesto damnum inevitabile emergat*, quod ab alio avertendum naturaliter obligamur (§. 269.): *utilitas vero domini non ex opinione gerentis, sed ex rei, temporis ac personæ domini qualitate æstimanda.*

§. 691.

De quasi emtione, quasi Dantur etiam *Quasi emtio*, quando scilicet quis ex consensu domini præsumto

sumto rem sibi vult esse emtam, veluti si quis rem fungibilem apud te deposuit, quæ, cum propter absentiam deponentis restitui non possit, diutius servando peritura, tu eam animo solvendi pretium consumis: *Quasi mutuum* quando nimirum quis ex consensu præsumto domini rem fungibilem consumit, animo eam in genere restituendi, veluti in casu præcedenti rem fungibilem depositam: *Quasi locatio conductio*, quando scilicet ex consensu domini præsumto uteris re ejusdem, animo solvendi mercedem, quam conductor alius præstiturus erat, aut eidem operas præstas pro eadem mercede, quam pro iis alii locatori præstare debebat quasi conductor, veluti si domum domini locare alicui teneris, ipse animo solvendi pensionem, quam daret conductor alius, domum inhabites.

mutuo & quasi locatione conductione.

§. 692.

Communio incidens dicitur, in quam quidam casu incidunt, hoc est, sine ulla prævia conventione, quod eadem communis esse debeat, veluti si domus, vel prædium mihi ac tibi donetur. *Qui in communionem incidunt*, cum

De communione incidente.

L. 31. pro socio.

dominium pro parte in re indivisa acquirant (§. 196.), ac ideo in id consentire præsumantur, ut lucrum & damnum commune sit, antequam vel in rei divisionem, vel communem administrationem expresse consentiant, *quasi societatem contrahunt* (§. 639.). Unde obligationes personales, quæ ex contractu societatis oriuntur, etiam in casu communionis incidentis non spectantur tanquam æquitati consentaneæ, sed tanquam perfectæ.

§. 693.

De solutione indebiti.

L. 26. §. 3. De cond. indebit.

Indebitum dicitur id, ad quod præstandum alteri non sumus obligati. Ac propterea *Indebiti solutio* est præstatio indebiti, tanquam debiti; & *Acceptio indebiti* est acceptio ejus, quod nobis non debetur, tanquam debiti. Cum nemo locupletari debeat re aliena (§. 271.); *si quis per errorem alteri indebitum solvit, hic idem ipsi restituere, aut, si restitui non possit, æstimationem præstare tenetur*, cumque nemo animum alterum defraudandi habere debeat (§. 286.); *indebitum accipiens in id consentire præsumitur.* Unde sequitur, ut *Indebiti solutio* sit

ſit quaſi contractus, quo accipiens obligatur ad indebite acceptum reſtituendum, aut, ſi id reſtitui non poſſit, ad præſtandam æſtimationem (§. 686.). Cum *indebite ſolvens* indebitum det tanquam debitum; *dominium rei in alterum transfert* (§. 258.), conſequenter *qui eam accepit*, *alienare* (§. 257.), ac ideo *qui dedit*, *eam vindicare nequit* (§. 262.). *Qui novit alterum ſibi ſolvere indebitum*, cum re aliena locupletari non debeat (§. 271.); *id accipere non debet*, *ne ſine animo defraudandi accipere poteſt* (§. 286.), *& ſi ſciens indebitum accipit*, *æquiparatur poſſeſſori malæ fidei* (§. 201.). l. 18. de condict. furtiva

§. 694.

De datione ob cauſam.

Ob cauſam dari dicitur, quod datur eum in finem, ut aliquid detur, vel fiat ab accipiente; conſequenter *accipiens*, *quod ob cauſam datur*, *ſe dare ac facere id*, *propter quod datur*, *obligat* (§. 317.). Dicitur autem *cauſa non ſequi*, quando ab altero non præſtatur, quod ab ipſo præſtandum erat, ſeu ad quod præſtandum ſe obligaverat vel expreſſe, vel tacite (§. 27.). Quoniam ob cauſam dans gratis dare non vult, nec l. 9. de condict. causa data.

qui accipit, tanquam gratis accipit; *ob causam datum causa non secuta restituendum, & si causa non sequitur, sequi tamen adhuc potest, dans accipientem adigere potest vel ad implendum promissum, vel ad restituendum, quod accepit.* Quoniam obligatio nascitur vel ex consensu expresso, vel tacito; *datio ob causam non est quasi contractus* (§. 686.). Ast *prænumeratio mercedis locatori facta, vel* in genere *prænumeratio pecuniæ pro eo, quod dabitur, vel faciendum in posterum, dandæ, datio ob causam est.*

§. 695.

De eo, quod sine causa, vel quasi acceptum.

Sine causa acceptum dicitur, quod jure accipi non poterat, veluti si quid indebite per errorem solvitur: ast *quasi sine causa acceptum*, quod jure quidem accipi, sed non retineri poterat, veluti si chirographum datur spe numerandæ pecuniæ, sed quæ postea non numeratur. Facile patet, *sine causa, vel quasi sine causa acceptum esse restituendum* (§. 271.), cumque ideo, *si quis inscius quid sine causa accipit*, in hoc consentire præsumitur, ut sine causa acceptum sit restituendum; is *ex quasi contractu*

jure

jure quoque *externo obligatur ad restituendum:* ast quoniam quasi sine causa accipiens id jure accipere, sed non retinere poterat; *obligatio restituendi jure externo nascitur ex eo, quod tacite actui alii inest.*

§. 696.

Cum contractus compositi, sive mixti ex definitionibus simplicium, qui in iisdem concurrunt, facile dignoscantur; non opus esse videtur, ut de iis multa in specie dicantur. Id saltem notamus, *contractum, quem colonus partiarius cum domino init, mixtum esse ex locatione conductione & societate* (§. 620. 639.). Quoniam enim *Colonus partiarius* dicitur, qui agrum conducit pro rata fructuum perceptorum; *coloni partiarii ac domini damnum & lucrum commune est.* *De contractibus compositis & colono partiario.*

CAPUT XV.

DE JURE IN RE ALIENA CONSTITUTO, SEU PIGNORE ET SERVITUTIBUS.

§. 697.

J*us pignoris* est jus creditori in re sua constitutum, ut, nisi debito tempore *De pignore & hypotheca.*

re

re ſolvatur debitum, ex eadem ipſi ſatisfiat. Res dicitur *oppignorari*, in qua iſtiusmodi jus conſtituitur; ipſa vero res oppignorata *Pignus* vocatur. Atque ideo patet, *jus pignoris conſtitui in ſecuritatem crediti*, conſequenter *ſi res oppignorata fuerit mobilis, eam eſſe tradendam.* Quodſi pignus fuerit res immobilis, *Hypotheca* ſpeciali nomine appellatur. Ex ipſa autem definitione ſequitur, *ut creditor rem oppignoratam vendere poſſit, niſi debito tempore ſolvatur, & de pretio tantundem retinere, quantum ad hoc ſufficit, ut ipſi ſatisfiat, reſiduum autem debitori reſtituendum* (§. 271.). Et quoniam nemo defraudandus (§. 286.); *in diſtractione pignoris fraus omnis vitanda*, conſequenter *a peritis & impartialibus taxanda res oppignorata, antequam vendatur, & res plus licitanti danda.* Pars autem pretii pignoris, quæ id, quod creditori debetur, excedit, *Hyperocha* appellatur; quæ itaque *debitoris eſt.* Ex adverſo autem, cum debitor debitum integrum ſolvere teneatur; *ſi pignoris diſtracti pretium non adæquet debitum, defectum implere tenetur.*

§. 698.

§. 698.

Quoniam jus pignoris, vel hypothecæ constituens in re sua in creditorem tantummodo transfert jus conditionatum vendendi (§. 697.); *dominium in re oppignorata retinet*, consequenter *eam alienare potest* (§. 257.), sed cum jus creditori, quod in ea habet, invito adimi nequeat (§. 100.); *alienatione non extinguitur jus pignoris, vel hypothecæ.* Et ex eo, quod dominium in re oppignorata retinet debitor, porro sequitur, *ut a creditore alienatio fiat non proprio, sed debitoris nomine*, etsi ipso invito fiat. *De dominio rei oppignoratæ.* Nov. 112. cap. 1. l. 11. §. 16. de act. empti venditi

§. 699.

Pignus, vel *hypotheca lui* dicitur, si debitum solvitur, in cujus securitatem jus pignoris, vel hypothecæ constitutum. Quamobrem cum *luitione facta pignus* sine causa sit penes creditorem; *restituendum*, cumque jus hypothecæ cesset, *debitore* solvente; eodem *solvente hypotheca libera efficitur.* Cum pignus luere debeat debitor (§. 697.); *creditor rem oppignoratam vendere nequit, antequam id denunciaverit debitori*, consequenter *quamdiu non denunciat, jus luendi semper salvum manet.* *De luitione pignoris.* l. 7. §. 12 comun. dividundo. l. 4. C. si vendito pignore agatur.

§. 700.

§. 700.

De oppignoratione rei alienæ.

Cum rem oppignorans in creditorem transferat jus alienandi conditionatum (§. 697.), jus autem alienandi nemini nisi domino competat (§. 257.); *nemo quoque oppignorare potest, nisi rem suam: dominus tamen rem suam oppignorare potest pro debito alieno* (§. 195.). Ast cum jus suum *quilibet* in alium transferre possit (§. *cit.*); *rem sibi oppignoratam alteri oppignorare potest creditor, inscio eo, qui eam ipsi oppignoraverat, non tamen pro debito majore, quam pro quo ipsi erat obligata.* Quodsi tamen *aliter conveniatur, inscio te oppignorari res tua alii nequit* (§. 438.).

L. 2. C. si aliena res pignori

L. 1. C. si pignus pignori dat. Suboppignoratio.

§. 701.

De eadem re bis oppignorata.

Quoniam jus, quod in re oppignorata habes, tibi a debitore auferri nequit (§. 100.); *res tibi oppignorata alii denuo oppignorari nequit, nisi salvo jure tuo*, consequenter *si utrique creditori inde satisfieri nequit, præfertur primus secundo.*

L. 11. qui potiores in pign.

§. 702.

De usu pignoris & damno in eo dato.

Quia pignus tantummodo constituitur in securitatem debiti (§. 697.); *creditori pignore uti non licet* (§. 317.), *nisi*

§. 6. J. de Obligat. quae ex delicto.

nisi ejus usus a constituente ipsi conceda-tur, pacto scilicet adjecto (§. 105.). *Quodsi dolo, vel culpa creditoris pignus interiit, vel deterioratur; damnum constituendi resarciendum* (§. 270.): quoniam tamen constituentis causa penes creditorem est; *si casus in eo contingit, de eo non tenetur creditor.* Ast cum ratio cesset, *si creditor fuerit in mora restituendi; casum, qui in eo non contigisset, si restitutum fuisset, præstare tenetur* (§. 419.). Quoniam vero pignus constituitur in securitatem debiti, non datur vero res oppignorata pro debito (§. 697.); *si pignus casu perit, aut ita deterioratur, ut inde satisfieri non possit creditori, hic nihilominus debitorem sibi obligatum habet.*

L. 17. C. de usuris.
L. 13. §. 1. de pignoratit. actione.
L. 8 et 9. C. de pignor. actione.
L. 82. §. 1. de V. O.
L. 9. C. de pignoratit. actione.

§. 703.

De impensis in pignus factis.

Cum culpa creditoris pignus perire, aut deteriorari minime debeat (§. 702.); *impensas necessarias* in id *facere tenetur creditor* (§. 279.), *a constituente restituendas* (§. 271.). L. 8. de pignorat. actione.

§. 704.

De contractu pignoris & hypothecæ.

Contractus pignoris dicitur, quo debitor pignus, vel hypothecam constituit in re sua, vel alius loco ipsius. At que

que tum *pignus* dicitur *conventionale*, item *hypotheca conventionalis*. Est autem *Hypotheca* vel *specialis*, quæ constituitur in re certa in specie, veluti in domo, prædio, aut bibliotheca sua, vel certa rerum universitate; vel *generalis*, quæ constituitur in omnibus bonis tam præsentibus, quam futuris; consequenter *generalis etiam jura & nomina comprehendit* (§. 207.).

§. 705.

De oppignoratione naturali.

Quoniam debitor ad præstandum id, quod debet, obligatur (§. 336.), consequenter si ei, cui obligatus est, satisfacere nequit, nisi quædam ex bonis suis vendat, ideo ea vendere obligatur, creditori autem competit jus exigendi debitum (§. *cit.*), ac propterea quoque jus eum compellendi ad res quasdam, vel, si necesse sit, omnia bona sua vendendum, ut sibi satisfiat; *naturaliter cuilibet constitutum est jus in bonis debitoris, ut, nisi debito tempore solvatur debitum, ex iisdem ipsi satisfiat*, consequenter *naturaliter bona debitoris obligata pro quolibet debito*. Ad hanc obligationem naturalem cum accedit contra-

cta

cta ex contractu pignoris, quo res quædam in specie, vel omnia quoque bona oppignorantur (§. 514.), fortior autem obligatio vincat debiliorem; *oppignoratio conventionalis in casu collisionis vincit naturalem.*

§. 706.

Cum bona debitoris jam naturaliter obligata sint pro ipsius debitis (§. 705.); *si debitor pignus luit, pro alio debito retineri potest.* Et quoniam pignus constituitur in securitatem debiti (§. 697.), & per consequens pretium rei oppignoratæ debitum in infinitum excedere potest; *si pars debiti quocunque modo tollitur, pro reliqua pignus, quantumcunque fuerit, retineri potest, nec aliud minoris pretii accipere tenetur creditor.* *De retentione pignoris in aliud debitum.*

§. 707.

Pignus, vel *hypotheca solvi* dicitur, quando res oppignorata liberatur ab obligatione sua. *Pignore igitur soluto, creditori nullum amplius jus in eodem est.* Cum a voluntate creditoris dependeat, num debitori absque pignore, *De pignoris & hypothecæ solutione.*

vel hypotheca credere velit; *si jus pignoris, vel hypothecæ remittit, pignus, vel hypotheca solvitur: non tamen ideo debitum remittere intelligitur creditor.* Per se autem patet, *pignus, vel hypothecam solvi, si res oppignorata*, cui quippe inhæret jus creditori in ea constitutum (§. 697.), *interit.*

L. 3. De pactis

§. 708.

Servitus quid & quotuplex.

Si jus in re aliena constituitur, quo ejus dominus ad alterius utilitatem aliquid pati, vel non facere tenetur, id *Servitus* vocatur; tumque *res*, in qua jus istud constitutum, *servire* dicitur alteri, cujus est utilitas. Quodsi res serviat certæ cuidam personæ, *Servitus personalis*; si vero rei alterius, seu possessori ejusdem cuicunque, *realis* appellatur. Estque vel *affirmativa*, qua dominus rei servientis pati tenetur, ut alter faciat; vel *negativa*, qua alter pati non tenetur, ut ipse quid faciat.

§. 709.

De prædiis & servitute prædiali.

Notandum vero *Prædium* dici rem immobilem quamcunque, quæ ob certum fructum, quem nobis præstat, aut usum pecuniæ æstimabilem, qui instar fru-

fructus eſt, poſſidetur. Cumque *uſus* alius ſit *ruſticus*, qui ad rem agrariam, ſeu ad œconomiam ruralem quocunque modo ſpectat; *urbanus* vero, qui ad habitationem, commercia, opificia pertinet; *prædium* quoque vel *ruſticum* eſt, quod uſum ruſticum habet; vel *urbanum*, quod uſum habet urbanum. Quamobrem cum prædia ruſtica & urbana ſaltem diſtinguantur uſu, quem habent, non vero loco, in quo ſita ſunt; *non minus prædia ruſtica in urbe, quam urbana rure dantur.* Hinc vero *Servitutes* reales etiam prædiales vocantur; & *ſervitus prædiorum urbanorum* dicitur, ſi uſus ab alieno prædio præſtatur in utilitatem prædii urbani; *ſervitus* autem *prædiorum ruſticorum* eſt, ſi idem præſtatur in utilitatem prædii ruſtici. Unde *eadem ſervitus & prædii urbani, & ruſtici eſſe poteſt*, prouti ſcilicet vel urbano, vel ruſtico debetur. In ſervitute prædiali *Prædium ſerviens* dicitur, quod ſervit alteri; *Prædium* vero *dominans* id, cui ſervit alterum. *Fundus*, qui ſervitutem debet, *ſervus*; qui ſervituti nulli obnoxius, *liber* vocatur; *optimus* autem

l. 198. de V. S.
§. 2. J. de ſervitut.
l. 2. de ſervitut. præd. ruſtic. coll. l. 2. de ſervit. præd. urb.
l. 48. de evict.

appellari solet, qui ab omni servitute & obligatione hypothecæ immunis est.

§. 710.

Quinam servitutem imponere & acquirere possint.

Cum servitus sit jus in re alteri constitutum (§. 708.); *nemo nisi dominus alteri in re sua servitutem constituere potest* (§. 260.), & *a voluntate constituentis unice pendet, num & qua lege eandem constituere velit* (§. 314.), consequenter *contra hanc legem nihil facere licet* (§. 438.). Et quoniam *qui dominium revocabile habet*, rem restituere tenetur, qualem accepit (§. 314.), consequenter liberam, si libera fuerit; is *prædio suo servitutem imponere nequit, nisi quæ dominio resoluto expirat.* Quia vero nemo sine acceptatione sua jus quoddam acquirere potest (§. 316.); *nemo* quoque *prædio alieno servitutem acquirere potest.* Denique quia quilibet jus suum remittere potest (§. 342.); *dominus* quoque *prædii dominantis servitutem remittere potest.* Prædia spectantur instar personarum, quarum una alteri ad quid obligatur, & domini prædiorum, qui nunc sunt, prædia repræsentant, a quibus obligationes & jura prædiis inhærentia in ipsos derivantur.

§. 711.

§. 711.

Quot sint servitutum species.

Quoniam servitus constituitur eo fine, ut is, cui constituitur, ex re aliena utilitatem quandam capiat (§. 708.); *tot sunt servitutum species, quod modis certa quædam persona, vel possessor alicujus prædii, ex re aliena, seu prædio alieno usum quendam habere, vel fructum percipere potest.*

§. 712.

De speciebus servitutum prædialium.

Servitutes prædiales usitatiores peculiare nomen in Jure civili adeptæ sunt. Ita *Servitus operis ferendi* vocatur, qua vicini paries, vel columna onus ædificii nostri sustinere tenetur; *quam* ideo, *qui servitutem debet, reficere tenetur.* Cum vero ad refectionem parietis, vel columnæ non pertineat fultura domus; *dominus prædii dominantis suo sumtu domum incumbentem fulcire tenetur.* Dicitur *Servitus tigni immittendi*, qua trabem, vel quid aliud, quod contignationi ædium inservit, in parietem vicinum immittere licet, ut in eo requiescat; unde *eadem, quæ ante, oritur obligatio domini prædii servientis.* Porro *Servitus projiciendi* dicitur, qua aliquod ædificatum alienæ areæ, aut eidem su-

perstructo imminet, in vicinis tamen ædibus nusquam requiescit. *Servitus altius non tollendi* est, qua dominus prædii dominantis prohibere potest, ne dominus servientis ædes suas altius tollat: ex adverso *Servitus altius tollendi* appellari potest, qua quis in gratiam vicini habere nequit ædes magis depressas, quam nunc habet. *Servitus luminum* vocatur, qua quis fenestras luciferas etiam in suo, aut communi pariete excipere cogitur; *Servitus* autem *prospiciendi*, seu *prospectus*, qua vicinus pati tenetur, ut fenestras prospectivas habeamus in ædibus nostris. Dicuntur *Fenestræ luciferæ*, per quas lumen immittitur in ædes nostras; *prospectivæ* autem, per quas prospectus datur in loca alia, veluti in ædes, vel hortum alterius. *Servitus, ne officiatur luminibus*, vocatur, qua quis in prædio suo facere non potest, quo ædium nostrarum quævis lumina obscurentur & imminuantur; *Servitus* autem, *ne prospectui officiatur*, qua quis in prædio suo nil facere potest, quo liber prospectus in loca quævis vicino grata atque amœna ullo modo impeditur. *Servitus stillicidii avertendi*, vel *recipiendi*

est,

eſt, qua quis pati cogitur, ut vicinus aquam ex tecto ſuo deſtillantem, vel per canales defluentem in tectum, aream, vel cloacam ſuam derivet; *Servitus* autem *ſtillicidii non avertendi*, qua quis ſtillicidium ſuum alio, quam in ædes, vel hortum tuum dirigere nequit. *Servitus cloacæ immittendæ* eſt, qua quis pati cogitur, ut colluviem ſordidam in ſua area collectam vicinus in ipſius aream committat; aſt *Servitus cloacæ habendæ*, qua vicinus pati cogitur, ut juxta parietem ipſius cloacam habeamus. Unde ſimul intelligitur, quid ſit *Servitus ſterquilinii habendi*. *Iter* eſt ſervitus, qua pati cogimur, ut homo per prædium noſtrum eat ad ſuum, ipſius prædii cauſa: *ire* autem in Jure dicitur etiam, qui alienis pedibus incedit, veluti ſi eques eat, aut lectica portatur. *Actus* eſt ſervitus, qua quis pati cogitur, ut alterius prædii dominus jumentum, vel vehiculum agat per prædium ipſius ad ſuum; isque vel *plenus*, ſi etiam jumenta vehiculo juncta agere licet; *minus plenus*, ſi ſaltem pecora & armenta, non vero jumenta vehiculo juncta. *Via* ſervitus eſt, qua quis pati debet, ut per præ-

dium ipsius non modo eas & agas, verum etiam ad prædium tuum vehas, ducas, feras atque trahas, quæcunque ad prædii tui utilitatem faciunt. *Aquæ haustus* est servitus, qua quis pati cogitur, ut alius ex puteo suo, aliove loco ipsius ad fundi sui necessitatem hauriat aquam; *Aquæ ductus* autem, qua pati cogitur, ut quis per fundum suum ducat aquam ad utilitatem fundi ipsius quocunque modo; & *Servitus aquæ educendæ*; qua pati cogimur, ut quis aquam superfluam, vel inutilem ex fundo suo educat per nostrum. *Pecoris ad aquam appulsus* est servitus, qua pati cogimur, ut pecora alieni prædii aquandi causa appellantur ad fontem, vel etiam aquam nostram; *Jus vero pascendi* servitus, qua pati cogimur, ut quis pecora prædii sui pascat in prædio nostro. *Jus calcis coquendæ* servitus est, qua pati cogimur, ut quis calcem coquat in fundo nostro, ad commoditatem prædii sui. Quid vero sit *Jus arenæ fodiendæ*, *lapides cædendi*, *colligendi ramos aridos*, *legendi glandes*, *venandi*, ex ipsius nominibus intelligitur. Ast *Jus pedamenta sumendi* servitus est, qua pa-

ti

ti cogimur, ut quis ex sylva nostra sumat adminicula arborum, vel vitium, ac perticas lupulum, vel fabas excipientes; *Jus* vero *lignandi* servitus, qua pati cogimur, ut ligna ad certum usum cædat in sylva nostra, ad utilitatem prædii sui. De his omnibus intelligitur, *ea concessa esse prædio dominanti, sine quibus jus suum exercere nequit*; cum alias servitus foret inutilis: *& jus prædii dominantis lege constitutioni adjecta omni possibili modo ampliari & restringi posse* (§. 710.).

§. 713.

Quæ de servitutibus realibus modo dicta sunt, valent etiam de personalibus. Eminet inter has *Ususfructus*, quæ est servitus personalis, qua dominus pati cogitur, ut alius re sua utatur fruatur, salva substantia. Qui usumfructum habet, *Usufructuarius*, subinde etiam *Fructuarius* dicitur. *Proprietas* itaque *manet apud dominum*, consequenter *quicquid vi proprietatis dominus facere potest, id usufructuario non licet*. Quamobrem *rem, quæ usumfructum debet, non alienare* (§. 257.), *non* *De usufructu.*

Dd 5 *im-*

immutare (§. 256.), *non oppignorare* (§. 700.), *neque eidem servitutem imponere potest* (§. 710.): *ast de usufructu*, cum sit jus ipsi proprium, *pro lubitu disponere licet* (§. 195. 206.). Patet etiam, quod *re aliter uti nequeas*, *quam sicuti est*; & non minus manifestum est, *usumfructum constitui posse in omnibus rebus*, *mobilibus ac immobilibus*, *etiam incorporalibus*, *quibus uti frui datur*, *ut ipsæ integræ supersint*, *eaque lege*, *quæ placuerit constituenti* (§. 314.).

§. 714.

De rebus dubiis, an sint in usufructu comprehensæ.

Quia *metalla & mineralia* non brevi quodam temporis spatio renascuntur; non tam fructus fundi censentur, quam ad substantiam potius ejus pertinent, ac ideo *ad usumfructum non pertinent* (§. 713.). *Idem intelligitur*, ob rationem eandem, *de arboribus annosis*, *quarum*, *si quos edunt*, *fructus in usufructu sunt* (§. *cit.*). Enimvero quia *sylva cædua*, quæ succisa ex stirpibus & radicibus brevi quodam annorum numero renascitur, & cujus usus in sola succisione consistit; eadem *in usufructu est*, *ad eum* scilicet *modum*, *quo fecerat usumfructum concedens*, *seu quem consuetudo* pro-

L. 19. §. 7. de usufr.

probat, ligna succidere potest usufructuarius. Quamobrem etiam, *si moris sit, ut in sylva non cædua stipites certo quotannis numero excidantur, eodem numero excidere potest*, consequenter *arbores vi ventorum dejectæ domini sunt, non usufructuarii, qui eas, si dominus velit, in compensationem cædendarum accipere tenetur*; cum dominus sic disponat de substantia sylvæ, ne scilicet deterioretur, salvo jure usufructuarii.

§. 715.

Quanam usufructu finito adhuc sint fructuarii.

Cum finito usufructu res, quæ in eodem fuit, restituenda sit a fructuario (§. 713.); *si ususfructus in grege constituitur, in locum pecudum demortuarum, vel alienatarum alia capita substituere debet fructuarius*. Cumque *finito usufructu* cesset jus percipiendi fructus fructuarii; *fructus tum pendentes domini, seu proprietarii sunt*. Ast quoniam *fructus industriales* non minus fructus industriæ sunt, quam fundi (§. 226.); *finito usufructu pro rata communes sunt, quantum scilicet valet usus fundi & cultura atque cura fructuarii*. Similiter quoniam *reditus propter usum, qui continuo percipitur, solvendi* tempori pro-

por-

portionales sunt; *usufructu ante terminum solutionis finito pro rata temporis inter proprietarium & usufructuarium dividendi.* Enimvero *reditus*, *qui praestantur ratione juris in re*, veluti decimae, cum assimilentur ante terminum solutionis fructibus pendentibus, *proprietarii sunt.*

§. 716.

Ad quemnam casus pertineat. Cum fructus usufructuarii sint, res vero, quae est in usufructu, proprietarii (§. 713.); *si damnum in fructibus contingit, ad usufructuarium pertinet, si in re, ad proprietarium.*

§. 717.

De oneribus & impensis. L. 13. §. 2. de usufructu. Ob eandem rationem *usufructuarius solvere tenetur omnia onera sive ordinaria, sive extraordinaria, ratione fructuum & redituum praestanda, & facere impensas, sine quibus esse & fructus percipi nequeunt: quodsi* vero *onera extraordinaria exsuperant fructus*, cum ratione rei imposita intelligantur, non solorum fructuum; *quod ultra eos impenditur, a proprietario praestandum.* Nimirum quod solus facere deberet proprietarius, si pleno jure esset dominus, id ab usufructuario & domino una faciendum.

§. 718.

§. 718.

Cum *ususfructus* jus personale sit (§. 713.); *morte usufructuarii extinguitur* (§. 400.). *Extinguitur* etiam, *si eum fructuarius remittat*; cumque rei non amplius existentis nullus sit usus atque fructus, *interitu* quoque *rei*, denique & *tempore præstituto elapso*, *si temporarius fuerit* (§. 317.). Hinc sequitur, *ut, si domo vetustate collapsa, vel incendio conflagrata, nova extruatur, fructuarius in ea usumfructum non habeat.*

Quando ususfructus finiatur.

§. 719.

Quasi usufructus dicitur servitus personalis, qua quis pati cogitur, ut alius re sua, quæ usu consumitur, utatur fruatur, ita ut finito quasi usufructu vel rem in genere, vel ejus æstimationem restituat. Quoniam dominium rei in quasi usufructuarium transferendum (§. 195. 198.); *si casus in re quasi fructuaria contingit, ad quasi fructuarium is pertinet.*

De quasi usufructu.

§. 720.

Cum in securitatem debiti fidejussio (§. 569.) & oppignoratio ad quemlibet actum obligatorium accedere possit (§. 697.);

De cautione præstanda.

l. 1. usufructuar. quemadm. cau. (§. 697.); *si metuendum sit, ne* non *quasi usufructu finito rem quasi usufructuariam restituere possit, vel ne* non *fructuarius ea præstare queat, ad quæ finito usufructu proprietario tenetur, uterque proprietario vel quasi per fidejussores, aut hypotheca cavere tenetur.* Enimvero *si cavere non possit*, quia neutri invito jus suum auferri potest (§. 100.); *res usufructuaria vel quasi pro certa pecunia fructuario vel quasi præstanda, vel proprietario, si ipse velit, vel tertio committi debet.*

§. 721.

De usu. §. 1. J. de usu & habitatione. *Usus* est servitus personalis, qua quis pati cogitur, ut alius re sua, sive ea fructifera fuerit, sive minus, utatur salva substantia. Dicitur nimirum *Re uti*, in significatu Juris Romani, qui ex ea percipit ea commoda & emolumenta, quibus ipse cum suis indiget ad vitæ necessitatem & commoditatem. Is, cui usus constituitur, *Usuarius* appellatur. Enimvero cum usus iste certus esse debeat, jus autem usuario competens æstimandum sit ex constituentis voluntate (§. 314.); *naturaliter constituens usum determinare debet, qualis esse debeat.*

beat. Dicitur autem *usus plenus*, quo ex re aliena capere licet, quicquid ad quotidianam vitæ necessitatem ac commoditatem requiritur; ast *minus plenus*, quo certa quædam pars emolumentorum ex re percipiendorum usuario conceditur ad sublevandam vitæ necessitatem; *usus* itaque *plenus æstimatur ex indigentia usuarii.* Quamobrem cum usus plenus per se indeterminatus sit, usus autem minus plenus determinatus; *minus plenus in alium transferri potest, sed non plenus.* Cumque usuario saltem competat jus sumendi ex fructibus, quantum indigentiæ suæ sufficit, dominus vero habeat jus fruendi; *usuarius agrum colere non tenetur, sed dominus.* Quodsi *tamen usus sine impensis obtineri nequit*, veluti si boum usus ad arandum concessus, cum talis concessus intelligatur, qualis esse potest; *impensæ ad usuarium pertinent*, veluti pabulum bobus præbendum. Ceterum ex definitionum collatione patet, *non repugnare*, *ut in una eademque re uni usus*, *alteri ususfructus constituatur.*

L. 12. §. 1. de usu et habitatione.

L. 14. §. fin. et L. 15 de usu et habitat.

§. 722.

§. 722.

De quasi usu.

Quasi usus dicitur, qui constituitur in re consumtibili, quæ cum in specie restitui non possit, finito quasi usu in genere restituenda, veluti si tibi usus pecuniæ concedatur, quam vel ipse in rem tuam vertere, vel sub usuris aliis credere potes.

§. 723.

De habitatione.

Denique *Habitatio* est servitus personalis, qua dominus pati cogitur, ut alius in ædibus suis sive integris, sive in aliqua earum parte habitet. Cui servitus hæc constituitur, *Habitator* dicitur. Cum habitatio distinguatur ab usufructu ædium; *habitator ædes, aut partem sibi concessam solus inhabitare debet, non vero hanc, vel illam partem alii pro certa pensione locare potest.* Et quonam jus habitandi proprietario ademtum & in habitatorem translatum; *si habitator ædibus integris uti non possit, non tamen dominus partibus vacuis ipse uti, aut frui potest.* Ceterum cum jus habitatoris metiendum sit ex voluntate constituentis (§. 314.); *naturaliter habitatio ita concedi potest, ut habitator jus suum alii pro certa pensione locare & hanc percipere possit.*

§. 5. F. de

CAPUT

CAPUT XVI.

DE DOMINIO UTILI, AC INPRIMIS FEUDO.

§. 724.

De dominio utili in genere.

D*ominium utile* dicitur, in quo jus utendi fruendi prorsus liberum, proprietas vero aliquo modo restricta est ad alium. Qui dominium utile habet, *Dominus utilis* appellatur. *Dominium* vero *directum* dicitur pars proprietatis, quæ per ejus restrictionem domino utili ademta ad alium pertinet. Et qui dominium directum habet, *Dominus directus* vocatur. Quoniam proprietas jus alienandi & fundum immutandi continet (§. 198. 256. 257.); *naturaliter proprietas restringi potest aut quoad jus alienandi, aut quoad jus rem immutandi, aut quoad utrumque*; consequenter *si jus alienandi restringitur, aut dominus utilis per se prorsus nequit, aut nonnisi certa lege rem alienare potest*. Per se autem patet, *dominum utilem solum omnem ex re capere utilitatem*. Ceterum quoniam dominium originarium plenum est (§. 195. 198.); *dominium*

utile, vel *directum originarie acquiri nequit nisi pactione ab eo, qui plenum habet* (§. 314. 438.), *& concedens legem adjicere potest, quam voluerit* (§. 314.). In concessione dominii utilis duo inprimis spectanda sunt, nimirum lex, seu conditio, sub qua id conceditur, & lex, sub qua proprietas restringitur.

§. 725.

Emphyteusis quid sit. *Emphyteusis* est dominium utile in re immobili sub conditione certæ pensionis annuæ in recognitionem dominii directi præstandæ concessum, cum proprietate certa lege restricta. *Res* in qua emphyteusis constituta, dicitur *emphyteutica*, vel *bonum emphyteuticarium*; qui emphyteusin in re habet, *Emphyteuta*; is vero, a quo emphyteusin habet, *Dominus emphyteuseos*. Pensio, quæ in recognitionem dominii directi solvitur, *Canon* appellatur, vel etiam *Canon emphyteuticus*; & *contractus emphyteuticus*, quo emphyteusis constituitur & acquiritur.

§. 726.

De canone emphyteutico. Quoniam canon datur in recognitionem dominii directi (§. 725.), consequenter ejus solutio tantummodo pro-

probare debet emphyteutam dominium directum in re emphyteutica agnoscere; *quantitas canonis utilitati ex re emphyteutica percipiendæ proportionanda non est*, consequenter deficiente ratione determinationis intrinseca, *mutuo consensu emphyteutæ ac domini in contractu emphyteutico determinandus*, quo cum sit standum (§. 438.); *ob meliorationem*, *seu redituum incrementum*, *aut ipsius exiguitatem augeri minime debet*, *idemque consistere potest tam in pecunia*, *quam rebus quibuscunque*, prouti scilicet conventum fuit. Cum emphyteusis contractu nitatur (§. 725.); *emphyteuta obligatur ad canonem quotannis solvendum* (§. 514.), & *domino competit jus eum exigendi* (§. 80); consequenter *ob solutionem neglectam*, *vel detrectatam emphyteusis non amittitur*, *nisi expresse ita fuerit conventum* (§. 667.). Similiter quia *canon* non datur pro utilitate, quæ ex re percipitur; *solvendus is est*, *etiamsi eo anno parum aut nihil ex re emphyteuticaria perceperit utilitatis*, *nisi de remittendo aut minuendo certo casu canone expresse fuerit conventum* (§. *cit.*). Quoniam jus exi-

L. 1. C. de iure emphyteutico.

gendi canonem domino competit vi dominii directi, cujus recognoscendi causa datur (§. 725.), consequenter jus in re est (§. 334.); *dominus emphyteyseos canonem ab emphyteuta non solutum a quocunque possessore exigere potest.*

§. 727.

De contractu emphyteutico. Cum a sola voluntate domini emphytheusin constituentis dependeat, qua lege dominium utile in eum transferre velit (§. 314.); *in contractu emphyteutico cum primo acquirente inito*, quo omnis emphyteusis nititur (§. 725.), *definiendum, quomodo proprietas restricta esse debeat, tum quoad alienationem, tum quoad immutationem rei emphyteuticariæ* (§. 256. 257.), *& singula, quæ per naturam emphyteuseos determinata non sunt*, adeoque non uno modo determinari possunt, *determinanda*. Unde consequitur, *ut jus omne tam domini, quam emphyteutæ metiendum sit ex contractu cum primo acquirente inito.* Quoniam re emphyteutica alienata novus emphyteuta dominum emphyteuseos pro domino recognoscere tenetur; *contractus emphyteuticus cum novo emphyteuta renovandus.* Etsi *idem valeat, si dominium*

L. 2. C. de iure emphiteus.

minium directum alienetur: quoniam tamen emphyteuta se expresse obligare potest, quod non modo dominum præsentem, verum etiam alium quemcunque successorem legitimum pro domino superiori recognoscere velit, *si adhoc se obligavit emphyteuta, ut quemlibet legitimum successorem domini præsentis pro domino superiori recognoscere velit, renovatione contractus opus non est.*

§. 728.

Laudemium est honorarium, quod pro renovatione contractus emphyteutici domino directo solvendum. *Consistit* igitur *in pecunia* (§. 525.); & *in contractu emphyteutico determinanda ejus quantitas & definiendum, utrum tantummodo solvendum sit emphyteuta mutato, an vero etiam mutato domino.* Patet autem, ut ante de canone (§. 726.), *jus exigendi laudemium esse jus in re*; utpote descendens ex dominio directo, jure utique in re (§. 334.), ne id sit prorsus inutile. De laudemio.

§. 729.

Quoniam jus emphyteuticum ex contractu emphyteutico definiendum (§. 727.); Quando emphyteusis finiatur.

(§. 727.); *si emphyteusis pro certis personis conceditur, his omnibus extinctis & ipsa extinguitur; si ad certum vero tempus concessa, tempore elapso, vel etiam si emphyteuta in gratiam domini, vel dominus in gratiam emphyteutæ remittit emphyteusin* (§. 337. 342.). Per se autem patet, *re emphyteuticaria pereunte emphyteusin extingui.* Enimvero *si dominus emphyteuseos moritur sine successore*, cum dominium directum pertineat ad bona ejus (§. 207.); *naturaliter fit nullius*, consequenter occupabile (§. 210.), ac propterea *emphyteusis non extinguitur.*

L. I. C. De iure emphyteut.

§. 730.

Quid fiat emphyteusi finita.

Quando emphyteusis constituitur, dominium utile a directo separatur vel ad certum tempus, vel quamdiu fuerint successores legitimi, prouti in contractu emphyteutico definitum (§. 727). Quamobrem non alia mens esse intelligitur constituentis, quam ut tempore elapso, vel successore legitimo deficiente, dominium utile cum directo iterum esse debeat conjunctum, consequenter *emphyteusi finita, dominium* uti-

utile redit ad dominum emphyteuseos, ac ideo is fit pleno jure dominus.

§. 731.

Emphyteuticatio vocatur constitutio emphyteuseos in re adhuc libera ab emphyteusi: ast *Subemphyteuticatio* appellatur constitutio emphyteuseos in re, in qua emphyteusin habet constituens. Tumque emphyteusis in emphyteusi constituta, dicitur *Subemphyteusis*. Cum de dominio utili, tanquam re incorporali sibi propria, emphyteuta pro lubitu disponere possit (§. 195.), sed salvo jure domini emphyteuseos (§. 86.) & contractu emphyteutico (§. 727.); *subemphyteuticatio, salvo jure domini emphyteuseos & contractu emphyteutico facta, licita, sed ea in emphyteuticatione nihil immutatur, & emphyteusi quomodocunque finita subemphyteusis perimitur*, consequenter *subemphyteusi extincta emphyteusi adhuc existente, emphyteuta jure emphyteuticario integro fruitur.* Cum subemphyteutæ jus ab emphyteuta adimi nequeat (§. 100.), salvum tamen manere debeat jus domini (*per demonstrata*); *quando emphyteuta emphyteusin in alium transfert, vel*

De emphyteuticatione & subemphyteuticatione.

afterverleihen Zinsrecht.

transmittit, jus suum, quod ex contractu subemphyteutico ipsi quæsitum, transfert, vel transmittit, respectu domini autem ipsa emphyteusis translata, vel transmitti intelligitur.

§. 732.

De jure libellario. *Contractus libellarius* dicitur, quo dominus alteri rem suam certo pretio interveniente ea lege dat, ut quotannis certum canonem solvat, ac stato tempore, possessore licet non mutato contractum certo pretio, vel arbitrario numerato renovet. *Jus* ex eo contractu acquisitum *libellarium* vocatur. *In contractu* igitur *libellario pretium, quod pro re solvitur, imminui debet pro ratione canonis ac pretii in renovatione contractus stato tempore solvendi.* Quoniam solutio canonis & pretii pro renovando contractu inhæret ipsi rei libellariæ; *dominus juris libellarii jus in re libellaria habet* (§. 334.), consequenter *si canon & pretium non fuerit solutum, a quolibet successore solvi debet*, Enimvero quia solutio ista saltem onus est emtioni rei adjectum (§. 409.); *qui rem ex contractu libellario habet, pleno jure dominus est*, consequenter *eandem pro libitu*

bitu alienare & immutare potest sine consensu domini juris libellarii (§. 256. 257.).

§. 733.

Jus censiticum est jus annui reditus ex re aliena immobili recipienpi: ipse autem reditus *Census* vocatur; qui *reservativus* appellatur, si dominus rem vendens censum in eadem sibi reservat; & *constitutus*, quando quis eum sibi emit, aut donatum accipit. Patet autem, *jus censiticum esse jus in re* (§. 334.). Res, ex qua census præstandus, *Bonum censiticum*; qui censum solvit, *censualis*; & qui accipit *census dominus* vocatur; *contractus* autem, quo de censu convenitur, *censualis*. Census cum saltem onus sit (§. 409.); *censualis pleno jure dominus est. Census consistere potest in pecunia, vel in re quacunque alia corporali mobili*, prouti nimirum de eo convenitur. *Quodsi census liberaliter constituitur, vel in re donata reservatur, quantitas voluntate constituentis definitur* (§. 314.); *si* vero *ematur, intra limites usurarum licitarum contineri, vel utilitati ex re percipiendæ proportionari debet in ratione pretii, quod solvitur, ad pretium verum rei; si* denique *in re vendita* *De jure censitico.*

 dita

dita reservatur, ejus pretium, a pretio rei detrahendum. Cum *dominus census jus censiticum* remittere possit (§. 342.); *si remittat, sive gratis, sive pro certo pretio*, quia tunc extinguitur (§. 337.), *bonum censiticum fit liberum.*

§. 734.

De jure superficiario.

Jus Superficiei, seu *superficiarum* dicitur jus habendi suo sumtu superficiem, veluti ædificium, in solo alterius. Qui jus superficiei habet, *Superficiarius*; qui dominium fundi, *Dominus fundi* audit. Pensio annua, quam superficiarius domino fundi pro hujus usu solvit, *solarium* vocatur: *contractus* autem *superficiarius*, quo de jure superficiario, quod constituitur, inter se conveniunt superficiarius & dominus fundi; & *ex hoc metiendum est jus superficiarii & domini fundi* (§. 314. 438.). Cum donator donationi & venditor venditioni rei suæ adjicere possit legem, quam voluerit (§. 314.); *ædes* quoque *jam extructæ donari ac vendi possunt ea lege, ut dominium in solo retineat donator & venditor*, atque ita *in ædibus jam extructis constituitur jus superficiarium.* Enimvero

L. 81. §. 3. De leg. 1.

vero ſive ædes ſuperficiariæ ſumtu ſuperficiarii extruantur, ſive jam extructæ & quocunque titulo juſto acceptæ habeantur in ſolo alterius; ſuperficiarius ſuperficiei, dominus ſoli autem ſoli pleno jure dominus eſt. Et quia jus ſuperficiei non perit, etiamſi *ædes* collabantur, vel conflagrent; *ſi caſu quodam intereant, novas extruere licet.* Cumque domino ſoli nullum jus competat in ſuperficie (§. 195.); *ſolutio ſolarii non eſt jus in re* (§. 334), *nec dominus ſoli pro eo ſuperficiem ſibi obligatam habet, niſi in contractu ſuperficiario hypotheca in eodem ipſi expreſſe fuerit conſtituta* (§. 697.). Similiter quia nemini jus ſuum auferri poteſt (§. 100.); *ædes ſuperficiariæ alienantur cum jure ſuperficiario, & fundus ſalvo jure ſuperficiarii & cum jure adverſus ſuperficiarium.* Quoniam jus ſuperficiarii metiendum eſt ex contractu; *dominium* quoque *ſaltem utile concedi poteſt in ædibus ſuperficiariis ad certum tempus, vel pro certis perſonis, tumque jus ſuperficiarium æmulatur emphyteuticarium* (§. 725.). Atque hic caſus eſt Juris Romani. Ex ipſa definitione patet, *jus ſuperficiarium naturaliter*

raliter extendi ad alias superficies, quam ædes, veluti *ad habendum hortum, vineam, sylvam, piscinam*, immo *arborem in solo alieno*; cum concessio istiusmodi in notione dominii contineatur (§. 195.), unde realitas definitionis pendet.

§. 735.

Fidelitas quid sit.

Fidelitas appellari solet promptitudo præstandi quævis officia humanitatis, ea præsertim, quibus damna quævis avertuntur ac commoda promoventur, & si qua specialiter conventa fuerint.

§. 736.

De feudo.

Feudum dicitur dominium utile in re sua alteri a domino concessum, sub conditione fidelitatis mutuæ. Quamobrem cum dominium plenum contineat & utile, & directum; *in constitutione feuti dominium plenum in utile ac directum inter duas personas dividitur. Res infeudari* dicitur, in qua feudum constituitur; & ipsa *Res feudalis* vocatur, in qua feudum constitutum est; & in ejus oppositione, *Allodium* significat universa, quæ infeudata non sunt. Qui dominium directum in re feudali habet, *Dominus feudi*; qui utile, *Vasallus* ap-

appellatur *Contractus feudalis* eſt, quo de feudo, quod conſtituitur, inter ſe conveniunt dominus feudi & vaſallus, ſeu quo feudum conſtituitur & acquiritur. *Ex contractu* itaque *feudali metiendum eſt jus domini feudi & vaſalli* (§. 314. 438.).

§. 737.

De ſubſtantialibus, naturalibus & accidentalibus feudi.

Subſtantialia feudi dicuntur determinationes eſſentiales, per quas feudum concipitur in genere; conſequenter ea *a nullo feudo abeſſe poſſunt*, ac propterea *reſpectu vaſalli ſunt dominium utile in re feudali & fidelitas domino directo præſtanda; reſpectu domini feudi dominium directum & fidelitas vaſallo præſtanda* (§. 736.). Naturalia feudi dicuntur determinationes eſſentiales, quæ conſtituunt differentiam ſpecificam feudi communiter autoritate legis, val moribus recepti, veluti ut promiſſio fidelitatis ſit jurata: *Accidentalia* vero determinationes eſſentiales, quæ conſtituunt differentias ſpecificas ſpecierum feudorum a ſpecie juris autoritate, vel moribus communiter recepta diverſorum, veluti obligatio vaſalli ad officia inſolita. Unde patet, diſtinctionem inter natura-

lia

lia & accidentalia feudi nullum habere usum in Jure naturæ. Naturaliter enim valent ea, de quibus in contractu feudali conventum (§. 736.). Nimirum quia naturalia & accidentalia per substantialia non determinantur, consequenter ex hisce demonstrari nequeunt; *quando feudum constituitur, a domini rei infeudandæ voluntate dependet, quænam substantialibus superaddi velit* (§. 314.), *in contractu feudali* ideo *definienda.*

§. 738.

De feudo dato & oblato.

Feudum datum vocatur, quando dominus alteri constituit feudum in re sua: *feudum* vero *oblatum*, quando danti constituitur in re data.

§. 739.

De modis feudum constituendi.

Quia modus constituendi feudum a voluntate domini rei infeudandæ dependet (§. 737.); ideo *constitui potest vel ad certum tempus, vel in perpetuum, sive simpliciter, sive determinative, nominatis personis, ad quas transmitti queat, & de certis præstationibus vasalli,* veluti servitiis militaribus, *ac domini conveniri potest. Quodsi* vero ita *conveniatur, ut canon certus præstetur, cum emphyteusi* *misce-*

miſcetur (§. 725.). Quæ vaſallus domino ex contractu feudali præſtare tenetur, *ſervitia feudalia* appellantur, qualia inprimis ſunt militaria. Hinc *Feudum francum* eſt, ſi vaſallus ad nulla ſervitia præſtanda domino obligatur; *ligium*, ſi ſervitia militaria præſtare tenetur adverſus omnes; *non ligium*, ſi quidam excipiuntur. Et Juri naturæ convenienter *Feudum maſculinum* vocatur, quod pro ſolis maſculis conſtitutum, ita ut ex lege contractus in fœminam nunquam deferri poſſit; *fœmineum*, quod pro ſolis foeminis conſtitutum; *mixtum*, quod pro utrisque ſimul. Similiter *Feudum oppignoratitium* appellatur, quando dominus, cui pecunia creditur, loco pignoris feudum in re ſua conſtituit.

§. 740.

De rebus, quæ infeudari poſſunt, ubi de feudo cavenæ, ſoldatæ, pecuniæ & quaſi feudo.

Quoniam in re, quæ uſu non conſumitur, dominium directum ab utili ſeparabile (§. 724.); *res quælibet, quæ uſu non conſumitur, infeudari poteſt, etiam incorporalis* (§. 736.), conſequenter *etiam jus percipiendi proventus metallicos, immo etiam jus utendi certa vini, vel frumenti portione ex cella, horreo aut penuario*

nuario domini ad dies vitæ præstanda. Lib. 2. Feud. T. 2. § 1. Dicitur autem *Feudum de cavena*, quod ita constituitur, ut alicui ex cella domini certa vini, vel ex horreo aut penuario ejus certa frumenti quantitas ad dies vitæ præstetur. Immo facile patet, *naturaliter feudum de cavena extendi posse ad res alias consumtibiles*, veluti ut præstetur certa portio piscium ex piscina domini, vel lignorum ex sylva, vel ferarum in sylva capiendarum. Differt L. 2. F. T. 10. § 2. autem a feudo de cavena *feudum soldatæ*, quo ex gratia alicui certa pecunia, vinum, vel annona, aut res quæcunque alia consumtibilis praestatur; quod in eodem res conventa vasallo præstanda, sive rerum istiusmodi copia domino sit, sive iisdem careat, vt eas aliunde comparare necesse habeat; cum in feudo de cavena præstatio restringatur ad ea, quæ dominus habet: & in illo eadem restringatur ad personam constituentis; in hoc vero etiam transeat ad successores. Ita quoque *Feudum* Lib. 2. Feud: Tit. 105. *habitationis* dicitur, quando jus habitandi in domini ædibus alicui ad dies vitæ conceditur. Tenendum vero in genere est, *res consumtibiles & pecuniam*

cuniam fieri quasi inconsumtibiles, quatenus per fidejussores, aut hypothecam cavetur, ut semper restitui possit, si restitutione opus sit, tum enim perinde est, ac si ea uteremur frueremur salva substantia, consequenter *easdem fieri hoc modo ad infeudandum aptas*, quatenus scilicet in quasi adhuc extantibus dominium directum subsistere potest. Dicitur autem *quasi feudum*, quod constituitur in re per se ad infeudandum minus apta, sed quæ ad infeudandum apta efficitur arte. Unde *Feudum pecuniæ*, quod constituitur in pecunia, *est quasi feudum*. Ceterum *pecunia, in qua feudum constitutum, feudalis est* (§. 736.); *in qua nullum constitutum, allodialis* (§. *cit.*), consequenter *pecunia, qua feudum venditum est, feudalis non est, sed allodialis*. Et eodem modo patet, cum res, quæ pro feudo datur æqui polleat pecuniæ, quæ pro eodem datur, *si res feudalis cum allodiali permutatur, allodialem minime fieri feudalem.*

§. 741.

De subinfeudatione. Cum qui dominium utile habet, præter jus utendi & fruendi integrum etiam partem proprietatis habeat (§. 724.),

quam aliis adhuc modis reſtringi poſſe per ſe patet; *qui dominium utile habet in re, eam alteri in feudum dare poteſt* (§. 736.), *ſalvo tamen jure domini directi* (§. 100.), conſequenter *ſalvo jure domini directi in bonis emphyteuticis & rebus feudalibus feudum conſtitui poteſt.* Lib. 2. Feud. T. 9. Feudum in re feudali conſtitutum alteri, dicitur *Subfeudum*; & res feudalis *ſubinfeudari*, quando feudum in eadem conſtituitur: vaſallus vero, cui res feudalis in feudum datur, *Subvaſallus*, vulgo *Subinfeudatus*; vaſallus denique ſubinfeudans, *dominus ſubfeudi*; & contractus, quo de ſubfeudo convenitur, *Contractus ſubvaſalli*; *ex quo* itaque *jus ſubvaſalli & domini ſubfeudi metiendum* (§. 736.). Cumque ſubinfeudatio tota pendeat a ſubinfeudantis voluntate (§. 314.); *in contractu ſubfeudali ſubſtantialibus ſuperaddere licet determinationes, quæ in feudali non continentur, ſalvo tamen jure domini feudi ſuperaddi poſſunt*, conſequenter *quæ contractui feudali non adverſantur* (§. 736.). Et quia ſubinfeudatio intactum relinquit jus *domini feudi*; ejus *conſenſus ad ſubinfeudationem non requiritur.* Lib. 2. Feud. Tit. 55. §. 2. Ceterum

rum per se porro patat, *si quis rerum universitatem sibi infeudatam habet, eum pro lubitu rem unam atque alteram uni, vel pluribus subinfeudare posse.* Denique hoc etiam satis liquet, *subinfeudatione non totum dominium utile in subvasallum transferri, sed partem quandam proprietatis remanere apud vasallum, & jus subvasalli non augeri, imminui tamen posse*, immo *subinfeudationem fieri posse tam gratis, quam pro certo pretio.*

§. 742.

Cum vasalli & subvasalli sint fructus omnes (§. 736. 741.); *periculum omne fructuum ad vasallum & subvasallum spectat.* *Cujusnam sit periculum fructuum.*

§. 743.

Successor feudalis dicitur is, ad quem vi legis constitutionis mortuo vasallo feudum devolvitur. *Successore* igitur *deficiente, res, quæ fuerat feudalis, pleno jure domini est*, consequenter *etiam subfeudum extinguitur* (§. 741.). Quamobrem cum *vasallus* nihil facere possit, quod est contra jus domini, vel successorum (§. 86.); *rem feudalem deteriorare nequit, nec servitutem eidem* ideo *impo-* *De successore feudali & immutatione rei feudalis.*

 nere

nere (§. 708.), consequenter *dominus feudi & successor pati non debet, ut deterioretur.* Ex adverso autem, quia *nec dominus feudi* contra jus vasalli quid facere potest (§. 86.); nec is *de substantia rei feudalis ita disponere potest, ut jus utendi fruendi vel diminuatur, vel quoad exercitium quomodocunque impediatur, nec* ideo *rei feudali servitutem imponere* (§. 708.). Cum vero nihil committatur contra jus domini, vel successoris, *si vasallus, quamdiu feudum tenet, alteri in re feudali concedat jus, quale foret servitus* (§. 83.); *hoc facere potest,* consequenter *si vasallus rei feudali servitutem imponit ipso facto, ea subsistit, tanquam jus servitutis æmulum, quamdiu feudum tenet.* Et quoniam jus omne utendi fruendi vasalli proprium est (§. 736.); *rem feudalem vasallus meliorare* (§. 279.), *ac* propterea quoque *eidem servitutem acquirere potest* (§. 708.). Ex eadem ratione, cum vasallus ex re feudali omnem percipiat utilitatem, tanquam ex re sibi propria (§. *cit.*); *omnia* quoque *onera ferre debet.*

§. 744.

De apertura feudi.

Feudum aperiri dicitur *domino*, si suc-

successor feudalis deficit; ut ideo *apertura feudi* sit vacuitas juris succedendi in feudo. Et idem *aperturæ proximum* dicitur, si spes sit fore, ut aperiatur; consequenter ut brevi nullus extet successor feudalis. Atque propterea *feudum aperturæ proximum*, cum alienatio foret contra jus domini (§. 83.), *in extraneum alienari nequit.*

§. 745.

In constitutione feudi dominium directum reservatur domino feudi (§. 736.), & tanquam res incorporalis accenseтur bonis ejus ceteris (§. 207.). Quamobrem *nisi in contractu feudali expresse conveniatur de dominio directo, successore in eodem deficiente, idem non acquirit vasallus* (§. 318.), consequenter *nec jus vasalli in simili casu subvasallus* (§. 741.). *De successore in dominio directo deficiente.*

§. 746.

Quoniam ex contractu feudali vasallus domino directo saltem ea præstare obligatur, de quibus conventum (§. 438.), consequenter *dominus eum ad præstandum compellere* (§. 80.), *aut si præstatio non amplius integra sit, ad præstandum interesse adigere posset* (§. 415.), *An feudum committi possit.*

 nisi

nisi expresse fuerit conventum, quo in casu committi debeat, cum tunc, quod conventum, valeat (§. 736.); *naturaliter ob facta, vel non-facta contractui feudali repugnantia feudum non committitur.* Quoniam contractibus pœna adjici potest (§. 410.); *de factis* quoque, *vel non-factis, ob quæ feudum committi debeat, conveniri potest* (§. *cit.*).

§. 747.

De obligatione feudali & felonia.

Obligatio feudalis dicitur, quæ ex contractu feudali oritur; & in mutua domini & vasalli obligatione *Nexus feudalis* consistit. *Obligatio* igitur *feudalis & nexus feudalis ex contractu feudali æstimari debet.* Factum omne tam positivum, quam negativum, obligationi feutali contrarium, *Felonia* dicitur; *quæ* ideo *tot modis committi potest, quot sunt obligationes feudales, non modo a vasallo, verum etiam a domino, non tamen omnis ejusdem est gradus.* Quoniam naturaliter facto, vel non facto contractui feudali contrario feudum non committitur (§. 746.); *juris naturalis non est, ut feudum committatur propter feloniam: ut amitti possit, ex pacto venit.* Enimvero in hoc casu *felonia commissa* remit-

remitti potest (§. 342.), *tumque feudum non amittitur* (§. 337.). Cum nemini imputari possit factum alienum (§. 3.); *si vasallus ob feloniam feudum ammittit, eodem mortuo, domino id restituere tenetur ei, ad quem post mortem ipsius devolvitur*, consequenter *per feloniam feudum commissum non finitur.*

§. 748.

Feudum refutare dicitur vasallus, si significat domino, se id diutius habere nolle sive simpliciter, sive in favorem tertii. Unde in casu priori *domino*; in posteriori *tertio refutari* in specie dicitur. *Quando* itaque *domino refutatur feudum, jus suum remittit vasallus* (§. 337.); *quando autem tertio, eidem jus suum cedit* (§, 338.). Cum quilibet jus suum remittere possit, si nihil committitur, quod est contra jus alterius (§. 342.); *feudum* quoque *domino vel invito refutari potest, quando refutatio non fit contra jus ipsius*: *si* autem *in præjudicium ejus vergat*, veluti ne vasallus servitia militaria, quibus dominus nunc indiget, præstare teneatur, vel eo animo, ut hostilia in eum securius moliri possit, *refutari nequit.* Ast quoniam

De feudi refutatione & revocatione. L. 2. Feu. Tit. 38

nec refutatio fieri potest contra jus successoris (§. 86.); *si feudum domino, aut cognato remotiori refutatur, mortuo refutante, successor feudum revocare potest.* Etenim *feudum revocari* dicitur, si quis jure compellitur ad rem feudalem restituendam, feudo in ipsum translato. Per eandem vero rationem patet, *feudum contra jus domini, vel eorum, ad quos id aliquando devolvi potest, alienatum*, consequenter etiam *extraneo refutatum*, quippe quod alienatio est, *a domino, vel successore revocari posse.* Ex ipsa autem definitionum collatione patet, *revocationem feudi esse feudi vindicationem* (§. 262.). Cum alienatio feudi non uno modo determinari possit; *arbitrii paciscentium est, quomodo de ea convenire voluerint, & standum est eo, quo conventum fuit* (§. 667.), *nisi jus alienandi per alia, quæ expresse conventa sunt, tacite definiatur.*

CAPUT XVII.

QUOMODO OBLIGATIO EX CONTRACTU TOLLATUR.

§. 749.

Quid sit obligationem **O***bligatio tolli* dicitur, quando qui alteri obligatus erat ad dandum, vel

vel faciendum, eidem obligatus esse desinit. Et sublatio obligationis *Liberatio* vocatur. l. 47. de V. O. *tollere & liberatio.*

§. 750.

Cum pacto dissoluto contrahentes liberentur ab obligatione, qua sibi invicem ex eodem tenebantur, eaque mutuo dissensu dissolvi possint (§. 444.); *quamprimum pactum, sive contractus mutuo dissensu dissolvitur*, vel etiam *contractus beneficus solo dissensu ejus, qui ex eo utilitatem solus percipit*, quia alterius non interest pactum adimpleri, *obligatio tollitur* (§. 749.), consequenter *jus acquisitum*, utpote inde pendens (§. 46.), *extinguitur*. *De liberatione per pacti dissolutionem.* §. 4. 3. quibus modis tollit.

§. 751.

Solutio dicitur actualis perfecte debiti præstatio. *Per solutionem* igitur *obligatio ex contractu tollitur* (§. 749.). Quoniam vero solutione præstatur, ad quod præstandum sumus obligati; *solvendum est præcise id, quod debetur* nec *res alia pro alia solvi potest, nisi creditore*, qui jus suum remittere potest (§. 342.), *consentiente* (§. 337.). *Solvendum* quoque *præcise eo die & loco, quo debetur*, *De liberatione per solutionem.* l. 2. § 1. de rebus creditis. l. 98. § 6. de solutionibus. l. 137. § 2. de V. O.

betur, nisi, ob r tionem eandem, *moram indulgere velit creditor* (§. 417.), & *res tota, quæ debetur, solvi debet*, consequenter cum *solutio particularis* dicatur, si quod debetur, non totum solvitur, sed aliqua tantummodo pars, solutio vero partis alterius differatur in aliud tempus, *solutionem particularem non acceptare tenetur creditor*. Facile autem intelligitur, *si res debita ipsa solvi non possit, æstimationem ejus esse præstandam* (§. 271.) & *accipiendam* (§. 37.). Et cum dies, quo solvendum, debitoris gratia adjiciatur, ne ante eundem ad solvendum compelli possit, creditoris autem gratia, ne ante diem solvatur, idque tacite conventum intelligatur, si ex præstatione appareat, interesse creditoris, ne ante diem solvatur; *quod in certum diem debetur, ante eundem invito etiam creditori solvi potest, si dies debitoris causa adjectus: non potest, si adjectus sit creditoris causa, vel ex ipsa præstatione appareat interesse creditoris, ne ante diem solvatur*. Enimvero *si debitor præstet, quod interest creditoris, ne ante diem solvatur*, cum tunc solutione anticipata nil committatur, quod est con-

contra jus creditoris (§. 83.); *creditor solutionem ante diem acceptare tenetur.* Et quoniam solutio ab arbitrio debitoris dependet; *si tempus solutionis arbitrio debitoris relictum, debitor semper solvere, sed creditor ante ipsius mortem debitum exigere nequit.*

§. 752.

De interpellatione.

Interpellatio est actus, quo ex conventione significatur, quod quis alteri ex contractu ultra istud tempus obligatus esse nolit. Vocari etiam solet a nonnullis *Resignatio.* In specie *debitorem interpellare* idem significat, ac solutionem debiti ab eo petere. *Si quid* igitur *certo die debetur, naturaliter interpellatione opus non est*; *si* vero *ita fuerit conventum, ut præcedat solutionem interpellatio, utrique permissa*: cum standum sit eo, quod conventum est (§. 438.); *debitor ante solvere nec debet, nec potest, nec* ex adverso *creditor ante ad solvendum debitorem compellere potest, nec debitum accipere tenetur, quam interpellatio convento modo facta fuerit.* Enimvero *si ita conveniatur, ut creditori liceat debitum exigere, quocunque tempore voluerit*, cum debitor se non obli-

L. 12. C. De contrahenda stipulat. Dies interpellat pro homine.

obligaverit ad non solvendum, antequam interpellatus fuerit; in hoc tamen tacite consensisse videatur, ne creditor solutionem cum incommodo suo accipere teneatur, *debitor non interpellatus solvere potest, & creditor solutionem accipere tenetur, nisi justam habeat causam, cur accipere nolit, utique probandam.*

§. 753.

De oblatione debiti.

Oblatio debiti verbalis dicitur, si debitor creditori verbis tantummodo declarat, se esse ad solvendum paratum; *realis* autem, si res debita, quam solvere vult debitor, fuerit ipsa præsens; & quidem *realis nuda*, si ad oblationem nullus alius actus accedat; quæ *naturaliter verbali æquipollet*: ast *solennis*, si res debita actu oblata, sed a creditore non accepta, obsignatur & deponitur. Cum oblatio realis solennis *in re immobili, aut quæ obsignari, vel commode deponi nequit*, locum minime habeat; *oblatio verbalis solenni æquipollet* (§. 37.). Et quoniam perinde est, ac si debitum fuisset solutum, si solutio solenniter offeratur (§. 751.); *solenni* oblatione ~~*solutione*~~ *obligatio debitoris tollitur* (§. *cit.*), consequenter

etiam

etiam *oblatione verbali rei immobilis, aut quæ obsignari, vel commode deponi nequit*, ac propterea *dominium transfertur in creditorem*, & ideo *omne periculum ipsius est* (§. 243.). Quia *creditor solutionem* accipere obligatur; *si eam accipere nolit, rem debitam in ædibus inviti relinquere, & rem immobilem vacuam præstare, omnemque ejus curam abjicere periculo creditoris potest naturaliter debitor.* Cumque debitor in mora non sit, *si solutionem oblatam acceptare recuset creditor* (§. 417.); *a mora liberatur*, ex adverso autem *creditor in mora esse incipit.*

§. 754.

De acceptilatione.

Acceptum ferre dicitur creditor, si sufficienter declarat, se debitum acceptum habere, perinde ac si revera solutum fuisset. *Qui* igitur *acceptum fert, debitum & jus suum remittit* (§. 337.), consequenter *per acceptilationem debitor liberatur, & jus creditoris extinguitur* (§. cit. & §. 749.), atque *debitor solvisse putatur.* Cum a creditoris voluntate dependeat, ut de jure suo pro arbitrio statuat; *pars etiam debiti acceptilari potest, & acceptilatio fieri potest vel gratis,*

tis, vel re quadam alia, aut facto quasi in debitum imputato.

§. 755.

l. 3. §. 3. de Liberat. legata l. 7. §. 8. de pact. **De pacto de non petendo.** *Pactum de non petendo* dicitur, quo inter debitorem ac creditorem ita convenitur, ne debitum sit solvendum. Cum *per pactum de non petendo* debitum remittatur (§. 337.); *debitor liberatur* (§. cit. & §. 749.). Unde & *Pactum liberatorium* appellatur. Pactum de non petendo iniri quoque posse de parte debiti, & fieri vel gratis, vel re quadam alia, aut facto quasi in debitum imputato, patet, ut ante de acceptilatione (§. 754.).

§. 756.

l. 1. de compensationibus **De compensatione.** *Compensatio* dicitur sublatio debiti unius per debitum alterius partis; seu actus, quo debitor debitum soluturus in solutum imputat creditori, quod ipse debet. *Facta* igitur *compensatione utraque pars ab obligatione debitum solvendi* l. 10. §. 2. eod. *liberatur*, & *compensatio est solutio reciproca, brevi manu facta* (§. 323.). Cum res alia pro alia solvi nequeat, & præcise solvendum sit (§. 751.); *qui sibi mutuo sunt creditores & debitores, eandem rem ut debeant, & ut terminus solutionis*

præ-

præterlapsus sit, quando compensatio fieri debet, necesse est. Patet autem, *compensationem fieri ipso jure*, consequenter *ad compensandum non requiri peculiare quoddam factum*, ac propterea *non opus esse, ut creditori, qui idem est debitor tuus, denuncies te compensare velle, sed solutionem a te petentem per compensationem repellere potes.* Cum *compensationi* renunciare liceat (§. 342); *si* eidem *renunciatum fuit, compensare non licet* (§. 340.). Quoniam in compensatione utriusque debitum certum esse debet, cum ad solvendum compelli nequeat, nisi is, quem debere certo constat; *debitum* vero *liquidum* vocatur, si certo constat, quod ad id præstandum aliquis sit obligatus; *illiquidum* vero, si idem certo nondum constat; *liquidum cum illiquido compensari nequit.* l.14.§.1.C. de compensat. Et quia præcise solvendum (§. 751.); *debiti liquidi solutio compensationis gratia differri nequit*: quoniam vero quilibet damnum quodvis a patrimonio suo avertere debet (§. 269.); *si verendum sit, ne interea temporis is, cui solvitur, fiat non solvendo, aut res debita solenniter offerenda* (§. 753.), *aut qui accipit*,

cave-

cavere debet ſolutum iri (§. 697. 569.). In compenſatione quod tu mihi ſolvere debes ſuccedit in locum ejus, quod ego tibi ſolvere debeo. Quoniam itaque res alia pro alia ſolvi nequit (§. 751.); compenſari nequeunt niſi res fungibiles, in genere debitæ (§. 527.). Nimirum res fungibiles tales eſſe deſinunt, quando in ſpecie debentur (§. 515. 527.). Hæc vero ratio eſt, cur compenſatio non habeat locum adverſus depoſitum (§. 541.) & commodatum (§. 515.).

§. 757.

De datione in ſolutum. (l. 46. §. 1. de solut.)

In ſolutum dari dicitur res, quæ loco ejus rei ſolvitur, quæ debebatur. *In ſolutum* igitur *dari poteſt res quæcunque*, *aſt* cum præciſe ſit ſolvendum (§. 751.), *nonniſi volenti*, *aut quando præciſa ſolutio impoſſibilis* (§. 60.): (l. 4. §. 3. de re vindicanda) cumque operæ æquiparentur rebus in dominio exiſtentibus (§. 225.); etiam *operæ in ſolutum dari poſſunt*. Et quia jus tuum mihi cedere potes (§. 342.); *in ſolutum* quoque *dare mihi potes*, *quod alius tibi debet*, *jus tuum mihi cedendo*. (l. 21. C. Mand.) Quamobrem cum debitor invitus ad dationem in ſolutum com-

compelli possit a creditore, si impossibile sit, ut rem debitam solvat (§. 80.); si quod alius debet, in solutum dat jus suum cedendo, *cessio necessaria* vocatur; qualis etiam revera est. *Datione in solutum debitorem liberari*, abunde liquet (§. 749.).

§. 758.

De novatione.

Novatio dicitur mutatio obligationis prioris in aliam, scilicet quoad debiti caussam, vel modum debendi, eodem creditore ac debitore manente, veluti si inter nos convenit, ut ducentos thaleros, quos ex emto debes, ex mutuo debeas. *Novatio* itaque *obligationem veterem perimit, & novam in ejus locum substituit*, consequenter *debitor a priore debito liberatur* (§. 749.), & *unice ex posteriore obligatione tenetur.* Quamobrem cum omne jus creditoris, quod ex priori obligatione habebat, extinguatur (§. 46.); *creditor fidejussores non amplius sibi obligatos habet & jus prioritatis præ aliis debitoris sui creditoribus amittit*, *nec fidejussio*, ut pote semel extincta, *reviviscit*, *etiamsi a novatione discedant partes & ad veterem obligationem redeant*, reditu revera non exi-

§. 3. J. quibus modis obligatio

l. 18. de novation

l. 29. eod.

ſtente niſi nova novatione. Cum mora pertineat ad veterem obligationem (§. 417.); *per novationem mora purgatur* (§. 418.). Ex eadem ratione *novatio impedit commiſſionem pœnæ, priori obligationi adjectæ*. Quia invito jus ſemel quæſitum auferri nequit (§. 100.); *novatio fieri nequit niſi mutuo creditoris & debitoris conſenſu*, qui cum de jure ſuo, prouti ipſis viſum fuerit, diſponere poſſint (§. 314.), *novando in obligatione veteri mutare poſſunt, quæ placuerint*, atque ideo *debitum conditionatum vel in diem converti poteſt in purum; vel contra*. Huc vero referri non debet, *ſi debitum ſub conditione vel in diem pure novetur*, cum ſaltem obligatio mutetur, non vero modus debendi; *in caſu priori novatio non fit niſi conditione exiſtente eadem, in poſteriori ſtatim quidem perfecta eſt, ſed debitum novum exigi nequit, antequam dies venerit*. Quia novatio perimit obligationem priorem, qua ſolvendo adjecto liberari poteras (§. 661. 751.); *in novatione adjectus non intelligitur, qui priori adjectus fuerat*; aſt quia novatio cuilibet mutationi locum facit; *in novatione*

ad-

l. 8. De novat.

l. 15. eod.

l. fin. C. De novatione.

§. 3. J. quibus modis toll. obl.

adjici potest, qui in obligatione priori non erat adjectus. In *cessione* eadem manet obligatio (§.338.); ea igitur *non fit novatio.* Ex eadem ratione *non fit novatio, si terminus solutionis prorogetur, si ex intervallo tertius adjiciatur, cui solvi possit* (§. 661.), *vel accedat fideiussor* (§. 569.), *vel pœna obligationi adjiciatur, quæ ab initio adjecta non fuerat* (§. 410.), neque *fit in constituto* (§. 660.). Sed cum chirographo probetur debitum (§. 652.); *si chirographum vetus redditur & eius loco aliud accipitur, novatio fit.* Quoniam vero ex definitione novationis patet, quando sit novatum; *naturaliter opus non est, ut quis expresse dicat, se non habere animum novandi, in casu* tamen *dubio,* quando, quod actum est, fieri potest & novandi animo, & sine eo, veluti si tu mihi debes centum ex emto, & ego consentio ex intervallo, ut eos mihi solvas cum usuris post biennium, *nisi novatum esse debeat, expresse dicendum, quod agitur, fieri absque animo novandi* (§. 318.).

L. 3. C. de novat.

§. 759.

De delegatione.

Delegatio est pactum, quo debitor vice sua alium debitorem expromit-

Lex 11

tentem creditori substituit. Qui substituit, vocatur *Delegans*; qui substituitur, *Delegatus*; creditor vero, cui fit delegatio, *Delegatarius*. Cum nemo alteri obligari possit ultra voluntatem suam (§. 317.), nec jus acquiri sine acceptatione (§. 316.); *delegatio perficitur delegantis, delegati & delegatarii consensu*, scilicet delegatus promittit deleganti, quod expromittere velit, delegatus delegatario, quod ipsi solvere velit, & delegatarius expromissionem acceptat. Unde statim patet, *per delegationem delegantem liberari, & delegatum solum delegatario manere obligatum*, consequenter *si delegatus non fuerit solvendo, ad delegantem non patere regressum*. Nulla vero in eo difficultas est, *naturaliter opus non esse, ut delegatio fiat inter partes omnes præsentes uno actu, & fieri posse absque animo, vel cum animo novandi*, consequenter, cum debitorem meum alteri delegans vel ita convenire possim, ut solvat creditori meo tanquam a me debitum, vel tanquam ex eadem causa, qua mihi debebat, vel denique ut nova contrahatur cum delegatario obligatio, *quando debitorem meum alteri delego*,

L. 26. §. 2. Mand.

lego, novatio fit vel cum delegato, vel cum delegatario, vel cum utroque. Cum jus quæsitum nemini auferri possit (§. 100.); *delegatio semel perfecta revocari nequit a delegante* (§. 314.), consequenter *nec prohiberi ab eodem potest, ne delegatario solvatur, ac ideo nec solutio a delegato sibi sponte oblata accipi.* Si facultates delegati delegatario non fuerint perspectæ, nil obstat, quo minus delegans delegatario promittat, se soluturum, si in termino solutionis non sit solvendo. Quoniam itaque tunc *delegatio facta sub hac conditione, si in termino solutionis delegatus fuerit solvendo; ea non ante valida, quam si in termino solutionis solvendo fuerit* (§. 396.).

§. 760.

De assignatione. *Assignatio* est actus, quo debitor soluturus substituit alium, quem rogat, ut vice sua solvet, vel solvere jubet. Qui alium substituit, *Assignator*; qui substituitur, *Assignatus* vocatur. *Quodsi* ergo *creditor nomen assignatum in solutum accipit, debitor liberatur; si non accipit, non liberatur; nisi solutione ab assignato accepta* (§. 757. 749.). Cum per assigna-

tionem nihil mutetur in obligatione, nisi in solutum accipiatur; *assignando quoque nihil novatur, nisi nomen assignatum in solutum accipiatur*. In omni autem casu *si assignatus solvit, & debitor principalis, & fidejussores liberantur* (§. 749. 570.).

§. 761.

De confusione debiti & crediti. *Confusio debiti & crediti* dicitur, quando contingit, ut, qui erat debitor, idem fiat creditor, veluti si creditor fit hæres debitoris. *Confusione* igitur *debiti & crediti debitor liberatur* (§. 749.).

L. 75. de constitutione. L. 107. de solutionibus.

CAPUT XVIII.

DE MODO FINIENDI LITES IN STATU NATURALI.

§. 762.

Quid sit jus controversum & lis. Jus *controversum* dicitur, si duo, vel plures eandem rem tanquam suam vel sibi debitam prætendunt, vel jus, quod unus habere prætendit ad præstationem alterius, alter negat. Et qui hoc faciunt, *litigare* dicuntur; ipsorum vero de jure controversia, quæ in reciproca contradictione de jure eodem sibi competente consistit, *Lis* vocatur, veluti

uti si tu affirmes, tibi competere dominium in hoc prædio, neges competere mihi, ego autem affirmo id mihi competere, tibi competere nego, vel si tu affirmas me tibi debere centum aureos, ego nego. *Res* vero, de qua litigatur, *litigiosa* dicitur.

§. 763.

Decessio a lite gratuita, quando scilicet jus controversum uni ceditur, alter vero nihil vicissim accipit, *amicabilis Compositio* vocatur. *Lis* igitur *amicabili compositione finitur*, & *qui nihil accipit, se obligat, quod nihil rei litigiosæ causa ab altero, qui totam accipit, petere velit*, consequenter *is jus suum, quod habere putat, remittit* (§ 337.), ut ideo *amicabilis compositio naturaliter licita* (§. 342.). Quamobrem cum *prætensio* ipsius extinguatur (§. 337.); ea *renovari nequit, facta amicabili compositione*. Enimvero cum hoc negotium inter me & te saltem geratur, a nobis vero tertio jus, si quod habet, auferri nequeat (§. 100.); *facta amicabili compositione non tollitur jus tertii*. *De amicabili compositione.*

§. 764.

Quodsi litigantes inter se conveniunt, *De transactione*

 ne

ne a lite gratuito diſcedatur, ſed aliquo dato, vel retento, vel promiſſo, conventio hæc *Transactio* dicitur. *Transactione* igitur *lis finitur, & transigentes ſe ſibi invicem obligant, quod rei litigioſæ cauſa neutra pars ab altera petere velit, quam quod conventum fuit*, conſequenter *facta transactione prætenſio renovari nequit* (§. 438.). Enimvero *in transactione convenitur, quinam rem litigioſam totam habere debeat, & quid viciſſim præſtandum alteri, vel quomodo inter partes litigantes ſit dividenda, & num ad certas præſtationes alter alteri præterea obligatus eſſe debeat.* Patet autem, ut ante (§. 763.), *transactione non tolli jus tertii.* Cumque transactio pactum ſit (§. 438.); *ob easdem cauſas a transactione diſcedere licet, ob quas diſcedere licet a pacto* (§. 442.). Eſt autem *Transactio* vel *generalis*, quæ extenditur ad omnes prætenſiones ſpeciales, quæ ſub iſta generali comprehendi poſſunt, ſive tum, cum fieret transactio, fuerit cogitatum, ſive minus, veluti ſi transigitur de omni quacunque prætenſione, quæ ratione prædii controverſi obvenire poterat ex cauſa data:

data: vel *specialis*, quæ ad res certas, sive qua speciem, sive qua quantitatem tantummodo restringitur, veluti quando transigitur de dominio prædii, vel de certa quantitate fructuum ex prædio, aut certa quantitate frumenti. Quamobrem *in transactione generali renunciatur omni prætensioni ad rem controversam, qualiscunque tandem fuerit; ast in speciali non renunciatur prætensioni ad eandem rem, si qua posthac appareat, sed ea salva manet* (§. 340.).

§. 765.

Lis dicitur *componi*, si veritate in dubio relicta consensu litigantium terminatur, scilicet ut vel unus a prætensione sua desistat, vel ut utriusque prætensioni pro parte satisfiat. Sed *Lis decidi* dicitur, si ad facta sufficienter probata principiis juris applicatis ostendatur, a cujus parte stet veritas, seu cuinam competat jus, quod in controversiam adducebatur. *In transactione igitur & amicabili compositione rei controversæ non fit decisio, sed lis saltem componitur* (§. 763. 764.).

De differentia inter litis decisionem & compositionem.

§. 766.

Cum debitum liquidum certum sit (§. 756.)

Quandonam lo-

L. 31. C. [illegible]

ous sit amicabili compositioni & transactioni. (§. 756.), & ad idem solvendum debitor obligatus (§. 751. 756.), nec quisquam locupletari debeat re aliena (§. 271.); *super debito liquido transigi nequit* (§. 764.), *nec de eo locum habet amicabilis compositio* (§. 763.). Quoniam tamen quilibet jus suum remittere, eidemque renunciare potest, quamdiu nil committitur contra jus tertii (§. 342.); *debitum* quoque *liquidum vel totum, vel ejus partem, si creditor velit, remittere, vel juri suo liquido sive in totum, sive ex parte renunciare potest*. Hæc tamen remissio & renunciatio non est amicabilis compositio, vel transactio, cum in hisce conventionibus remittatur jus incertum, vel eidem renuncietur. Quamobrem patet, *amicabili compositioni*, nisi vocabulorum significatui vim inferre velis, *nonnisi locum esse in debitis illiquidis*.

L. 32. C. de transactionibus.

L. 1. de transact.

§. 767.

Quid sit juris, si debitum fuerit illiquidum.

Vi libertatis naturalis *a libera litigantium voluntate unice pendet, utrum litem amicabiliter componere, vel de re litigiosa transigere velint, nec ne* (§. 78.): cum tamen nemo locupletior fieri debeat re, vel ex re alterius (§. 271.); *opera danda est, ut illiquidum ad liquidum*

per-

perducatur. Quoniam tamen necesse est, ut lis habeat exitum; *sorte definiendum, cujusnam res litigiosa esse debeat.* *Quodsi* vero *impossibile fuerit illiquidum ad liquidum perduci, ne sorti committere compositionem litis consultum videatur; parti, cujus interest, ut lis compatur,* cum tum aliter componi non possit nisi per transactionem (§. 764. 765.), utique *competit jus partem alteram ad transactionem vi adigendi*; quia nec jus probabiliter alicui competens eidem auferri potest (§. 100.).

§. 768.

Mediator dicitur persona, quæ ad rem controversam inter alios componendam operam suam confert, jure eam componendi destituta. Actus autem, quo compositio a tertio vel perficitur, vel tentatur, *Mediatio* vocatur. *Mediator* itaque *causam utriusque partis agit*, *in eo* autem, *quod ipsi visum fuerit*, *litigantes acquiescere non tenentur.* Cum jure litem componendi destituatur; *ipsius saltem est offerre conditiones, sub quibus rem controversam componi posse sibi videtur, explorare litigantium de ea sententiam, & suadere ut conditiones* *obla-*

De Mediatione.

oblatæ vel a se, vel a parte alterutra acceptentur. Et quoniam causam partis utriusque agit; *non uni parti magis favere debet, quam alteri*, consequenter cum *Studiosus partium*, seu *partialis* dicatur, qui hoc facit; *impartialis*, qui non facit; *impartialis esse debet*, ac propterea *ex communi utilitate & secundum rationes prætensionum utriusque partis de conditionibus statuere.* Unde patet, *mediatoris* quoque *esse de conditionibus, quæ utrinque offeruntur, judicium suum interponere & iniquas conditiones a parte alterutra oblatas rejicere.*

§. 769.

De tractatibus. *Tractatus* dicuntur deliberationes de pacto aliquo ineundo. *Deliberationes* autem sunt actus intellectus, quibus expenditur, num quid potius fieri, an non fieri debeat, & num hoc potius modo an alio fieri debeat. Quamobrem *deliberationes instituuntur vel de fine, vel de mediis, vel de utrisque*, consequenter *si tractatus instituuntur componendæ controversiæ causa*, cum in finem, controversiæ nimirum compositionem, jam consentiant litigantes, *de me-*

mediis potissimum, hoc est, *de modo componendi litem deliberatur.* Cum nemo alteri se obligare possit nisi promittendo (§. 380.), nec obligare nisi acceptanti (§. 381.); *quamdiu in modum componendi litem non consentiunt litigantes*, consequenter *quamdiu intra limites tractatuum subsistitur, nulla nascitur obligatio, nec jus ullum acquiritur* (§. *cit.*). Quamobrem *si ad tractatus non accedat conventio, nihil actum est* (§. 437.). Quoniam conventio nondum accedit, *si, quod offertur, acceptatur ad deliberandum, vel a mandatario ad ratihabendum*; ex hac quoque acceptatione *nulla adhuc nascitur obligatio*, consequenter *offerentem pœnitere licet, nisi perfectio negotii sub iis, quæ offeruntur, conditionibus expresse in casu priori in accipientis, in posteriori in domini negotii arbitrium fuerit collata*; cum jus conditionatum accipienti, vel domino negotii quæsitum auferri non possit (§. 396. 553.). Ceterum cum unicuique jus suum tribuere, nullius vero jus violare, & æquos nos omnibus, iniquos nemini præbere debeamus (§. 86.); *in tractatibus quælibet pars rationes, tam proprias*,

prias, quam partis alterius, ob quas rem suam esse, vel sibi deberi prætendit, trutinare jure interno debet, & juxta eas conveniendum. Atque hinc patet, *easdem esse mediatoris partes* (§. 768.).

§. 770.

De compromisso in arbitrum & arbitratore.

Compromissum dicitur pactum, quo convenitur, ut stetur eo, quod certa quædam persona, vel plures dixerint. Et *Arbiter* vocatur persona, quæ per compromissum eligitur, ut rem controversam decidat; jus rem controversam decidendi in arbitrum collatum *Arbitrium*; sententia autem, qua controversiam decidit arbiter, *Laudum* appellatur. *Partes igitur litigantes in laudo acquiescere tenentur*, ideoque *arbiter finem controversiæ imponit.* Differt ab arbitro *Arbitrator*, qui eligitur, ut rem controversam componat, non tamen jure decidendi in eum translato; consequenter *in sententia arbitratoris acquiescere non tenentur partes, vel ubi ea displicuerit parti uni, aut utrique, nihil actum, sed utriusque prætensio salva est.* Quoniam itaque arbitrator se habet per modum mediatoris (§. 768.); *idem arbitratoris, quod mediatoris officium est.* Arbitrator

tor quasi medius inter mediatorem & arbitrum. Non deliberat cum partibus, quemadmodum mediator, nec sententiam definitivam fert, sicuti arbiter, sed partibus deliberandum relinquit, quid de sententia sua statuere velint. Cum promissio acceptata revocari nequeat (§.427); *compromissum parte altera invita revocari nequit* (§. 438.), *mutuo tamen dissensu*, sicuti pactum aliud quodvis (§. 444.), *dissolvi potest*, consequenter *arbitrium mutuo consensu revocare possunt partes*, adeoque *rem quoque controversam amicabiliter componere, vel de ea transigere, etiamsi arbiter arbitrium jam receperit*, immo *si ejus arbitrio uti displicuerit, alium sibi arbitrum eligere.*

§. 771.

De arbitrio suscipiendo & renunciando.

Vi libertatis naturalis *nemo ad arbitrium suscipiendum cogi potest* (§. 78.). Enimvero cum arbitrium recipiens promittat ipso facto, quod controversiam decidere velit (§. 379.), consequenter partibus sese ad hoc faciendum obliget (§. 380.); *arbitrium receptum partibus invitis renunciari nequit* (§. 100.). *Renunciare* nimirum *arbitrium* dici-

dicitur arbiter, si partibus significat, se controversiam decidere nolle.

§. 772.

De officio arbitri & qualis esse debeat.

l. 17. §. 3. de rec.

Quoniam *arbiter* controversiam, seu litem decidere debet (§. 770.); *dijudicare debet, cujusnam sit res controversa, vel cuinam parti quid debeatur, cuinam non debeatur*, consequenter *pronunciare, utrum ei, qui jus aliquod adversus alterum habere prætendit, revera competat, nec ne*. Et *in hoc pronunciato laudum consistit* (§. 770.). Hinc sua veluti sponte sequitur, *ut arbiter sit impartialis* (§. 768.), cumque *respectus personarum* sit determinatio voluntatis, vel noluntatis per motiva a persona desumta, in cujus gratiam aliquid fit, seposita veritate; *nullo prorsus habito respectu personarum*. Cumque *vir bonus* dicatur, qui justitiam & honestatem amat, quicquid eidem adversum odit; qualis *quilibet esse debet* (§. 86. 49), consequenter *vir bonus intelligere debeat, quid justum & honestum sit, quid injustum & inhonestum*, adeoque *& æquum atque iniquum* (§. 83.), *veritatis id circo amans*; *arbiter* quoque *vir bonus esse debet*, ac per consequens *intelli-*

l. 32. §. 14. cod.

l. 13. §. ... eod.

intelligere, quid justum & injustum, æquum & iniquum sit, ac veritatis amans esse, & propterea *a neutra parte se muneribus corrumpi* ~~minime~~ *pati tenetur*.

§. 773.

Quomodo is munere suo fungatur.

Quando partes de jure litigant, *Actor* vocatur, qui jus prætendit, quod pars adversa ipsi competere negat: *Reus* autem vocatur, a quo tributio juris petitur. Quamobrem cum arbiter litem decidere debeat (§. 770.); *pronunciare debet, utrum actori competat jus, quod prætendit*, consequenter *reus ad hoc tribuendum ipsi sit obligatus, nec ne* (§. 765.). Quamobrem *in facti notitiam inquirere & ut quoad omnes circumstantias contra negantem probetur curare, ac tandem ad factum leges, hoc est, in statu naturali jus naturæ applicare debet*. Unde patet, *arbitrum legum, & in statu naturali juris naturæ peritum esse debere*.

§. 774.

De eo, quod actori & reo incumbat.

Cum arbiter ad factum leges applicare debeat (§. 773.); *actor factum narrare & quod a reo negatur probare, reus autem ad narrationem facti respondere*

debet, utrum id pro vero habeat, nec ne, aut num saltem circumstantias quasdam neget & quænam contra ea, quæ admittit, excipiat, ab eo sufficienter probanda contra actorem negantem (§. *cit.*).

§. 775.

De probatione per instrumenta.

Quoniam *Instrumentum* scriptura est, in quam ea, de quibus paciscentes inter se convenerunt, redacta sunt, vel factum quoddam, ob quod alteri jus quoddam competit, aut non competit, relatum est; *per instrumenta, quæ pars adversa, contra quam producuntur, tanquam vera admittit, & adversus quæ nihil excipere valet, probantur facta.* Quamobrem cum hunc habeant usum instrumenta, *si de negotio bilaterali*, quando scilicet utraque pars se obligat ad certas præstationes, *instrumentum conficitur, ab utraque parte subscribendum & utrique parti exemplar* [*ab utroque subscriptum*] *tradendum: si* vero *de unilaterali*, quando saltem una pars alteri ad quasdam præstationes se obligat, *nonnisi ab ea parte subscribendum, quæ se alteri obligat, & tradendum ei, cui obligatur.* Ne vero lis oriatur de instrumento, quæ vitari poterat; *quando duo in*

Nov: LXXIII Cap: I

LXVII & de fide instrumentorum

instrumenti exemplaria conficiuntur, in eo exprimendum est, duo fuisse confecta, ab utraque parte subscripta ac unicuique parti unum traditum fuisse. Ex definitione instrumenti patet, *epistolam, qua absenti quid significatur, esse instrumentum*, veluti in qua debitor fatetur debitum centum aureorum, *chirographum* item (§. 652.) & *apocham* (§. 654.), nec non *protocollum*, cum hoc nomine significetur brevis annotatio rei gestæ, memoriæ causa facta, *si in statu naturali a parte adversa subscribatur, vel etiam personis aliis præsentibus fide dignis*; cum ab his recognitum pro vero habendum sit. Ceterum hinc etiam patet, *protocolla* quoque *fieri, ut ex iis conficiantur instrumenta.* Istiusmodi autem protocollum, ex quo instrumentum conficiendum, *Punctatio*, a nonnullis *Imbreviatura* dicitur. *In casu dubio si instrumentum dissentiat a protocollo, præsumtio est pro protocollo;* cum enim facti sit, ut paciscentes aliquid in instrumento mutuo consensu immutaverint, de quo ante convenerunt, id a parte affirmante probandum. Lis igitur hæc ut evitetur; *instrumentum ab alio confe-*

Lxxx C de fide instrum

 ctum,

ctum, antequam subscribatur, relegendum & cum protocollo conferendum (§. 52.): *id quod facere etiam tenentur testes qui adhibentur, ut veritatem rei sic gestæ attestentur, non vero si tantummodo adhibentur, ut attestentur, instrumentum hoc partium consensu esse confectum*; cum in hoc casu opus non sit, ut norint, quænam in instrumento contineantur. *Instrumentum originale* vocatur, quod mutuo partium consensu confectum; *Copia* vero, sive *Exemplum*, quod ex originali descriptum. *Copia* igitur *per se nil probat, nisi quatenus constat, eam cum originali instrumento consentire*, consequenter cum *Copia vidimata* dicatur, cujus cum originali conformitatem attestantur personæ fide dignæ, *si vidimata fuerit.*

§. 776.

De charta blanca.

Charta blanca dicitur charta vacua, quam a se subscriptam & sigillo suo munitam quis tradit alteri, ut eam certi negotii causa scriptione sua repleat. Cum utique chartam blancam dans fidem accipientis sequatur, quod non scripturus sit, nisi quæ scribi voluit, & accipiens ab omni fraude animum alienum habere de-

debeat (§. 286.); *charta blanca obligat subscribentem & sigillantem ad id præstandum, quod in scriptione promittitur, & accipiens danti tacite se obligat ad nihil in ea scribendum, nisi quod is in ea scribi vult, vel intentioni ejusdem convenit, quodsi vero quidpiam scripsit, ad quod te obligare noluisti, vel quod a veritate rei gestæ abhorret, ad id præstandum, vel eo standum minime obligaris.* Aſt cum per ſe pateat, nude aſſerenti credi non poſſe; *contra voluntatem tuam, vel rei veritatem quædam scripta esse, probandum.* Litis ergo evitandæ cauſa *in subscriptione chartæ blancæ, si fieri potest, determinate exprimendum, in quem finem detur.*

§. 777.

De bacillis fiſſis. *Bacilla fissa* dicuntur, quæ inciſis crenis demonſtrant, quantum pars una dederit, altera acceperit, vel etiam una alteri præſtiterit, quæ ad certum præſtationum numerum fuerat obligata. Quoniam utraque pars in hoc conſenſit, ut *per bacilla fissa* probari facta poſſint; per ea *data & accepta, vel ab alterutra parte præstita probantur*, conſequenter *debitum in casu priori & solutum in posteriori probatur.*

§. 778.

De probatione per testes. *Testis* dicitur persona, quæ ad fidem faciendam de re gesta, seu facto aliquo adhibetur. Quamobrem *facta per testes probantur*. Quoniam itaque pro vero habendum, quod testis narrat; *in eo requiritur* & *facti notitia*, & *animus moraliter verum loquendi* (§. 347.), ne scilicet vel ipse fallatur; vel fallat (§. 356.); consequenter ut de notitia facti minor sit dubitatio; necesse est ut præsens fuerit, quando id fiebat, de quo quæritur. *Testis oculatus* dicitur, qui narrat, quæ præsens sensu percepit: *auritus* vero, qui ab alio audita narrat. Et *Testis verus* vocatur, qui moraliter verum loquitur; *falsus* vero qui moraliter verum non loquitur. Quodsi non desint rationes, ob quas verum moraliter non dicturus, vel dicere præsumitur, *Testis suspectus* audit; qui ideo *ad testimonium afferendum non admittendus*: ast in quem nulla cadit suspicio, quod moraliter verum non dicat, *Testis integer*. Quoniam *testis* ad probanda facta adhibetur; *ad dicendum verum naturaliter obligatur* (§. 134.), consequenter *falsum testimonium mendacium est* (§. 351.) &

ut

ut testimonio tanto securius fides haberi possit, *testis promittere debet, se moraliter verum dicturum* (§. 380.), utque tanto minus suspicari possimus, testem moraliter verum non dixisse, cum juramentum arceat omnes tacitas exceptiones ac conditiones, neque admittat reservationes mentales (§. 369.), *jurare, quod verum sit dicturus, aut testimonium suum juramento confirmare.* Enimvero cum logice falsum esse possit, quod moraliter verum est (§. 347.), ad probationem vero facti requiratur veritas logica, quod per se patet; *testis unus, etiamsi juratus ac minime suspectus sufficienter non probat*, ac ideo *probatio per testem unum minus plena est*; cum *Probatio semiplena* dicatur, qua factum minime sufficienter probatur; sicuti ex adverso *Probatio plena*, qua factum sufficienter probatur. Quoniam veritas logica nonnisi unica est (§. 347.); *quod duo, vel plures testes jurati*, qui jurando a se dimoverunt suspicionem, quod moraliter verum non dicant, *simul affirmant, id pro logice vero habendum, ac ideo pro sufficienter seu plene probato*, consequenter *negans hoc contra se pro vero admit-*

tere tenetur, & proptera *pro convicto habendus*. Nimirum cum probatio aliter exitum habere nequeat, etsi absolute impossibile non sit, ut logice falsum sit, quod per testes hoc modo probatur; ea tamen admittenda. Eam enim certitudinem, quæ demonstrationibus mathematicis debetur, hic frustra requisiveris.

§. 779.

Quinam testari possint.

Cum voluntas determinetur per motiva, repræsentationem scilicet boni, vel mali, consequenter testimonium falsum dicatur vel spe boni obtinendi, vel mali fugiendi causa, vel in favorem ejus, pro quo, aut in odium ejus, contra quem juratur; *si testis suspectus est, necesse est, ut vel spe boni, vel metu mali, vel in favorem, aut odium falsum testimonium dicturus videatur, etiam juratum.* Atque hinc obstetricantibus circumstantiis singularibus, per quas ea probantur, suspicio oritur. Inde autem sequitur, *ut testis suspectus non sit admittendus*, cumque ob rationes dictas *testis in propria causa* suspectus sit, ex qua nempe commodum quoddam sperat, vel in-

L. 11 de Testibus.

cap. 6. X. de testimon.

incommodum metuit; is *ad teſtimonium afferendum admitti nequit*, conſequenter *nec ſocius in cauſa communi teſtis eſſe poteſt*. Et quia in teſte requiritur notitia facti (§. 778.); *nemo teſtari poteſt de rebus, quæ in intellectum ipſius non cadunt, aut ad quæ animum non attendit*. Nulla vero ratio naturalis eſt, cur *fœminæ* teſtari nequeant; conſequenter *admittendæ*. Quamvis autem ex rationibus generalibus a qualitate certarum perſonarum deſumtis, veluti quando quæritur, an debitor teſtis eſſe poſſit in cauſa creditoris, & contra, ſocius in cauſa ſocii non communi, conſanguineus in cauſa conſanguinei, levis aliqua moveri poſſit ſuſpicio, cur teſtes minus idonei habeantur, ac ideo, ſi alii haberi queant, iisdem poſtponendi ſint: ex iisdem tamen ſolis, niſi accedant rationes particulares manifeſtæ, vix ac ne vix quidem adeo ſuſpecti reddi poſſunt, ut ad dimovendam ſuſpicionem ne quidem juramentum ſufficiat. Ne vero pars ulla de integritate teſtis querelas movere poſſit; *qui per teſtes pro ſe aliquid probare vult, ipſe eos producere debet; ſi vero contra quem per te-*

cap. 10. X. ad

L. xviii de teſtibus

stes quid probandum, is ante audiendus; an fidem eorum suspectam reddere velit, an possit, quam admittantur.

§. 780.

De qua re & quomodo testimonium perhibendum.

Cum facta per testes probanda non aliter, quam sensu cognoscantur (§. 778.); *res, de qua testimonium perhibendum, in sensus incurrere debet*, ac per consequens *testis narrare non debet, nisi quæ sensu percepit; si vero dicat, quæ sensu percipere non potuit, testimonium nullum est.* Et ne falsæ interpretationi testimonium sit obnoxium; *narrare debet, quæ sensu percepit, verbis propriis, neque vagis, sed fixis* (§. 346.).

§. 781.

De probatione per juramentum.

Si res controversa aliter probari nequit, veluti deficientibus idoneis instrumentis (§. 775.), vel testibus (§. 778.), *aut saltem non sufficienter*, cum aliter lis exitum habere nequeat, quem tamen habere debet; *per juramentum in casu priori probanda, in posteriori defectus probationis supplendus.* Et ob rationem eandem *si adversus aliquem militent præsumtiones, aliter non elidendæ, per juramentum elidendæ sunt*; cum

Hebr. 6.

is

is probare debeat, falsum esse, quod contra ipsum præsumitur.

§. 782.

Juramentum assertorium est, quod præstatur de veritate dictorum, quibus aliquid affirmatur, vel negatur: *suppletorium*, quo defectus probationis suppletur; ut ideo *juramentum suppletorium ex probatione semiplena efficiat plenam* (§. 778.): *purgatorium*, quo quis præsumtiones adversus se militantes elidit; cum *purgare* se dicatur, quia suspicione, in quam adductus est, se liberat: *juramentum litis decisorium*, quod eo fine præstatur, ut lis sit decisa; consequenter *juramento litis decisorio finis liti imponitur*. Dividitur autem hoc in *voluntarium*, quando partes inter se conveniunt, quod per juramentum decidi debeat res controversa; & *necessarium*, quando deficientibus aliis probationibus factum, a quo pendet decisio rei controversæ, aliter probari nequit, quam per juramentum, aut saltem supplendus probationis defectus. Denique *juramentum promissorium* est, quo jurato quid promittitur; seu quod promissionem continet. *De speciebus juramenti.*

§. 783.

l. 11. de iure iurando §. 783.

De delatione juramenti. *Juramentum alteri deferre* dicitur, qui sufficienter significat velle sese, ut juret. Quamobrem *si aliæ probationes deficiunt, aut quod probandum erat, non plene probatum fuit, arbiter juramentum deferre potest* (§. 781.), consequenter *juramentum ab arbitro delatum partibus necessarium est, ac in specie suppletorium.* Ex eadem ratione *juramentum* quoque *coram arbitro deferri parti a pate potest*, cum tamen ipsius sit omnis cognitio (§. 770.), *eodem approbante*: immo ob eandem rationem *actor reo super eo, quod hic negat, & reus actori super exceptionibus a se propositis*; cum nemo testis esse possit in propria causa (§. 779.), consequenter nec juramento probare, quod negatur a parte altera. Quoniam tamen ad juramentum non deveniendum, si probatio alia in promtu sit (§. 781.); *si pars parti coram arbitro juramentum defert, & ea, quod juramento probandum, aliter probare velit, ad probationem admittenda: qua tamen deficiente juramentum adhuc præstandum* (§. cit.),

L. 31. de jure jurando.

l. 35. de iur. iur.

cap. 2. X. de probationibus.

§. 784.

§. 784.

Juramentum referre dicitur, qui, cum juramentum sibi delatum acceptare nolit, sufficienter declarat, malle sese, ut pars altera, quæ dicit, juramento confirmet: ast *juramentum recusare*, qui sufficienter significat, se jurare nolle, seu juramentum sibi delatum, vel relatum acceptare nolle. Enimvero quoniam jurare nolens nondum vult alterum jurare; *qui juramentum recusat, ideo id deferenti nondum referre intelligitur.* Quoniam partes stare tenentur eo, quod arbitro visum fuerit (§. 770.); *juramentum ab arbitro delatum recusari ac parti adversæ referri nequit.* Enimvero *si pars parti juramentum defert*, cum tunc liberum sit ei, cui juramentum delatum, an ipsa jurare velit, an vero alteram jurare malit (§. 78.); nulla existente obligatione contracta, qua libertas naturalis restringitur; *juramentum referri potest*, cumque deferens voluerit juramento decidi, quod controvertitur, nec temere Deum testem invocari velle debet (§. 360. 361.); *relatum recusari nequit.* Et quoniam acceptans juramentum tacite promittit, ac ideo se obli-

De relatione & recusatione juramenti.

L. 34. § fi. nal. de jure jur.

L. 34. §. 7. eod.

obligat ad jurandum (§. 380.); *juramentum delatum, si acceptatum fuerit, recusari nequit.* Ceterum *juramentum suppletorium & purgatorium per se tale est, ut recusari, aut referri nequeat* (§. 782.).

§. 785.

De eo, qui jurare non vult, cum debeat.

Quoniam qui jurare obligatur, jurare autem non vult, sufficienter significat, se salva conscientia jurare non posse; *id contra non jurantem pro vero habetur, cujus causa jurare debebat.* Quamobrem *si juramentum acceptatum, vel ab arbitro delatum recusatur, contra recusantem pro vero habetur id, cujus causa jurandum erat.*

§. 786.

De juramenti remissione.

Juramentum remitti dicitur, si facta acceptatione pars altera declaret, sese nolle ut actu præstetur, sed id pro præstito habere. Quamobrem *qui juramentum remittit, contra eum pro vero habetur id, cujus causa jurandum erat* (§. 318.). Cum ejus, contra quem juratur, unice intersit, utrum actu jure-tur, necne (§. 781. 415.); ab ipsius quoque unice voluntate dependet, utrum jurari velit, necne (§. 78.), ac propterea *juramentum ab arbitro delatum,*

quam

quam a ſe ſive delatum, ſive relatum, ubi viderit alterum ad jurandum paratum, remittere poteſt.

§. 787.

Pugna dicitur actus, quo duo vi ſeſe invicem impetunt. Quando unus vi impetit res alterius, id ſaltem cauſa pugnæ eſt, quatenus defenſor rei ſuæ vim ad reſiſtendum adhibet. Pugna, de qua duo inter ſe conveniunt, quod per victoriam res controverſa deciſa, vel pugna lis diremta eſſe debeat, *Duellum* dicitur. Quoniam homo obligatur corpus ſuum & integritatem omnium membrorum ejus conſervare (§. 112.), ac omne periculum vitæ atque mutilationis membrorum a ſe avertere (§. 43.), atque eadem obligatio eundem tenet quoad alios (§. 141.); *omne duellum naturaliter illicitum*, conſequenter *nemini competit jus alterum ad duellum vi adigendi, & nemo alterum ad duellum provocare, nec provocatus id ſuſcipere debet.* Enimvero *ſi quis eo animo vi adoritur alterum*, cum unicuique natura competat jus ſe defendendi (§. 90.); *ubi hic ſe defendit, duellum non eſt.* De duello.

§. 788.

§. 788.

Quisnam in pugna vincat.

In pugna vincere dicitur, qui alterum ab eadem desistere cogit; ast *vinci*, qui desistere cogitur. Unde sequitur, *eum victum esse, qui occiditur, qui vulneratur, ut diutius pugnare vel non possit, vel nolit, qui in fugam conjicitur, tum etiam qui sufficienter indicat, se diutius pugnare nolle, veluti arma abjiciendo, vel expressis verbis idem declarando.*

§. 789.

An per duellum litem decidere ac famam tueri liceat.

Cum ex eo, quod alterum in pugna viceris, intelligi minime possit, victorem habere causam justam (§. 788.); *duellum non est modus aptus decidendi causam controversam* (§. 765.). Similiter quia famam aliter defendere non datur nisi ostendendo falsa esse, quæ alter famæ nostræ adversa dixit (§. 126.); *duellum* quoque *non est modus aptus tuendi famam* (§. 787.). Et quia naturaliter illicitum (§. *cit.*); *nec convenire licet, ut per victoriam in duello*, quasi per sortem (§. 669.), *causa controversa sit decisa, aut per duellum, sive vincas, sive vincaris, macula famæ, quæ adspersa fuerat, iterum sit abstersa.*

§. 790.

An in causa du-

Quoniam jus vi adversus alterum per-

persequi non possumus, antequam certo constat, nobis id competere (§. 88. 89.); *in causa dubia nemini jus belli per se competit*, consequenter *bello lacessere alterum, ut vi armorum extorqueas, quod prætendis, minime licet*. Quamobrem cum in causa dubia lis finienda sit vel per amicabilem compositionem (§. 763.), vel transactionem (§. 764.), adhibitis, si ita visum fuerit, mediatoribus (§. 768.), vel per arbitros (§. 770.), vel denique per sortem (§. 670.); *in causa dubia vel amicabilis compositionis, aut transactionis causa, adhibitis mediatoribus, sive absque iis, colloquia instituenda sunt, vel in arbitrum compromittendum, vel diremtio litis sorti committenda*. Quoniam tamen nemini jus suum auferri potest invito (§. 100.), etsi adhuc dubium sit, cum periculum supersit, ne jus eidem adimatur, quamdiu dubium fuerit, cuinam litigantium parti revera competat; *si quis in causa dubia colloquium amicabilis compositionis, aut transactionis causa acceptare noluerit, nec in arbitrum compromittere, multo minus in sortem consentire velit, offerenti competit jus eundem vi ad transactionem*

bia jus belli competat.

adigendi, consequenter *jus belli transactionis causa gerendi* (§. 98.). Eodem modo patet, *si quis in colloquio, vel etiam per mediatores æquas conditiones oblatas acceptare nolit, adversus eundem alteri competere jus belli, ut is vi ad transactionem adigatur.* Cumque homines ~~non~~ nulla urgente obligatione periculum vitæ, aut integritatis membrorum amittendæ, vel statum suum imperfectiorem reddendi subire non debeant (§. 131.), nec bello locum faciat natura, sed malitia hominum, obligationi suæ satisfacere nolentium (§. 99.); *in causa dubia pars utraque obligatur quærere æquas conditiones, quibus bellum vitetur.*

L. II C. de probatione.

§. 791.

An propter possessionem jus belli competat.

Cum possessor de possessione vi dejici nequeat, antequam pars altera jus suum probavit (§. 288.); *in causa dubia nemini competit jus alterum cogendi, ut de possessione decedat*, consequenter *si res controversa ab altero possideatur, occupatio bellica possessionis illicita* (§. 98.), ac propterea *conditiones, quibus bellum vitetur, magis quærere obligatur, qui petit, quam qui possidet.*

§. 792.

§. 792.

Quoniam naturaliter cuilibei constitutum est jus in bonis debitoris, ut, nisi debito tempore solvat, ex iisdem ipsi satisfiat (§. 705.); *si, qui rem tuam detinet, eam restituere non vult, aut non solvere, quod debet, naturaliter rem aliam ipsi auferre licet, non ante reddendam, donec tuam, vel tibi debitum acceperis.* Cum in eo *pignoriscapio* consistat: *pignoriscapio naturaliter licita est & de ea* porro *tenenda, quæ de pignore demonstrata sunt* (§. 697. & *seqq.*). Patet autem, *pignoriscapionem esse oppignorationem necessariam.* *De oppignoratione necessaria.*

§. 793.

Cum nemini jus suum invito auferre liceat (§. 100.), nemo quoque hoc pati teneatur (§. 89.); *si quis rem tuam, quam detinet, tibi restituere, aut debitum solvere noluerit, loco rei tuæ, vel tibi debitæ auferre eidem licet aliam ipsius, quæ tantundem valet;* cum tamen locupletior fieri nequeas ex re aliena (§. 271), *quantum ea pluris est, detentori, vel debitori restituere debes.* Per se autem patet, *si is statim restituere velit, quod tuum est, aut debitum solvere,* quoniam *De expletione juris.*

tum cessat ratio, cur ex re alia ipsius tuum consequaris, *res ablata restituenda.* Ablatio rei alienæ loco suæ, vel sibi debitæ, si eam a detentore, vel debitore consequi non possumus, *expletio juris* appellatur. *Expletio* itaque *juris naturaliter licita.* Patet autem, *expletionem juris non ante perfici, quam ubi constiterit, detentorem rem tuam restituere, aut debitorem debitum solvere nolle, ut suam recipiat,* consequenter *spatium aliquod deliberandi in casu dubio indulgendum.* Quoniam vero necesse est, ut de re expletionis juris causa ablata disponere pro lubitu possis, modo nil committatur, quod juri detentoris, vel debitoris adversum (§. 86.), siquidem ex ea tibi satisfieri debet; *expletione juris facta, dominium in re ejus causa ablata acquiritur* (§. 195.). Immo alias expletio juris prorsus inutilis foret.

CAPUT XIX.
DE
INTERPRETATIONE.

§. 794.

Interpretatio quid sit.

I*nterpretari* idem est ac certo modo colligere, quid quis per verba sua, aut signa

signa alia indicare voluerit. Unde *Interpretatio* est investigatio mentis per verba aliaque signa indicatæ.

§. 795.

Cur opus sit interpretatione.

Si singula verba fixum ac determinatum haberent significatum, ut scilicet semper in eodem significatu acciperentur, neque nunc plus, nunc minus per ea indicaretur, *& loquentes semper mentem suam iisdem sufficienter exprimerent*; *nulla opus foret interpretatione*: *contrarium* vero *cum obtineat*, *interpretatione opus est*.

§. 796.

An promittens verba sua, vel promissarius eadem interpretari possit.

L. 39 de pact.

L. 34. de contrah. emt. vend.

Quoniam jus ex promissione acquisitum (§. 379.) promissario auferri nequit (§. 100.), sed contra promissorem pro vero habendum, quod sufficienter indicavit (§. 318.); *in promissis*, consequenter *etiam in pactis nemo verborum suorum esse potest interpres*, cumque acceptatione non plus iuris acquiri possit, quam transferens in eum transferre voluit (§. 317.); *nec promissario permittendum*, *ut verba promittentis interpretetur eo sensu*, *quo eadem intellecta velit*.

§. 797.

De recta interpretatione.

Recta interpretatio dicitur, quæ fit

 per

per regulas interpretandi demonstratas; quas ideo & promittens & promissarius admittere tenetur. Quamobrem *adversus promittentem valet, quod recta interpretatio jusserit*, consequenter *ad id cogendi promissorem jus promissario competit* (§. 378.).

§. 798.

Quamdiu significatui proprio inhærendum.

l. 50. §. 1. de legatis 1.

Quoniam *paciscentes* loqui obligantur, ut a se invicem intelligantur (§. 437. 438.); ideo *uti debent verbis in eo sensu, quem fert usus loquendi*, hoc est, *proprio, & terminos accipere in significatu recepto*, consequenter *scientes ac volentes a verborum significatu proprio & significatu terminorum recepto recedere non debent*, ac propterea *nec recessisse præsumuntur, quamdiu non adsunt rationes in contrarium*. Unde porro sequitur, *in promissis & pactis interpretandis, a communi usu loquendi non esse recedendum, nisi adsint rationes urgentes in contrarium*. Ast quia usum loquendi successu temporis variari constat; *pacta & promissa interpretanda sunt secundum usum loquendi ejus temporis, quo facta fuerunt*.

§. 799.

§. 799.

De significatu etymologico.

Etymologia est expositio originis vocabulorum. *Etymologus* itaque *inquirit in rationem, cur vocabula primitiva primitus ad has, vel illas res denotandas fuerint adhibita, & a quibusnam derivativa deducantur, ex quibusnam composita componantur, ac quinam sit vi derivationis ac compositionis significatus.* Qui ab etymologia petitur *significatus etymologicus*, item *grammaticus* dicitur: quem cum non attendi constet in usu loquendi; *in pactis & promissis interpretandis significatus etymologicus non attendendus.* Vocabula nimirum significatum habent ab arbitrio hominum; ideoque tantummodo quæritur, quid iisdem significare velint.

§. 800.

De reservationibus mentalibus.

Quia paciscentes loqui obligantur, ut a se invicem intelligantur (§. 437. 438.); *in pactis & promissis interpretandis non admittendæ sunt reservationes mentales* (§. 355.). Hisce sane admissis promissa quælibet eludi possunt.

§. 801.

De cavillationibus vitandis.

Cum ex intentione promissarii constet, quid sibi promitti voluerit; *si manise-*

nifestum fuerit, quinam verborum sensus L. 21. de reb. dub. *conveniat intentioni promissarii, non licet eum perducere ad alium, intentioni* L. 7. §. 2. de supellect. legat. *ipsius e diametro contrarium.* Ita paciscentes, ne urbe dedita sanguis effundatur, vivi defodi nequeunt.

§. 802.

De terminis technicis. Quia *termini technici* eum habent significatum, quem inter artis peritos obtinent; iidem *accipiendi sunt in significatu apud artis peritos recepto, nisi adsint rationes urgentes in contrarium* (§. 798.). *Quodsi vocabula aliquid significent secundum gradus*, etsi definitiones fiant, prout res sunt in gradu perfectissimo, cum tamen iisdem non semper utamur in tam rigoroso significatu, *definitioni eorum non semper stricte inhærendum, sed orationi, cujus pars est vocabulum explicandum, conveniens definitio formanda*, veluti si dicatur, standum esse judicio philosophi, aut medici.

§. 803.

De homonymia & amphybolia. *Si obscuritas oritur ex homonymia, & amphibolia*, cum tunc vocabulum, vel complexio verborum plurium plures habet significatus, qui vero locutus

est

eſt ad eum animum advertiſſe intelligatur, qui ipſi ſuccurrere potuit; *ſignificatus conveniens materiæ, de qua agitur, ceteris præferendus*. Vulgo dicitur: *verba intelligenda eſſe ſecundum ſubſtratam materiam*. Ita ſi triginta dierum induciæ fuerint pactæ, dies quoque noctem comprehendit.

§. 804.

Quia nemo abſurdum velle præſumitur; *ea interpretatio rejicienda, ex qua abſurdum ſequitur*. Ita prohibitio, ne in platea quis ſanguinem eliciat, non trahi poteſt ad chirurgum in platea venam ſecantem, conſequenter *interpretatio ita facienda, ut abſurdum vitetur*. Cumque abſurdum ſit, paciſcentem, vel promittentem nihil agere voluiſſe; *ea interpretatio non admittenda, qua ſtante ſequitur, nihil actum eſſe*. E. gr. Si maritus vxori certam bonorum partem in pactis dotalibus permittit; quod ipſi legat in teſtamento, eo comprehendi nequit.

De vitando abſurdo.

§. 805.

Cum quis idem velle tamdiu præſumatur, quamdiu manifeſtum non eſt quod mutaverit voluntatem; *ſi quæ ob-*

De interpretatione ex antecedentibus.

 ſcure

tibus & conse-quenti-bus. *scure dicuntur, in antecedentibus, vel consequentibus, vel alio loco & occasione sine obscuritate dicta sunt; obscure dicta ita interpretanda sunt, ut cum verborum perspicuorum significatu convaniant.* Cumque brachyologiam amantes verba sua vel ad antecedentia, vel ad consequentia referant; *ita facienda interpretatio, ut inferiora & superiora textus inter se concordent, nisi manifesto appareat, per inferiora superiora fuisse mutata.*

L. 50. § finali de Legatis.

L. XXIV. ff. de Legibus

§. 806.

De interpretatione ex motivis voluntatis. Constat voluntatem determinari per motiva, quæ sunt ratio sufficiens volitionis. *Quodsi* ergo *constet, quænam ratio unice moverit voluntatem alterius,* seu *cur hoc voluerit; verba ita interpretanda sunt, ut eidem conveniant,* consequenter *si rationes plures conjunctim motivum constituant, iisdem conjunctim: si divisim, ut conveniant singulis divisim.* Exemplum esto de ægroto, qui mansit in navi cum legis navis & res deberent esse ejus, qui remanserit.

L. 1. § 2. de Jur. Patronat.

L. IV. de vulgari et Pupillari substitutione

§. 807.

De verbis cum relatione ad ali- Facile per se patet, *si verbum quoddam, vel verborum complexio sumatur cum relatione ad aliquid, significatum,*

quem

quem habet, quando simpliciter sumitur, ita immutandum esse, ut relationi isti conveniat. Ita majore anni parte possedisse intelligitur, qui duobus mensibus possedit, si adversarius diebus paucioribus, aut nullis possedit. quod sumtis. l. 156 de Verb. Signif.

§. 808.

Si qua in pactis ad communem utilitatem spectant & utrique parti æqualiter consulunt, cum nil obstet, quo minus *verba* sumantur in eo significatu, quem habere possunt, nec ulla ratio urgeat, cur ullo modo restringantur; *sumenda utique sunt secundum totam proprietatem usus popularis, aut, si plures sint, eum, quæ latissime patet, nisi vel absurdum quid, vel pacti inutilitas inde sequatur* (§. 803.). Dicitur autem *significatus latior*, quando eadem verba plura significant, quæ etiam pauciora significare possunt, ac interdum solent, veluti si qui de masculis loquitur etiam fœminas complectitur, aut quando idem est nomen generis, quod specie, vel pro substrata materia verborum aliqua complexio ad plura extenditur. De latiori interpretatione. l. 62. de Legat. III.

§. 809.

Si qua partem alteram saltem onerant, De strictiori in-

terpre-tatione. *rant, aut plus onerant alteram*, cum nemo præſumatur ſe nimis onerare velle, *in caſu dubio verba ſumenda in ſignificatu ſtrictiori, immo etiam admittitur aliquantulum figuratus, ut onus nimium vitetur.* Ita auxilia promiſſa ab una parte potentiori, intelliguntur promiſſa impendiis ejus, cui promittuntur. Similiter cum pœna promiſſioni adjecta onus ſit (§. 409. 410.); *verba, quæ pœnam continent, in ſtrictiori quoque ſignificatu accipienda*, ſcilicet *ut admittatur juſta excuſatio, quæ liberet a pœna, nec quævis culpa ad pœnam imputetur.* Dicuntur nimirum *verba ſumi in ſignificatu ſtrictiori*, ſi pauciora ſignificant, cum etiam plura ſignificare poſſint.

§. 810.

Regulæ generales interpretandi. Cum in interpretatione id agatur, ut oſtendatur, quid per verba qui locutus eſt ſignificare voluerit (§. 794.), conſequenter de quonam cogitaverit, cum loqueretur; *interpretatio facienda de eo, de quo veriſimiliter fuit cogitatum, non vero contra idem.* Exemplum eſt argentum legatum vxori pauperi a marito divite, ſi paucum ſit in arca, plus in tabulis. Quoniam vero non ſemper animo no-

ſtro

ſtro obſervantur omnes circumſtantiæ, quæ circa negotium occurrere poſſunt, ut qui loquitur in exprimendis animi ſui ſenſis earundem rationem habere poſſit; *interpretatio ita facienda, quemadmodum eam faceret, qui locutus eſt, ſi præſens eſſet, vel ſi eidem cognita fuiſſent, quæ nunc palam ſunt*. Ita prætor in confirmando tutore ſequitur utilitatem pupillorum, non verba teſtamenti. l. 10 de confirm. Tut.

§. 811.

De interpretatione extenſiva.

Interpretatio extenſiva dicitur, qua ob identitatem rationis volitionis, vel nolitionis mens ejus, qui locutus eſt, extenditur ad caſus, ſub verbis, quibus promiſſio, vel pactum continetur, ſecundum totam eorundem proprietatem minime comprehenſos. Cum poſita ratione ſufficiente volitionis, vel nolitionis, ponatur etiam ipſa volitio, vel nolitio; dubitandum non eſt, ſi de caſu emergente cogitaſſet qui locutus eſt, eum verba ſua ad eundem quoque extenſurum fuiſſe, conſequenter *interpretatio extenſiva admittenda* (§. 810.). l. 4 de vulg. et pupill. ſubſt.

§. 812.

De fraude legi. (§ 286)

Fraudem legi, vel pacto facere dicitur, qui quidpiam facit, quod verbis quidem

dem legis, vel pacti non repugnat, menti tamen legislatoris, vel paciscentis adversatur. Et tale *quid fieri in fraudem legis, vel pacti* etiam dicitur. Cum extra verborum significatum ostendendum sit, quænam in fraudem legis, vel pacti fiant, consequenter id patere debeat per rationem, cur lex data, vel pactio facta; *interpretatio extensiva reprimit fraudem legi, vel pacto faciendam.*

vel pacto facta.

§. 813.

De interpretatione restrictiva.

Interpretatio restrictiva est, qua casus aliquis sub verbis legis, vel pacti equidem comprehensus, ob defectum tamen rationis sufficientis, cur legislator, vel paciscens hoc fieri voluit, vel noluit excipitur. Eodem vero, quo ante (§. 811.), modo patet, *interpretationem restrictivam esse admittendam.* Quoniam interpretatio facienda de eo, de quo verisimiliter cogitatum (§. 810.); *si materiæ, de qua agitur, parum convenit ut verba tam late sumantur, quemadmodum patere videntur, per interpretationem restrictivam eidem convenienter restringenda sunt*; deficiente utique ratione sufficiente volitionis & nolitionis. Et quia nemo absurda velle præsumitur, consequenter in casu emergente, quo quis

quis absurdum velle debebat, cessat volitionis ratio sufficiens; *si inde sequatur absurdum aliquod, quod eam mentem illi, qui locutus est, tribuere velis, quam verba generaliter posita indicant, hæc ita restringenda sunt, ut absurdum evitetur.* L. 1. de servitute legata. Enimvero *si res, quas ratio sub se comprehendit, spectentur non secundum existentiam, sed quatenus existere possunt; ubi certum non est, eas existere non posse, restrictio facienda non est;* manifestum enim est, restrictionem fore menti ejus, qui locutus est, adversam.

§. 814.

De tacita conditione, si res maneant, quo sunt loco.

Cum ex ratione sufficiente promissionis intelligatur, cur promissor quid promiserit; *si status rerum præsens in ratione sufficiente promissionis non continetur promissa in se non habent tacitam conditionem, si res maneant, quo sunt loco: ast habent in casu opposito.*

§. 815.

De casibus tacite exceptis. cap. 25. X. de iure iurando

Quoniam obligatio naturalis immutabilis (§. 38.); *si casus emergit, quo verba sequi legi naturæ repugnaret, casus hic excipiendus.* Et cum naturaliter non obligemur aliorum commoda promovere, nisi quatenus citra neglectum officii erga se ipsum fieri potest (§. 133. 134.);

134.); *si casus emergit, in quo verba sequi nimis grave foret ei, quem quis ad aliquid præstandum obligare sibi voluit, vel qui se alteri obligare voluit, casus iste excipiendus.*

L. 73. §. 1. de iure dotium.

§. 816.

De casibus excipiendis.

Cum in pactis promissarius promittentem sibi obliget ad hoc faciendum (§. 438. 380.); *pacta, quatenus promissa continent, assimilantur legibus* (§. 39.). Quamobrem *quæ de legum collisione valent*, supra explicata (§. 64.), *ea etiam valent de collisione pactorum.* Ceterum cum casus emergentes referri debeant inter ea, de quibus cogitatum non est, cum promitteretur, vel conveniretur; *si rationes particulares adsunt, per quas apparet, quid excepturus fuisset, qui locutus est, siquidem de casu collisionis cogitasset, id excipiendum, etiamsi alio ducant regulæ de pactorum collisione.*

§. 817.

Cujusnam verba in interpretandis pactis magis attendenda.

Denique quia promissarius promissorem sibi obligare nequit ultra voluntatem suam (§. 317. 379.), contra hunc vero pro vero habetur, quod sufficienter indicat (§. 318.), & *conditionem offerre* dicitur, qui declarat, quid sibi

sibi promitti velit; *accipere* vero, qui illi promittit; *in pactis interpretandis magis attendenda sunt verba conditionem accipientis, quam offerentis, nisi verba illius ad verba hujus referantur.*

CAPUT XX.

DE MORTUIS ET NONDUM NATIS.

§. 818.

Quando *homo* moritur, omni potentia agendi privatur, nec rebus ullis amplius indiget. Quamobrem nullius amplius obligationis & juris capax (§. 37. 46.). *Quamprimum* itaque *moritur, omne jus suum amittit, & omnis ejus obligatio cessat*, consequenter quoque *dominium, quod habuit in rebus, ac jus omne aliud inde pendens, omne quoque jus ad rem amittit.* *Effectus mortis quoad jura & obligationes.*

§. 819.

Enimvero quia *homo* dominium rerum suarum & jus quodcunque aliud in re, vel ad rem in alterum transferre potest, quacunque lege voluerit (§. 314.), nisi personale fuerit (§. 400.); *dominium quoque rerum suarum & jus quodcunque aliud, nisi personale fuerit,* *Quomodo bona defuncti in alios transmittantur.*

in eventum mortis in alium transferre potest, consequenter *id morte sua in eum transmittit, in quem in eventum mortis id transtulit, ac ideo jus ab eo amissum non extinguitur, & qui fuerant illius debitores, ipso mortuo nunc sunt hujus.*

§. 820.

De jure creditoris ad bona defuncti.

Similiter quia bona debitoris naturaliter oppignorata sunt pro debitis creditori (§. 705.), & jus creditoris iisdem inhæret (§. 697.), quod eidem auferri nequit (§. 100.); *debitore mortuo, jus creditoris, ut ex iis eidem satisfiat, subsistit, ac cum rebus transit in eum, in quem dominium rerum defuncti transmittitur, si vero defunctus res nullas relinquit, dabitum interit.*

§. 821.

De jure transmissibili & non.

Jus transmissibile appellamus, quod amissum ab eo, qui habuit, in alium abit: *non transmissibile*, quod amissum ab eo, qui habuit, in alium non abit. *Jus* igitur *transmissibile morte sua in alium transmittit defunctus*, veluti usumfructum ipsi & liberis ejus constitutum in liberos.

§. 822.

§. 822.

Quoniam fama etiam post mortem superest, & bene a recte factorum memoria conservatur; *officia* quoque *quoad famam, existimationem, honorem ac laudem aliis debita* (§. 142.), *etiam post mortem eorum subsistunt.* Similiter quia mors benefactoris non delet memoriam beneficiorum; *iis etiam mortuis gratias agere debemus, beneficia nobis tributa narrando & prædicando* (§. 474.): cumque aliis quoque benefacere possimus in iis, quos amant, quippe quorum felicitatem perinde expetunt ac propriam; *mortuis benefacere debemus in iis, quos amarunt, quantum in potestate nostra est* (§. 133.), veluti *in liberis ipsorum, vel agnatis.* *De officiis erga mortuos.*

§ 823.

Quoniam natura *homines omnes* æquales sunt (§. 70.), omnes etiam amare debemus tanquam nosmetipsos (§. 136.), & quod perfectione naturali superent res creatas omnes, per se patet; eos quoque *spectare debemus tanquam æque homines amore nostro dignos & omnium creaturarum præstantissimos,* *De honore humanitatis.*

consequenter etiam *id externis actibus testari*: in quibus cum *Honor humanitatis* consistat, qui homini defertur, quatenus homo est; *honorem humanitatis unicuique exhibere debemus*, consequenter *etiam in modo, quo mortuos ex conspectu nostro removemus.*

§. 824.

De Jure sepulturæ.

Quamobrem cum mortuos e conspectu nostro removeri necesse sit, modus autem hoc faciendi omnium commodissimus sit, si humentur, seu cadavera eorum humo tegantur, quod facile patet; *mortuos sepelire* (§. 48.), & *in exequiis*, quæ sunt actus solennis, quo corpus mortui effertur ad sepulchrum, *non modo ea fieri debent, quæ humanitati conveniunt* (§. 823.), *verum etiam quæ officiis erga mortuos consentanea sunt* (§. 822.). Patet itaque, *Jus sepulturæ humanitati deberi, seu homini ideo competere, quia homo est.*

§. 825.

De sectione cadaverum humanorum.

Cum sectione cadaverum humanorum distincta notio totius corporis humani & singularum ejus partium acquiratur, quæ non modo ad sanitatis & morborum cognitionem acquirendam ne-

necessaria (§. 113.), verum etiam Deum ex structura corporis humani agnoscamus, quod nemo in dubium vocare potest; *sectio cadaverum humanorum licita est naturaliter* (§. *cit.* & §. 163.). Quia inde minime infertur, nos eos, quorum cadavera secamus, non habere pro æque hominibus & creaturarum omnium præstantissimis, aut qui amore digni sint; *sectio cadaverum humanorum honori humanitatis non repugnat* (§. 823.). Qatenus tamen officia mortuis debita non respectu omnium eadem sunt (§. 822.); *fieri potest, ut illa cum iisdem consistere nequeat.* Et facile patet, *eam in cadaveribus omnibus administrari non posse.*

§. 826.

De luctu mortuorum causa.

Luctus dicuntur actus externi, qui tristitiam indigitant; suntque vel *naturales*, qui per essentiam & naturam corporis humani tristitiam comitantur; vel *voluntarii*, quibus tristitiæ significatum imponimus. Cum jactura amicorum, benefactorum & bene de nobis atque aliis meritorum ad mala fortunæ pertineat, homini autem naturale sit, ut ma-

la præſentia triſtitiam gignant; *amicos mortuos, benefactores atque eos, qui bene de nobis atque aliis meriti ſunt, ne lugeamus, lex naturæ prohibere nequit* (§. 60.). Quoniam tamen officia lege naturæ præſcripta inviolabilia ſunt (§. 42.); *luctus mortuorum ita moderandus, ne quid committatur officio in adverſis* (§. 130.) *& fiduciæ in Deo atque acquieſcentiæ in providentia divina contrarium* (§. 173.). Cumque nobis jus ſit ad ea, ſine quibus officiis erga mortuos ſatisfacere non poſſumus (§. 46.); *luctus* quoque *voluntarius officiis erga mortuos conformis naturaliter licitus*, veluti ſi veſte lugemus mortuos.

§. 827.

An nondum nati habeant jus. Qui nondum natus eſt, aut in utero materno adhuc exiſtit, aut ne a matre quidem conceptus eſt. Quamobrem cum qui nondum exiſtit, agere nequeat, & qui in utero materno adhuc latet, inter homines agere non poſſit, conſequenter nondum natus ſubjectum juris eſſe nequeat (§. 46.); *nondum natus jus nullum habere poteſt*, conſequenter *nec ullum acquirere*, &

pro-

propterea *nec fœtus in utero jus acquirere potest.* Quamobrem *si quis dicat, se jus quoddam transferre in nondum natum*, veluti in fœtum in utero latentem, *id intelligitur velle, ut quando nascitur, seu per nativitatem idem acquirat.*

§. 828.

Cum jura transmissibilia per nativitatem acquirantur (§. 827. 821.); *si jus aliquod tibi ac a te descendentibus* (per nativitatem scilicet) *collatum una tibi & a te descendenti competere potest, quamprimum hic nascitur, idem acquirit: quodsi* vero *in te transfertur jus, certa lege in nondum natos transmittendum successive morte possidentis, quamprimum illi nascuntur, acquirunt jus succedendi in jus in te translatum, conditione lege definita existente*, quod conditionatum esse per se patet. *De jure in nondum natos transmissibili.*

§. 829.

Quamprimum quis in utero materno conceptus est, spes est eum natum iri, consequenter jus, quod per nativitatem acquiritur, ab eo acquisitum iri. Quamobrem cum ea æquipolleat spei, quam habet promissarius ex *De spe jus per nativitatem acquisitum iri.*

conditionata promissione, atque hæc eidem auferri non possit (§. 396.); *fœtui in utero spes acquirendi per nativitatem jus quoddam auferri nequit.*

§. 830.

De renunciatione pro nondum natis.

Quoniam qui nondum natus, nec in utero materno adhuc conceptus est, nec jus, nec spem jus acquisitum iri habere potest (§. 827.), ast fœtus in utero non quidem jus habet, spem tamen jus excitaturam, si nascatur, auferri ipsi nesciam (§. 829.); *juri per te in nondum natos transmittendo renunciare potes pro te & nondum natis, nec adhuc conceptis, citra eorum injuriam* (§. 87.), *ast non pro fœtu in utero.* Cum renunciatio a voluntate renunciantis unice dependeat, & qua lege renunciare velit (§. 342.); *naturaliter non repugnat, ut, si quis renunciet juri per se in nondum natos transmittendo, sibi reservet jus idem in nondum natos transmittendi*, cumque repudiatio non contineat renunciationem pro nondum natis (§. 339. 340.); *repudiatio juris in nondum natos transmissibilis nondum natis minime nocet.*

§. 831.

De jure providentia majorum quæsito.

Jus, quod certa lege successive ab uno in alios transmittitur, dicitur *providentia majorum quæsitum*: transmittens nimirum non sua voluntate transmittit, sed necessario; *non* idem *habet a transmittente*, *qui acquirit*, *verum a primo acquirente.*

§. 832.

De officiis erga posteros.

Posteri in genere dicuntur, qui mortuiis iis, qui jam vivunt, demum nascuntur; ac in specie *posteri tui*, qui te mortuo per nativitatem a te descendunt; sicuti ex adverso *Majores*, qui ante parentes nostros vixerunt. Cum posteri sint homines in locum nostrum, nobis mortuis, succedentes, homines autem conjunctis viribus se statumque suum perficere obligentur (§. 44.); *quicquid in utilitatem posterorum facere possumus*, *ad id faciendum sumus obligati*, veluti *si operam demus*, *ut scientiæ ac artes virtutesque morales ad eos propagentur*, *& ne desint arbores fructiferæ*, *nec sylvestres lignandi causa.*

PARS III.

DE IMPERIO ET OBLIGATIONIBVS ATQVE JVRIBVS INDE NASCENTIBVS.

SECTIO I.

DE IMPERIO PRIVATO.

CAPUT I.

DE IMPERIO ET SOCIETATE IN GENERE.

§. 833.

Imperium quale jus.

Imperium dicitur jus determinandi actiones liberas alterius pro lubitu suo; & qui imperium habet, *imperare* dicitur. *Imperium* itaque *involvit jus obligandi alterum ad actiones suas sic & non aliter determinandum*; cum alias esset inutile. Jus in actiones alterius *Potestas* etiam vocatur.

§. 834.

An imperium in alios natura competere possit.

Cum natura actiones hominis independentes sint a voluntate alterius cujuscunque, nec is in agendo dependeat nisi a seipso (§. 77.); *natura* quoque *nemini imperium in alios homines competit*: cumque cuilibet permittendum sit,

ſit, ut in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, nec ulli hominum rationem reddere teneatur, cur hoc faciat, vel non faciat (§. 78.); *nemo ſibi in alium invitum imperium arrogare poteſt.*

§. 835.

Is, in quem alter imperium habet, *ſubjectus* eidem dicitur. *Natura* igitur *nemo alteri ſubjectus eſt* (§. 834.), *nec invitus quis alteri ſubjici poteſt* (§. *cit.*). Aſt quoniam imperans ſubjectum obligare poteſt ad actiones ſuas ſic & non aliter determinandas (§, 833.); *ſubjectus obligatur actiones ſuas ad voluntatem imperantis componere*, conſequenter cum *parere* vel *obedire* dicatur, qui actionem ſuam ad voluntatem alterius componit; *inobediens* vero ſit, qui hoc facere recuſat; *ſubjectus imperanti parere, vel obedire obligatur, nec inobediens eſſe debet.* Facile autem patet, *ſubjectum quoad eas actiones, in quas imperanti jus eſt, liberum non eſſe* (§. 77.), conſequenter *qui ſe alteri ſponte ſubjicit, libertati naturali quod eas actiones renunciare, in quas imperanti jus concedit* (§. 340.). *De eo, qui alteri ſubjectus.*

§. 836.

§. 836.

De societate ac inde oriente jure & obligatione.

Societas in genere est pactum, vel quasi pactum de fine quodam conjunctis viribus consequendo. Ipsa quoque multitudo hominum finis cujusdam consequendi causa consociatorum *Societas* dici solet. *Societates* igitur *differunt fine, qui intenditur, seu cujus gratia ineuntur.* Qui societatem contrahunt, *Socii*, vel *Membra societatis* vocantur. *Quilibet* itaque *socius facere obligatur, quod ad finem consequendum facere potest, & quod ut faciat specialiter conventum* (§. 438.), consequenter *sociis competit jus cogendi consocium, ut satisfaciat obligationi.* Quamobrem *universis competit jus in singulos: obligationes vero ac jura singulorum metienda sunt ex fine*, in quem consensere omnes, *atque ex iis, de quibus in pacto specialiter conventum* (§. 438.), *& universis competit jus determinandi ea, quæ ad finem societatis consequendum necessaria*, seu ad media, quibus, finem ut consequantur, studere velint.

§. 837.

De salute societatis & bono

Non impeditus progressus ad finem societatis consequendum, *Salus societatis*

communi sociorum.

tis dicitur; ipse autem finis, quatenus obtinetur, utpote singulis utilis, *commune bonum.* Quamobrem *quilibet socius commune bonum promovere pro virili & modo convento debet, nec quicquam committere, quod sit saluti societatis adversum*, consequenter *quantum datur curare, ut ceteri quoque socii faciant, quæ ad finem ~~civi~~tatis* [Socie] *consequendum conducunt, ac removere impedimenta, quæ obstant, quo minus eundem consequi detur*, ideoque *socios ope ac consilio juvare.*

§. 838.

De imperii ortu in societate.

Jus universis competens in singulos, cum in determinandis ipsorum actionibus consistat (§. 836.), *imperium est* (§. 833.). Quamobrem cum ex pacto, vel quasi illud oriatur (§. 836.); *in societate imperium ex pacto oritur, vel quasi*, atque *universis competit*, consequenter *singuli obedire tenentur universis* (§. 835.).

§. 839.

De societate æquali & inæquali.

Cum ex pacto obligationes ac jura singulorum metienda sint (§. 836.); *si societas simpliciter contrahitur, omnium eadem est obligatio & jus idem*, consequenter *socii omnes æquales sunt* (§. 70.), tumque

tumque *societas* dicitur *æqualis*; ac ideo *in societate æquali nulla est prærogativa* (§. 71.); ast *si expresse conveniatur, ut unus sociorum ad quid præstandum obligatus sit, ad quod ceteri non teneantur, vel uni cuidam jus competat, quod ceteri non habent, socii inæquales sunt* (§. 70.), atque tunc *societas inæqualis* appellatur; ac ideo *in societate inæquali uni præ ceteris prærogativa quædam competere potest.*

§. 840.

De præcedentia sociorum.

Quoniam in societate æquali, in qua socii omnes æquales sunt, nulla datur ratio intrinseca, ab ipsa nimirum sociorum natura derivata, præcedentiæ (§. 75.), ordo tamen necessario quidam observandus est; *qui societatem æqualem contrahunt, de præcedentia pro lubitu convenire possunt. Quodsi* vero *post ea quidam accedunt*, cum nemini jus suum auferri queat (§. 100.), *eum servare debent ordinem, qua in societatem veniunt, nisi extra ordinem locum alium accedenti cedere ceteri velint*; quippe quod arbitrii ipsorum est (§. 342.). Enimvero cum in societate inæquali socii alii plus juris habeant aliis, vel plus ad bonum commune

L. C. de albo scribend.

ne

ne promovendum conferre obligentur (§. 839.); *qui plus juris habet, vel etiam ad commune bonum plus conferre debet ceteris, ei præcedentia naturaliter competit*, nimirum si supponitur rem decidendam esse per rationem naturalem, in conventionibus regnante arbitrio convenientium. Hinc vero ulterius sequitur, *ut, qui in locum ejus, cui præcedentia per rationem intrinsecam competit, succedit, eidem quoque præcedentia competat. Non* vero *in societate attendi præcedentiam, quam quis habet extra eam*, facile inde patet; quia in societate non attenduntur, nisi jura & obligationes, quæ socium tanquam personam moralem faciunt (§. 96.).

d. 1. de albo scribendo.

§. 841.

De consensu singulorum ad decernendum requisito

Cum socii adjunctis viribus ad finem societatis consequendum contendere debeant, & ad hoc singuli sese universis obligaverint (§. 836.); *quicquid finis consequendi gratia fieri debet, communi sociorum consensu determinandum.* Quamobrem *quando societas contrahitur, omnium consensu statuendum est de iis, quæ constanter ac semper eodem modo fieri debent, & casu emergente, qui ad societatem spectat, quid in eo sit faciendum.*

§. 842.

§. 842.

De votorum differentia. Declaratio voluntatis ſuæ de eo, quod plurium conſenſu determinandum, dicitur *Suffragium*, uſitatius *Votum*; idque *affirmativum*, quo declaratur voluntas de eo, quod fieri debet; *negativum*, quo declaratur noluntas de eo, de quo conſultatur. Dicuntur autem *Vota conſentientia* eorum, qui ejusdem ſunt ſententiæ; *diverſa* illorum, quorum ſententiæ in diverſum abeunt. *Vota unanima* ſunt, quando vota omnium ſunt conſentientia; *majora* ſunt vota conſentientia majoris partis; *minora* partis minoris. Sed *paria* ſunt vota, quando conſentientium & diſſentientium idem numerus.

§. 843.

Quomodo per vota concludendum. *Concludere* dicuntur conſultantes, quando votis inter ſe collatis determinatur, quid fieri, aut non fieri debeat; & quod fieri, aut non fieri debere per vota determinatum, *Concluſum* vocatur. Cum *vota meliora* dicantur eorum, quorum judicium de eo, quod fieri debet, verius eſt: facile autem intelligatur, unumquemque votum ſuum habere

pro

pro meliori, negotium tamen exitum habere debeat; *vota meliora concludere nequeunt*, consequenter *majora concludant necesse est. Qui* itaque *societatem contrahunt, inter se convenire debent, ut, quod majori parti visum fuerit, id habendum sit pro sociorum omnium voluntate, sicque per partem majorem obligetur minor.* Quoniam itaque vota numerantur, si concludendum, non vero *ponderantur*, inquirendo scilicet, quænam sint meliora; *vota paria non concludunt* (§. 842.). Quamobrem *res manent in eo statu, in quo sunt*, consequenter *quoties nihil concludendo negotium exitum habere nequit, veniendum est vel ad sortem* (§. 669.), *vel necesse est, ut uni competat votum decisivum*, quo parti uni accedente efficiuntur majora; *aut si negotium fert moram, consultatio repetenda.* Dicitur autem decisio negotii controversi per paritatem votorum *Calculus Minervæ.* Enimvero *si vota majora haberi nequeunt*, ob diversarum scilicet sententiarum *pluralitatem*, cum tamen curandum sit, ut negotium exitum habeat; plus valere debent illa vota, quibus pauciora adversantur,

quam quibus plura, ideoque *sequendum erit id, quod paucioribus displicet*; cum sequi non liceat id, quod plurimis placet, veluti si tres reum damnent in viginti florenos, quatuor in decem, duo absolvant, prævalere debet secunda, quæ quinque sibi vota adversa experitur, primæ sex, tertiæ septem contrariis.

§. 844.

De votis absentium.

Qui absens est, nec ad consultationem vocatus votum suum alteri *præsenti committit, aut præsens suffragium ferre non vult, aut alio modo ferre impeditur*, cum in casu primo tacite, in secundo expresse juri votandi renunciet (§. 340.), idque facere liceat (§. 342.), in tertio autem jus non habeat; *ejus in votis numerandis nulla habenda ratio est.* Vulgo dicitur: *vota absentium*, aut cum Grotio, *jus absentium accrescere præsentibus*. Habetur vero præsens, qui votare non vult, vel non potest, pro absente. Possunt autem de votis ferendis multa conveniri ex pacto servanda (§. 348.).

Lib. 2. cap. 5. §. 20.

§. 845.

De votorum inæquali valore.

Quoniam duplicem socium repræsentat, qui ad finem societats consequen-

quendum plus confert aliis sociis, & ita porro; *si quis ad finem societatis consequendum plus confert aliis sociis, valor voti æstimandus est in ratione collati sui ad collatum minimum.* Atque hinc porro intelligitur, *si rem, in qua fundamentum habet societas, non æqualiter omnes participant, vota æstimanda esse in ratione ejus, quod unus quisque participat,* veluti si in fundo alius partem dimidiam, alius sextam, alius tertiam habeat, quo in casu vota erunt ut 3. 1. & 2.

§. 846.

Conventiones sociorum de iis, quæ finis consequendi causa semper eodem modo fieri debent, leges sunt (§. 39.). *Quælibet* itaque *societas suas habere debet leges, & eidem competit jus ferendi leges* (§. 841.). Quoniam itaque leges præscribunt media, quibus finis societatis obtinetur; *sine legum custodia salus societatis subsistere nequit, nec transgressio earundem ferenda* (§. 837.), consequenter *societati* quoque *competit jus sanciendi pœna legum observantiam* (§. 35.), & per consequens *transgressores legum puniendi.* Hinc porro consi- *De legibus societatis.*

 citur,

citur, *qui in societatem recipitur, eum vel expresse promittere debere, vel tacite promittere intelligi legum observantiam.* Cum vero leges vim suam habeant a consensu sociorum; *societati integrum est leges, quando visum fuerit, tollere & immutare, atque novas etiam condere.*

§. 847.

De concordia sociorum.

Cum *concordes* dicantur, qui idem volunt, aut nolunt; *discordes* vero, quorum voluntas & noluntas in diversa abit; consequenter *socii concordes sint, si legibus societatis se subjiciunt* (§. 846.), *eorumque vota vel unanimia fuerint, vel si majoribus se non opponunt* (§. 842.), *iidem concordes esse debent* (§. 846. 843.). Hinc autem porro patet, *concordia sociorum salutem societatis conservari* (§. 837.).

§. 748.

De mutuo adjutorio.

Adjutorii nomine veniunt actus, quibus vel ad factum alterius concurrimus vel bonum alterius promovemus. Ideo *mutuum adjutorium* est, quod duo, vel plures sibi invicem præstant. *Socii* igitur *ad mutuum adjutorium obligantur* (§. 837.).

§. 849

§. 849.

Si finis societatis illicitus est, societas quoque illicita est (§. 49.). *Ex societate* autem *illicita nulla nasci potest obligatio, nec jus acquiri ullum.* *De societate illicita.*

§. 850.

Quoniam in societate socii conjunctis viribus agunt (§. 836.); *quælibet societas spectanda est instar unius personæ.* Quamobrem cum homines naturaliter liberi sint (§. 77.), & dum societatem contrahunt, sese sibi invicem tantummodo obligant, non aliis (§. 836.); *quælibet societas naturaliter libera est.* Ac propterea *societates plures diversæ spectandæ sunt tanquam personæ singulares liberæ.* *Quomodo spectandæ sint societates.*

§. 851.

Cum omnium sociorum actiones tendant ad finem societatis (§. 836.); *perfectio societatis consistit in aptitudine finem ejus consequendi* (§. 9.), *æstimanda* ideo *ex sufficientia virium, quas socii conjungunt.* Atque hinc sequitur, *ut ad societatem quamlibet tot requirantur personæ atque tales, quot & quales ad finem societatis consequendum sufficiunt.* *De perfectione societatis.*

§. 852.

Quando a societate discedere liceat. Cum finis societatis, quatenus obtinetur, bonum societatis commune sit (§. 837.); *si quid fit, quod fini consequendo adversatur, damnum societati datur* (§. 269.). Quamobrem cum *nemo sociorum damnum societati dare debeat* (§. 837.); *a societate recedere non licet cum damno sociorum*, immo *si ita fuerit conventum, nunquam recedere licet sine sociorum consensu* (§. 438.). Et quoniam alio æque idoneo in locum suum substituto damnum societati non datur; *a societate discedere licet, si quis socium alium æque idoneum in locum sui substituit.*

§. 853.

De socio excludendo. Quoniam *socius* a pacto, quo societas nititur (§. 836.), discedit, *si præstare nolit, ad quod præstandum vi societatis tenetur* (§. 442.); *ex societate* ea de causa *excludi potest*. Et *si socius unus solo arbitratu suo omnia fieri velit*, cum tunc auferre velit ceteris jus suum (§. 841.), quod pati ceteri minime tenentur (§. 100.); *eundem excludere licet, vel etiam ei, qui hoc pati non vult, a societate discedere* (§. 442.).

CAPUT

CAPUT II.

DE MATRIMONIO, SEU SOCIETATE CONJUGALI.

§. 854.

Cum membra genitalia utriusque ſexus genus humanum faciant aptum ad ſpeciem ſuam conſervandam, & præterea homines, perinde ac animalia cetera, natura ferantur ad conjungendum uſum membrorum genitalium, qui ad procreandam ſobolem requiritur; *homines univerſim ſpectati obligantur ad ſpeciem ſuam conſervandam, & ſinguli ad coitun non appetendum, niſi ſobolis procreandæ cauſa* (§. 43.), conſequenter *coitus omnis, qui ſolius voluptatis percipiendæ gratia appetitur, omnisque membrorum genitalium uſus eodem fine factus illicitus*. Hinc *fornicatio*, ſeu *ſcortatio*, qui eſt concubitus cum *meretrice*, hoc eſt, fœmina ſe pluribus proſtituente; *ſtuprum*, qui eſt concubitus cum fœmina ſoluta pluribus ſeſe non proſtituente; *ſodomia*, concubitus hominis cum beſtia; *pædeſtria*, concubitus maris cum mare; *maſtrupatio*, qua homo propriis manibus venerem ſecum exer-

De obligatione generis humani conſervandi & coitu licito.

cet, *lege naturæ prohibentur*, *ac* ideo *actus naturaliter illiciti sunt* (§. 49.).

§. 855.

De educatione prolis & modo propagandi genus humanum.

Infantes in lucem editi nondum apti sunt ad sibimet ipsi prospiciendum de iis, quibus ad conservationem sui indigent, & ad actiones suas juxta naturæ legem determinandum, seu ad vitam hominis ex sese vivendum. Quamobrem cum homines speciem suam conservare debeant (§. 854.); *qui prolem generant eandem quoque aptam efficere debent ad vitam hominis ex sese vivendum*, consequenter cum studium, quo id efficitur, educatio sit, *qui prolem generant*, *eandem quoque educare debent*. Unde sequitur, *ut*, *qui prolem per concubitum illicitum genuit*, *veluti stuprator*, *eandem educare obligetur*. Cumque ad educationem & matris & patris cura atque industria requiratur, *uterque etiam ad educationem prolis conferre debet*, *quantum potest*. Quoniam itaque *concubitus promiscuus* est, si fœmina quemvis concubere secum volentem admittit, sicque incertus est; *genus humanum per concubitum promiscuum propagari minime debet*, consequen-

cap. 5. X. de eo qui duxit in matrimonium quam polluit adulterio.

5. 3. 2. De agnosc. l. alendis liberis

quenter *sobolis procreandæ ac educandæ gratia inter marem & fœminam societas ineunda* (§. 836.).

§. 856.

Societas inter marem ac fœminam, sobolis procreandæ ac educandæ causa inita, dicitur *Societas conjugalis*, seu *Matrimonium.* Quamobrem *ad prolem generandam inepti sive per ætatem, sive ob vitium quoddam corporis, matrimonium contrahere nequeunt; &, si qua alia de causa inter marem & fœminam contrahitur societas*, veluti mutui adjutorii in re œconomica & aliis vitæ humanæ casibus gratia, *ea matrimonium non est.*

Matrimonium quid sit & quinam contrahere possint.

§. 1. J. de patria potest. L. 39. §. 1. de iur dotium.

§. 857.

Quoniam matrimonium non contrahendum, nisi sobolis procreandæ & educandæ causa (§. 855. 856.), experientia autem domestica constat, genus humanum abunde propagari per *monogamiam*, hoc est, si matrimonium inter marem unum & fœminam unam contrahatur; eademque educationi prolis maxime convenit (§. 855.), & imaginem modoque juris naturæ conspicimus in brutis, quando mas & fœmina ad prolis

An matrimonium consistere debeat in monogamia.

 edu-

educationem concurrere tenentur; *quin legi naturæ consentaneum sit, ut matrimonium contrahatur inter fœminam unam & marem unum, dubitandum non est*, consequenter *polygamia*, matrimonium personæ unius cum pluribus contractum, *legi naturæ parum convenit, &, si solius voluptatis percipiendæ causa contrahitur, manifesto illicita* (§. 854.).

§. 858.

De obligatione & jure conjugum mutuo.

Qui matrimonium contraxerunt, communi nomine *Conjuges* appellantur; & mas in specie *Maritus*, fœmina *Uxor*. *Quando igitur matrimonium contrahitur, mas fœminæ & fœmina mari se obligat, quod corporis sui usum generationis causa velint sibi invicem & quidem solis concedere, atque ambo ad educationem prolis conferre, quod possint* (§. 856. 855.), consequenter *fœmina in marem, mas in fœminam transfert jus in corpus suum quoad hunc usum.* Cumque ideo jus alterius conjugis violetur, *si unus conjugum cum persona alia coitum celebret* (§. 83.); *injuriam eidem facit* (§. 87.), *atque a pacto*, quo matrimonium contractum (§. 836. 856.), *discedit* (§. 442.).

1. Cor. VII, 4. Debitum conjugale, eheliche Pflicht.

§. 859.

§. 859.

Concubitus perſonæ conjugatæ cum lia ſive ſoluta, ſive conjugata, altero onjuge inſcio, vel invito, *Adulterium* dicitur. *Adulterium* itaque *illicitum eſt*. *Adulter* tamen *prolem ex dulterio genitam educare tenetur* §. 855.). *Adulterium num ſit illicitum.*

§. 860.

Pellices dicuntur fœminæ, quas maitus præter uxorem concubitus cauſa abet. Cum per *pellicatum* intendatur rimario voluptatis venereæ perceptio; undem *naturaliter illicitum eſſe* patet §. 854.), *nec concubitus cum pellice ab dulterio differt* (§. 859.). *De pellicatu.*

§. 861.

Liberi ex matrimonio nati *legitimi* diuntur; extra matrimonium prognati, eluti ex ſtupro, adulterio, *ſpurii*; ex ıeretricibus vero geniti *vulgo quæſiti*. *De differentia liberorum.*

§. 862.

Pudicitia dicitur animus ab omni oncubitu illicito alienus; *Impudicitia* nimus in concubitum illicitum pronus. *Virginitas* vero appellatur imıunitas ab uſu membrorum genitalium in *De pudicitia & virginitate ac jure eam defendendi.*

in coitu cum mare; quæ ideo *in primo coitu amittitur.* Patet igitur, *si virgo vi comprimitur, virginitatem eidem vi eripi; si vidua, vel conjux, pudicitiam ejus violari,* consequenter *virgini competere jus virginitatem, viduæ ac conjugi pudicitiam defendendi* (§. 46. 90.), *idque infinitum* (§. 94.), consequenter *stupratorem violentum occidere licet, si periculum aliter evitari non possit.*

§. 863.

Quomodo matrimonium perficiatur.

Cum *matrimonium* pacto contrahatur (§. 856. 836.); *mutuo maris ac fœminæ consensu naturaliter perficitur* (§. 438.), consequenter *ad declarationem consensus mutuam copula carnalis,* quæ est conjunctio corporum maris & fœminæ, qualis ad generationem requiritur, *statim accedere potest.*

§. 864.

De sponsalibus.

Pactum de matrimonio ineundo dicuntur *Sponsalia*; & personæ, quæ ita contraxerunt, *Sponsus* & *Sponsa*. Quamobrem *ex sponsalibus oritur obligatio ad matrimonium ineundum, prouti conventum fuerit* (§. 393.), *mutuo tamen dissensu sponsalia dissolvi possunt* (§. 444.), *& si bina fuerint celebrata, priora præferuntur*

runtur (§. 421.), *quodsi* vero *persona, in cujus præjudicium posteriora fuerunt celebrata, jus suum remittit*, quod facere utique potest (§. 342.), *posteriora fiunt valida* (§. 337.). Patet vero, *si personæ non conjugatæ in copulam carnalem consentiunt, naturaliter easdem matrimonium actu contraxisse* (§. 863.). Cum sponsalia contrahendo matrimonium promittatur; *tot modis fieri possunt*, *quot promitti potest*, & *de iisdem valent*, *quæ de promissionibus ostensa fuerunt.* cap. 30. X. eod.

§. 865.

Arrhæ sponsalitiæ dicuntur, quas sponsus sponsæ, & sponsa sponso dat; *Munera* autem *sponsalitia* sunt dona, quæ persona desponsata una alteri dat, ad declarandum amorem. *Dantur* itaque *arrhæ sponsaliorum probandorum & confirmandorum causa* (§. 619.), &, *si in iis dominium transfertur, ea simul rationem muneris sponsalitii habent* (§. 475.). Cum *munera sponsalitia* dentur spe matrimonium consummatum iri; *sub tacita hac conditione data intelliguntur*, *ut restituantur*, *si matrimonium consummari non contingat*, *nisi expresse aliud dicatur* (§. 318.), consequenter *si spon-*

De arrhis & muneribus sponsalitiis. L. 3. C. de sponsal. L. 16. C. de donat. ante nuptias. L. 16. C. eod.

sponsalia dissolvuntur, arrhæ & munera sponsalia sunt restituenda.

§. 866.

De cohabitatione & œconomia conjugali.

Res domesticæ dicuntur, quibus utimur ad vitæ necessitatem, utilitatem ac jucunditatem; & earum administratio *Oeconomia* vocatur. Quoniam *conjuges* sine coitu prolem generare nequeunt, & prolem communi cura educare (§. 855.), consequenter & conjunctim de rebus ad vitam necessariis eidem prospicere, atque impensas in educationem facere tenentur (§. *cit.*); ideo *cohabitare & œconomiam communem habere debent, & uterque conjux ad res domesticas acquirendas, comparandas & conservandas conferre debet, quantum potest.* Ac propterea *usus rerum ab utroque conjuge acquisitarum communis est, quantum ad œconomiam communem sufficit, res tamen ipsæ, quæ usu consumuntur, uniuscujusque propriæ manent.* Ceterum hinc apparet, etiam *uxorem, quantum datur, acquirere debere ad communem œconomiam & liberorum educationem necessaria.*

§. 867.

De rebus conjugum.

Cum unusquisque alteri jus pro lubitu

lubitu constituere possit in rebus suis (§. 260.); *uxor* quoque *marito jus pro lubitu constituere potest in bonis suis*, veluti usumfructum (§. 713.), *& contra.* Immo *de bonis suis, quæ habent, dum matrimonium contrahunt*, *vel quæ durante matrimonio acquiruntur*, *pro lubitu convenire possunt* (§. 195.), veluti *ut sint communia.* l. 16. §. 3. De aliment. legatis.

§. 868.

Onera matrimonii dicuntur omnes impensæ matrimonii causa faciendæ, consequenter communis œconomiæ & educationis liberorum causa (§. 866.): ad quas impensas cum uterque conjux conferre debeat ratam suam, prouti circumstantiæ permittunt (§. *cit.*); *conjuges conjunctim onera matrimonii ferre tenentur pro modo facultatum suarum.* *De oneribus matrimonii.* l. 20. C. De iure dotium.

§. 869.

Cum *Conjuges* cohabitent, & non modo corporum suorum in generanda prole, verum etiam rerum suarum usum inter se communicent (§. 858. 866.), & sic arctius inter se uniantur, quam cum persona nulla alia conjuncti sunt; *sese invicem* quoque *sibi obligasse* *intel-* *De præstatione officiorum humanitatis & mutuo adjutorio.*

intelliguntur ad quævis officia humanitatis præstanda, *in quibus* itaque, accedente ad obligationem naturalem contracta, *conjux unus alterum præferre debet in casu collisionis*: *nec sine injuria eadem non præstantur* (§. 87); cum respectu conjugis sint perfecte debita (§. 667.). Atque in præstatione horum officiorum & eorum, quæ matrimonii causa alias fieri debent simul sumtorum *mutuum adjutorium conjugum consistit* (§. 848.).

§. 870.

De imperio seu potestate maritali.

Quoniam ex pacto, quo matrimonium contrahitur, eadem nascuntur jura & obligationes conjugum (§. 856. & seqq.); *matrimonium societas æqualis est* (§. 839.), & *quæ in ea fieri debent, communi consensu determinanda*, consequenter *imperium conjugale*, quod ex societate conjugali nascitur (§. 838.), *mutuum conjugum in se invicem est*: quatenus tamen uxor jus suum remittere potest (§. 342.), *maritus idem pacto acquirere potest vel expresso, vel tacito*, quatenus tacite in mores consentitur, tuncque *uxor subjecta marito* (§. 835.).

§. 871.

De divortio

Cum conjuges liberos educare teneannean-

eantur (§. 855.); *matrimonium diſſolvi* *& ſecundis nuptiis.*
ꝫquit, liberis nondum educatis (§. 444.
56.), conſequenter *nec marito pro lubi-*
u uxorem dimittere, nec uxori licet pro
ıbitu a marito diſcedere (§. 444.).
ɩnimvero cum nulla obſtet ratio, quo
ıinus diſſolvatur, *ſi nulli adhuc geniti*
ınt liberi, aut qui nati fuerant, mortui
§.856.); in eo caſu *naturaliter matri-*
ıonium diſſolvi poteſt. Cum adulte-
ium committens a pacto diſcedat
§. 859.); *propter adulterium matrimo-*
ium diſſolvi poteſt, ſalva tamen obli-
ˈatione educandi liberos legitimos; quip-
e a qua nemo ſe facto ſuo liberare
oteſt (§. 100.). Cum conjux alterum
ıalitioſæ deſerens, vel *debitum conju-*
ale, quod in actuali copula carnali
onſiſtit, præſtare recuſans a pacto di-
ꝫedat (§. 856. 444.); *propter malitio-* 1. Cor. VII, 15.
ım deſertionem & debiti conjugalis de-
ˈegationem matrimonium diſſolvi pot-
ſt. In ſtatu naturali, vi libertatis natu-
alis, *unicuique permittendum, ut matri-*
ıonium pro lubitu diſſolvat (§. 78.).
Quoniam matrimonio diſſoluto mutua
ojugum obligatio ceſſat (§. 444.);
ıtraque pars cum perſona alia matri-

monium contrahere potest. Et quia per se patet, *morte conjugis unius dissolvi matrimonium*; ideo quoque *viduus vel vidua ad secundas nuptias*, quæ dicuntur, *transire potest*, consequenter *polygamia successiva*, quæ vocari solet, *licita.* Dicitur autem dissolutio matrimonii *Divortium*; sicuti dissolutio sponsaliorum *Repudium.* Quoniam vero conjux superstes ab obligatione educandi liberos ex priori matrimonio susceptos liberari nequit (§. 38.); *si ad secundas nuptias transitur, novus conjux liberorum ex priori matrimonio natorum curam gerere, &, nisi propria bona habeant, sumtus educationis de suo sustentare tenetur*; cum nonnisi sub hac conditione matrimoninm contrahi possit.

§. 872.

De partu agnoscendo.

l. 6. de his, qui sui vel alieni iuris

Matrem certam esse, quod proles ex se nata sit, per se patet. *Pater prolem agnoscere* dicitur, si eam ex se genitam vel expressis verbis, vel ipso facto declarat; & *agnoscere tenetur, quamdiu probare nequit, eam ex adulterio natam esse.* Similiter *stuprator, qui concubitum fatetur eo tempore factum,* quo-

quo stuprata concepisse præsumitur, cum præsumtionem elidere teneatur, *partum agnoscere tenetur, donec probaverit eam isto tempore cum alio, vel pluribus adhuc rem habuisse: si* vero *concubitum neget, fœmina eundem probare debet*, juramenti scilicet delatione, testibus quippe deficientibus (§. 783.).

§. 873.

Quoniam factum alienum, ad quod nullo modo concurrit, nemini imputari potest (§. 3.); *factum unius conjugis imputari nequit alteri, ad quod non concurrit, nec factum liberorum parentibus, nec parentum liberis*, consequenter *nec conjux propter factum conjugis, nec parentes propter factum liberorum, nec liberi propter factum parentum puniri possunt*, consequenter *nec liberis imputari potest, quod ex concubitu illegitimo nati, nec naturaliter a parentibus macula quædam in ipsos derivatur.* *De imputatione factorum a parentibus & liberis.*

§. 874.

Cum *donationes* a libera voluntate donantis dependeant (§. 475.); eædem *inter conjuges naturaliter illicitæ non sunt.* *De conjugum donationibus.*

CAPUT III.
DE
COGNATIONIBUS ET AFFINITATIBUS.

§. 875.

De cognatis & eorum stipite.

C*ognati* dicuntur personæ, quæ vel continuo a se invicem, vel ab una persona, von vero a se invicem per generationem descendunt. Persona autem, a qua aliæ per generationem descendunt, *Stipes communis* appellatur qui adeo in *masculinum* & *fœmineum* dividitur. A stipite masculino descendentes in specie *Agnati* vocantur.

§. 876.

De lineis cognationum.

Series personarum per continuas generationes a se invicem descendentium dicitur *Linea recta*, quamdiu in se spectatur; eaque vel *ascendens*, vel *descendens*, prouti vel ascenditur ad eas personas, a quibus per generationem descendis, vel descenditur ad eas, quæ a te descendunt. Duæ autem lineæ rectæ in communi stipite concurrentes, quando ad se invicem referuntur, dicuntur *linea obliqua*; quasi sint duæ partes ejusdem lineæ.

§. 877.

De familia.

Personæ omnes, quæ ab eodem stipite descendunt in pluribus rectis, simul sum-

ıımtæ faciunt *Familiam ſtipitis*, veluti *ımiliam patris*, quæ a patre meo; *faıiliam avi*, quæ ab avo meo & ita porɔ deſcendunt.

§. 878

Cognati directi dicuntur perſonæ ı eadem linea recta conſtitutæ; *cognaı autem a latere*, ſive *collaterales* perɔnæ, quæ ſunt in lineis ad ſe invicem ıbliquis, ſeu, ut vulgo dicitur, in inea obliqua.

De cognatione directa & collaterali.

§. 879.

Diverſitas cognationis inter ſtipiem & perſonam quamcunque in linea ecta oritur ex numero generationum, ıer quas a ſtipite deſcendit (§. 875.). Quamobrem cum ea *gradus* dicatur; *eneratio facit gradum, ac perſona deſcendens ſtipiti in eo gradu cognata eſt, ıuem indicat numerus generationum, ıer quas a ſtipite deſcendit*: ita filius patri cognatus in primo gradu, avo in ſecunlo, proavo in tertio. Atque hinc intelligitur, quinam *cognati* ſint *propiores* ıuinam *remotiores*, quinam *proximi*.

De gradibus cognationis in linea recta.

§. 880.

Gradus ſuperioris ordinis ſunt, qui ıbtinent in cognatione perſonæ alicu-

De gradibus ſuperioris & infe-

 jus

rioris ordinis. jus cum aliquo ascendente; ast *inferioris ordinis*, qui obtinent in cognatione cum aliquo descendente. Dicuntur autem cognati ordinis superioris in linea
l. 51. de V. S. recta communi nomine *Parentes*; co-
l. 220. de V. S. gnati ordinis inferioris *Liberi*.

§. 881.

De gradibus familiæ. Cum generatio gradum faciat (§. 879.); *iidem numero gradus in lineis obliquis simul sumti gradum familiæ faciunt*. Ita liberi omnes primi gradus constituuntur in primo gradu familiæ, patris nimirum sui; horum autem liberi in secundo gradu familiæ, quæ est familia avi, cujus illi sunt liberi secundi gradus. *Continet* autem *familia avi familiam patris mei, & familia proavi familiam avi & patris, ac ita porro.*

§. 882.

De gradibus in linea inæquali *Linea obliqua* dicitur *æqualis*, quando duæ lineæ rectæ in eodem stipite terminatæ æquales sunt; ast *inæqualis* si hæ fuerint inæquales. Cum cognati collaterales ideo cognati sint, quia ab eodem stipite descendunt (§. 878.); *collaterales in linea æquali inter se cognati sunt in eo gradu, in quo cognati sunt stipiti.*

piti. Enimvero *ſi in linea inæquali remotior duobus, tribus, quatuor gradibus diſtet a communi ſtipite, propior uno; erit ille huic cognatus in gradu ſecundo, tertio, quarto familiæ patris ſui: quod ſi propior a communi ſtipite diſtet duobus gradibus, remotior tribus, quatuor &c, erit hic cognatus in gradu tertio, quarto &c. familæ avi ſui, & ita porro* (§. 877. 881.). Unde ſequitur, *ut cognatus mihi in gradu quocunque familiæ patris mei uno gradu mihi propior ſit, quam cognatus in eodem gradu familiæ avi mei, & duobus gradibus propior, quam cognatus in eodem gradu familiæ avi mei, & ita porro.* Atque hæc eſt famoſa illa graduum computatio canonica, naturæ maxime conformis, quæ recte attenditur in iis cauſis, in quibus ratio habenda propinquitatis ſanguinis, veluti in matrimonialibus & criminalibus.

§. 883.

Cum omnis cognatio prodeat a generatione (§. 875.); *naturalis cognatio eadem eſt, ſive quis ex matrimonio fuerit natus, ſive concubitu quocunque illicito.* Quamobrem hæc etiam atten- **De cognatione ex illicito concubitu natorum.**

 den-

denda venit, ubi propinquitatis sanguinis ratio habetur.

§. 884.

De affinitate. Quoniam conjuges arctissime uniuntur, ut singulari quodam modo spectentur tanquam una persona (§. 858.); cognati unius conjugis eundem quasi respectum habent ad conjugem alterum, quem ad illum habent. Hic respectus cognatorum conjugis unius ad conjugem alterum cum *Affinitas* dicatur; *cognati conjugis unius sunt affines conjugis alterius*, & *in quo gradu persona quædam cognata est conjugi uni*, *in eo affinis est alteri.* Per se autem patet, *affinitates contrahi per matrimonia*, *sive nuptias*, *nondum vero per sponsalia* (§. 864.).

§. 885.

De quasi affinitate. Cum, *qui copula carnali junguntur*, sibi invicem concedunt usum corporis sui instar conjugum (§. 858.), qui copula carnali matrimonium consummant; *quasi conjuges sunt*, consequenter *personæ*, *quæ alteri carnali copula jungitur*, *cognati sunt hujus quasi affines.* Inde sequitur, *ut stupratori virginis quasi affinis sit soror ejusdem*, & *virgo stuprata affi-*

affinis fratri stupratoris. Copula carnalis quasi nuptiæ sunt, quas ideo quasi affinitas contrahitur (§. 884.).

CAPUT IV.

DE SOCIETATE PATERNA ET POTESTATE PATRIA.

§. 886.

Cum parentes obligentur liberos, quos procreaverunt, conservare, ut adolescant, & eos aptos efficere, ut sibimetipsis prospicere possint de iis quibus ad conservationem sui indigent (§. 855.); *parentibus non competit jus enecandi infantes, nec jus infantes exponendi* (§. 51.).

An parentes habeant jus enecandi, aut exponendi liberos.

§. 887.

Similiter cum parentes liberos aptos efficere debeant, ut actiones suas juxta legem naturæ determinare valeant (§. 855.); *quamdiu liberi per se officiis satisfacere nequeunt, parentes actiones ipsorum determinare debent*, consequenter *iisdem competit jus in actiones liberorum.*

De jure parentum in actiones liberorum.

§. 888.

De patria potestate.

Jus parentum in liberos imperium quoddam est (§. 833. 887.), cumque ex obligatione educandi liberos oriatur (§. 855.); *tam matri, quam patri commune* (§. cit.). Dicitur vulgo *Potestas patria*, & per errorem longe ultra limites suos extenditur.

§. 889.

De obedientia liberorum & jure eos obligandi ac puniendi.

Liberi igitur *parentibus subjecti sunt, & iis obedire obligantur* (§. 835.), cumque imperium, parentibus competens (§. 888.), involvat jus obligandi (§. 833.); *parentes liberos ad obedientiam obligandi*, *ac* per consequens *jus puniendi inobedientes habent* (§. 35.); quæ pœnæ a parentibus inflictæ liberis *castigationes paternæ* appellantur: cum eædem emendatrices esse debeant (§. 93.), & intra officiorum liberis debitorum terminos coercendæ sint. *Legi* autem *naturæ adversa præcipientibus liberi obedire non tenentur* (§. 38.).

l. 3. C. de patria potest.

§. 890.

De liberis ad virtutem perducendis,

Cum *parentes liberos* aptos efficere debeant ad actiones suas juxta legem naturæ determinandum (§. 855.); eos *officiis*

officiis erga seipsum, erga alios atque erga Deum adsuefacere (§. 57.), & per consequens cum habitus actiones suas ad legem naturæ componendi *Virtus* sit, habitus contrarii vero *vitia* sint, *eos ad culturam virtutis adducere, a vitiis vero avocare debent.* Quamobrem cum maxima vis sit exemplorum, præsertim in tenellis puerorum animis; *liberis exempla bona præbere, mala prodere minime debent.* *a vitio avocandis.*

§. 891.

Similiter quia parentes liberos aptos efficere debent ad sibimetipsi prospiciendum de iis, quibus ad conservationem sui indigent (§. 855.); *eos destinare debent certo vitæ generi, ad quod apti sunt, & omnem dare operam, ut ea rite addiscant, quæ id vitæ genus exigit.* *De vitæ genere cui liberi destinandi.*

§. 892.

Ex eadem ratione *operam* quoque *dare debent pro virili, ut liberi consequantur bona fortunæ, & eos aptos efficiant ad eadem consequenda,* consequenter *curæ habere, ut fiant fortunati.* *De fortuna liberorum promovenda.*

§. 893.

Cum parentes speciali obligatione libero- *De amore libero-*

rum suorum. berorum suorum ac status eorundem perfectionem promovendi teneantur (§. 855.), & hominibus perinde ac brutis natura insitus sit amor prolis suæ, qui στοργή appellari solet; *liberos suos non modo amare debent parentes, sicuti ceteros homines* (§. 136.), *verum etiam eos in amore, ac per consequens officiis omnibus, qui aliis debentur, ceteris præferre* (§. 44.).

§. 894.

De officio liberorum erga parentes. Quoniam liberi non modo parentibus debent vitam suam, sed propter educationem etiam eos agnoscere debent maximos benefactores suos, (*per demonstrata in antecedentibus vi* §. 470. 471.); ideo *gratum erga parentes animum habere debent, & quacunque data occasione ipsis, quantum possunt, vicissim benefacere, eosdem amare, magnifacere ac singulari honore prosequi*, qui *Reverentia filialis* dici solet (§. 474.).

§. 895.

An matrimonium inter parentes & liberos licitum. Reverentia filialis cum consistere nequeat cum illa familiaritate, quæ inter conjuges intercedit; *matrimonium* quoque *inter liberos & parentes naturaliter illicitum.* Nimirum ob immutabilita-

bilitatem obligationis naturalis (§. 38.), *lege naturæ matrimonia permissa non sunt, quæ tollunt, aut labefactant officia, quæ pars una alteri debet.*

§. 896.

Quoniam sumtus in educationem faciendi a *parentibus* debentur (§. 855.); iisdem *curæ esse debet, ut, si ipsos mori contingat, antequam liberi fuerint educati, ipsis relinquant bona, de quibus sumtus educationis sustentari possunt, & curam educationis atque administrationis bonorum, quæ ipsis relinquunt, aut quæ aliunde iisdem obveniunt, personis aliis demandare, quas eam diligenter curaturos confidunt.* *De providentia parentum circa educationem liberorum in casum mortis.*

§. 897.

Cum generis humani propagandi causa generentur homines (§. 854.), parentes superioris gradus generarunt liberos, ut ex iis porro procreentur alii. Quamobrem cum prolis educatio a generatione inseparabilis sit (§. 855.); *si parentes moriantur, antequam liberi fuerint educati, parentes superioris gradus eos educare obligantur,* aut *his prædefunctis,* cum beneficia etiam reddantur *De cura educationis parentibus superioribus & cognatis incumbente.*

l. 5. §. 2. de ag. vel alend. lib.

tur

tur parentibus in liberis ipſorum, *cognati curam educationis in ſe ſuſcipere debent* (§. 894. 875.).

§. 898.

De tute-

Tutores dicuntur perſonæ, quibus educatio pupillorum curæ eſt; & *pupilli* vocantur liberi nondum educati, quorum parentes defuncti, aut qui uno ſaltem, præſertim patre, orbi. Atque jus educandi liberos parente orbos *Tutela* dicitur. Dicuntur autem *Tutores teſtamentarii*, qui voluntate ultima parentum conſtituuntur; *legitimi*, qui jure cognationis tales ſunt; & *dativi*, qui in ſtatu civili a magiſtratu dantur. Quodſi liberi ea ſint ætate, ut bonorum adminiſtrandorum cauſa ſaltem, aut potiſſimum aliena ope indigeant, cum perſona, cui competit jus bona alterius adminiſtrandi, quæ vel propter ætatem, aut corporis quoddam, vel animi vitium rebus ſuis ipſamet præeſſe nequit, *Curator* dicatur; in Jure Romano curatores a tutoribus diſtinguuntur: *noſtris* tamen *moribus tutela tamdiu durat, donec educatio prorſus abſoluta*; id quod Juri naturæ convenientius.

§. 899.

§. 899.

Quoniam *Vicarius* dicitur, qui vicibus alterius fungitur; *tutores sunt vicarii parentum defunctorum in educatione pupillorum*, ac per consequens *idem ipsis curæ esse debet in educandis liberis, quod parentibus, nisi quod proprios sumtus in eandem facere non teneantur*; cum nulla adsit ratio, cur quis liberos alienos suo sumtu educare debeat. Nimirum *si pupilli propria habeant bona, non opus est, ut alieno sumtu educentur*; cum alteri præstanda non sint, quæ ipsemet in potestate sua habet (§. 133.): *si iisdem careant*, quoniam mendici sunt (§. 487.), *de eleemosynis prospiciendum ipsis est* (§. 488. 491.). Distinguendum vero est, quod tutoribus faciendum, ab eo, quod parentibus superioris gradus incumbit (§. 897.). *De officio tutorum.*

§. 900.

Cum non repugnet, ut tutori uni tantummodo cura educationis, alteri administratio bonorum committatur, ne unus nimium oneretur, immo ut melius consulatur pupillo, alii saltem inspectio tutelæ demandetur; alii sunt *De tutorum diversitate.*

Tuto-

Tutores *educatores*, alii *administratores*, alii *inspectores*. Educatores & administratores communi nomine *Tutores inferiores*; inspector autem *Tutor superior*, seu *honorarius* dicitur. Et, *si plures fuerint tutores, a parentum, vel constituentium voluntate dependet, utrum tutelam inter eos dividere, an iis conjunctim indivisam committere velint* (§. 314.).

§. 901.

De inhabilitate tutorum.

Quia tutores pupillos ad virtutem perducere, a vitiis avocare debent (§. 890. 899.); *ad tutelam inhabiles sunt, qui vitiis dediti, aut propter ætatem, vel animi quoddam vitium aut corporis ipsimet tutore vel curatore indigent*: cumque nemo obligari possit ad id, quod in potestate sua non est (§. 60.), aut nonnisi cum neglectu officii erga seipsum præstare potest (§. 133.); *a tutela excusantur, qui ob infirmitatem corporis, vel ob ætatem nimis provectam aut multitudinem negotiorum tutelam ea diligentia, quæ requiritur, administrare nequeunt.*

§. 902.

De inventario conficiendo.

Inventarium dicitur consignatio bonorum pupilli vel curandi administrandorum

dorum. Ut igitur constet, quænam administranda fuerint; *tutor inventarium conficere debet.*

§. 903.

Cumque tutor bona pupilli administrare debeat omni diligentia, ne damnum pupillo detur (§. 21. 269.), ut de eadem constet; *rationem administrationis singulis annis reddere tenetur.* Et quia is, cujus bona administrat, dominus est; *bona Puppilli immobilia alienare nequit* (§. 257.): quoniam tamen in administrando personam pupilli repræsentat, ac ideo ea facere tenetur, quæ ipse necessitate urgente facere cogeretur; *si ea adsit necessitas, quæ ipsum pupillum ad alienandum cogit, eadem alienare potest*, consequenter *si æs alienum solvendum, nec ex rebus aliis solvi possit, si sumtus in educationem ex rebus aliis fieri nequeant, si prædii reficiendi causa contrahendum sit æs alienum & usuræ prædium inutile reddant.* Ut vero tutor omnem suspicionem a se amoveat; *si res puppillares distrahendæ, a peritis taxandæ & tutori curæ esse debet, ut inveniat emtorem justum pretium offeren-*

De alienatione bonorum pupilli.

L. 22. de ad[illegible]

tem. Enimvero cum patrimonium pupilli conſervare & quantum in poteſtate eſt, amplificare debeat (§. 208.); *bona mobilia ſupervacua, ac ea inprimis, quæ ſervando ſervari non poſſunt, vendere, ac pecuniam inde redactam vel fœnori dare, vel in emtionem prædiorum collocare debet, niſi pater res quasdam alienari expreſſè prohibuerit, nec ulla eas alienandi neceſſitas adſit* (*per demonſtrata*).

§. 904.

De damno a tutore dato.

Si tutor dolo, vel culpa damnum in administratione dederit, id reſarcire tenetur (§. 270.), cumque hoc reſpectu ſit debitor pupilli (§. 336.); *naturaliter pupillo bona tutoris obligata ſunt pro iis, quæ finita tutela ipſi reſtituenda* (§. 705.).

§. 905.

De pupillo, vel aliis eidem obligandis.

Cum tutori, vel curatori competat adminiſtratio bonorum (§. 898.); *pupillus ſine conſenſu tutoris, & qui curatorem habet, ſine conſenſu curatoris ſe alteri ad aliquid præſtandum obligare nequit.* Quoniam vero adminiſtratio ideo committitur tutori, vel curatori, ne pupillus, aut curandus defraudetur (§. *cit.*); *ſi is alterum ſibi obligavit ad aliquid præſtandum,*

dum, vel cum eo in commodum suum contraxit, actus validus est.

§. 906.

De salario & honorario tutoris.

Quoniam nemo alteri gratis facere tenetur, si is vicissim dare possit (§. 473.), per se autem patet, tutelam haud exiguum esse onus, præsertim si ampla fuerit bonorum administratio; *naturaliter illicitum non est, ut tutori, vel curatori pro administratione, si ampla sint bona pupilli, salarium aliquod constituatur.* Cumque beneficia, qualis est administratio tutelæ, si ea gratis fiat, sint rependenda (§. 474.); *æquum omnino est, ut finita tutela pro eadem fideliter ac utiliter gesta honorarium quoddam solvatur* (§. 525.).

§. 907.

De indemnitate tutoris & curatoris.

Et quia pupillus, vel curandus locupletior fieri nequit ex re tutoris, vel curatoris (§. 271.); *pupillus & curandus obligantur tutori & curatori restituere impensas administrationis causa factas, & damnum occasione ejus datum resarciendum,* adeoque *si pupilli, vel curandi causa res proprias oppignoravit tutor, vel curator, aut fidejussit,* *fini-*

finita tutela, vel cura eum liberare tenetur pupillus, vel curandus.

§. 908.

De quaſi pacto tutoris.

Tutor in adminiſtrationem tutelæ conſentit expreſſe, dum eandem in ſe ſuſcipit, & cum eam exigat manifeſta pupilli utilitas, ejus conſenſus recte præſumitur (§. 686.). *Tutela* igitur *acquiritur quaſi pacto* (§. *cit.*): unde *perfecta* etiam *naſcitur obligatio & jura perfecta acquiruntur* (§. 687.).

§. 909.

De ſocietate paterna.

Non abſimili modo oſtenditur, *inter parentes & liberos educationis cauſa intercedere quaſi pactum*, & per conſequens *inter eosdem ſocietatem quandam*, ipſa natura duce, *contrahi*: quæ *ſocietas paterna* appellari ſolet. Ac ideo *obligationes & jura ad educationem liberorum ſpectantia non ſolum officii ſunt lege naturali præſcripti, verum etiam ex quaſi pacto, perinde ac ex pacto vero oriuntur* (§. 687.). Educatio liberorum duplici modo ſpectatur, tum quatenus ad utrumque conjugem ſpectat, tum quatenus a parentibus in utilitatem liberorum fieri debet. Priori reſpe-

spectu ad societatem conjugalem, posteriori ad paternam pertinet.

§. 910.

Quoniam parentes actiones liberorum determinare debent, quia ipsi in iis rite determinandis sibi non sufficiunt (§. 887.), successive autem eas ipsi per se determinare discunt; *potestas patria crescente ætate successive intra arctiores limites redigitur* (§. 888.): *id quod etiam de tutela valet* (§. 899.). Enimvero cum educatio non ante absoluta intelligatur, quam ubi liberi per se ea acquirere possunt, quæ ad vitæ necessitatem & commoditatem necessaria sunt (§. 855.); *quamdiu in domo paterna vivunt*, quia sibimetipsis nondum prospicere possunt de victu & amictu, aliisque necessariis vitæ subsidiis, *voluntati parentum subjiciuntur quoad ea, quæ ad domum spectant.* *An patria potestas parentum eadem.*

§. 911.

Patria potestas cum parentibus nulla competat, nisi quæ ex obligatione educandi liberos nascitur (§. 888.); *finita educatione patria potestas tollitur, & liberi fiunt sui juris*: consequenter *etiam tutela finitur*. Enimvero cum tam of- *De duratione patriæ potestatis & officiorum.*

ficia parentum erga liberos, quam liberorum erga parentes lege naturæ præscribantur, (per demonstrata,) consequenter obligatio ad ea prorsur immutabilis sit (§. 38.); *officia liberorum erga parentes durant per omne vitæ tempus, nec minus parentum erga liberos officia ab educatione sejuncta perpetua sunt.* Unde sequitur *ut liberi*, quamvis desinat obedientia, quam petria urget potestas (§. 889.), *toto* tamen ~~educationis~~ vitae *tempore studere debeant, ut placeant parentibus.*

§. 912.

De consensu parentum ad matrimonium liberorum.

Quoniam liberi toto vitæ tempore studere debent in omnibus suis actionibus, ut placeant parentibus (§. 911.); *sine eorum* quoque *consensu matrimonium contrahere non debent*, cumque matrimonia non contrahant nisi ubi judicium eorum jam satis maturum est, *suo potius judicio stare licet, quam parentum sine justa causa contradicentium* (§. cit. & §. 78.), consequenter *matrimonium dissensu parentum irritum effici nequit*, ac ideo *consensus eorum honestatis est* (§. 49.), *non necessitatis* (§. 80.).

§. 913.

§. 913.

De dote uxoris.

Cum filiæ nubentes in eum perducantur statum, quo parentes non amplius opus habent iisdem prospicere de iis, quæ ad ipsarum conservationem requiruntur (§. 866.), onera autem matrimonii cojuges conjunctim ferre teneantur pro modo facultatum suarum (§. 868.), & *Dotis* nomine veniant res, quas uxor affert ad maritum onerum matrimonii sustinendorum causa; *si parentes filiam elocant, quæ propria bona nulla habet, pro modo facultatum suarum eam dotare debent; non tamen tenentur, si maritus indotatam ducere velit, aut*, quod per se patet, *si non possint* (§. 60.). Et quia parentum est judicium de facultatibus suis (§. 78.); *dotis determinatio tota ab ipsorum arbitrio dependet.* Quoniam vero dos datur ad sustinenda onera matrimonii; *ususfructus saltem in ea impendendus, & substantia salva esse debet uxori*, consequenter *si pecunia, vel res æstimata in dotem detur*, cum usus pecuniæ nullus sit, nisi erogari possit, *dominium dotis in maritum transferendum, & idcirco bona mariti naturaliter*

l. 56. §. 1. de iure dotium.

l. 69. §. de iure dotium.

l. fin. C. de dotis promissione.

liter oppignorata sunt pro dote (§. 705.). *Pacta*, quibus de dote convenitur, tum & aliis ad utilitatem conjugum spectantibus, vocantur *dotalia*. Cum in hisce regnet paciscentium voluntas (§. 667.); *de quibus in pactis dotalibus conventum iis standum.*

§. 914.

De donatione propter nuptias. In Jure Romano *Donatio propter nuptias* appellatur donatio mulieri a viro in securitatem dotis facta; quæ ideo *non minor esse debet dote*: *naturaliter* vero *eadem opus non est* (§. 913.).

§. 915.

De morgengaba. *Morgengaba* dicitur donum, quod sponsus dare solet sponsæ altero nuptiarum die in præmium virginitatis, seu pudicitiæ ereptæ. Cum ex pacto matrimoniali sponsa obligetur sponso ad concedendum corporis sui usum (§. 858.); *sponsus* quoque *naturaliter pro concessione primi coitus nihil solvere tenetur*, consequenter *morgengaba*, quæ moribus veterum Germanorum introducta, *Juris naturalis non est*. Vi tamen ejusdem *uxor in morgengaba accepta dominium acquirit* (§. 317.).

CAPUT

CAPUT V.

DE

DE JURE HÆREDITARIO, SEU TESTAMENTIS ET SUCCESSIONE AB INTESTATO.

§. 916.

De hærede & jure hæreditario.

In bona defuncti succedere dicitur, qui post mortem defuncti jus in bonis, quæ habuerat, acquirit. Qui in ea succedit, *Hæres* dicitur; & jus succedendi in bona defuncti *Jus hæreditarium.* Rerum a defuncto relictarum universitas *Hæreditas*; & dominium, quod in ea acquiritur, *Dominium universale* appellatur. Denique *hæreditatem suscipere* dicitur, qui verbis, vel facto sufficienter declarat, quod hæres esse velit. Quodsi voluntas verbis, vel signo, sine ullo tamen facto declaratur, in specie *Hæreditatis aditio*; si vero facto, *Gestio pro hærede* vocatur.

L. 87. de adquir. l. omitt. hæred.

§. 7. J. de hered. qualit. & differ.

§. 917.

De acquisitione juris hæreditarii & hæreditatis.

Hinc statim patet, cum hæres eadem persona moralis sit cum defuncto quoad bona ab hoc relicta (§. 916.); *in eodem omne jus defuncti & omnes obligationes quoad ipsius bona continuari.* Et quia susceptio hæreditatis est ac-

ceptatio juris hæreditarii (§. *cit.* & §. 316.); *aditione hæreditatis, vel gestione pro hærede jus hæreditarium & cum eo dominium universale* (§. 916.), *occupatione autem possessionis hæreditas acquiritur* (§. 200.).

§. 918.

Quænam ad hæreditatem pertineant.

Patet hinc porro, *ad hæreditatem pertinere res omnes corporales tam mobiles, quam immobiles, sive fuerint in potestate defuncti, sive alterius, nomina etiam & jura omnia, qualiacunque fuerint, solis personalibus exceptis* (§. 400.); *res* vero *alienas*, quippe quæ non fuerunt defuncti (§. 207.), & restituendæ sunt domino (§. 261.), *ad hæreditatem non pertinere, & æs alienum ab ea deducendum esse* (§. 207.).

§. 919.

An ultra vires hæreditatis hæres debitoribus teneatur.

Cum per se pateat, neminem pro alio solvere teneri, nec ipse defunctus si esset in vivis, plus solvere posset, quam in bonis ejusdem est; *naturaliter hæres ultra vires hæreditatis non tenetur, si æs alienum massam superet, nec alio animo eandem suscipere intelligitur, quam ut ultra vires ejus non teneatur.* Quamobrem ut de viribus hæreditatis con-

constare possit, *si hæreditas æri alieno obnoxia fuerit; inventarium conficiendum* (902.): a quo in statu naturali jurata specificatio non differt; cum quæ per testes probari nequeant, per juramentum probanda (§. 781.).

§ 920.

De hæreditatis repudiatione.

Hæreditatem repudiare dicitur, qui jus hæreditarium sibi delatum acceptare non vult. *A voluntate igitur unius cujusque dependet, utrum hæreditatem sibi delatam suscipere, an repudiare velit* (§. 316.).

§. 921.

De successione liberorum.

Cum *parentes* fortunam liberorum, quantum possunt, promovere debeant (§. 892.); *si moriantur, bona sua liberis relinquere debent.* Quoniam vero curæ habere obligantur, ut, si eos mori contingat, bona liberis nondum educatis relinquant, ex quibus sumtus educationis sustentantur (§. 896.); *si quidam liberorum fuerint educati, alii non fuerint, & quæ ab ipsis relinquuntur bona vix educationi horum sufficiunt, ea naturaliter ad nondum educatos pertinent; aut si fructus huic sufficiant, usus fructus, donec fuerint educati.* Ex eadem ratione

ne *idem intelligitur de parentibus superioris ac liberis inferioris gradus* (§. 897.). Quamobrem cum *sui hæredes* dicantur, qui per generationem a defuncto descendunt; *liberi primi & ulterioris gradus sunt hæredes sui.* Cumque fortunæ non minus liberorum ulterioris, quam primi gradus consulere debeamus (*per demonstrata*); *si defuncto fuerint liberi & primi, & ulterioris gradus, naturaliter quoque hi subeunt in locum parentum suorum.* Quamobrem quia jus subeundi in locum parentum suorum, cum liberis primi gradus ad hæreditatem concurrentibus liberis ulterioris gradus competens, *Jus repræsentationis* vocatur; hoc jus *naturale est*, seu *juri naturæ convenit.*

§. 722.

De successione parentum.

Nov. 118. cap. 2.

Quoniam liberi parentibus beneficia rependere obligantur, quantum possunt (§. 894.); *si quis improles moritur, naturaliter bona sua relinquere debet parentibus suis primi gradus, aut his deficientibus, gradus ulterioris.* Nimirum beneficia parentibus nostris primi gradus exhibita a parentibus suis, qui nobis sunt parentes ulterioris gradus (§. 879.), per illos etiam in nos derivantur.

§. 923.

§. 923.

Atque hinc patet *in linea recta natura hæreditatem deferri descendentibus, observato jure repræsentationis: his autem deficientibus, parentibus secundum gradus* (§. 921. 922.).

De hæreditatis delatione in linea recta.

§. 924.

Cum *jus succedendi liberorum atque parentum* non modo natura sit constitutum, sed etiam ex quasi pacto oriatur (§. 921. 922.); *non modo per modum officii* (§. 57.), *verum etiam tanquam jus ex pacto quæsitum subsistit* (§. 900. 687.), *ipsis auferri nescium* (§. 100.). Accedit, quod societas paterna, quæ ab initio consensu liberorum præsumto nitebatur (§. 909.), ubi ad maturiorem ætatem perveniunt, tacita eorundem ratihabitione confirmetur, quasi pacto in expressum transeunte. Tacitus iste consensus extenditur etiam ad familiam parentum superiorum (§. 876. 881.); saltem Jure naturæ extendi debet.

Quale sit jus succedendi liberorum & parentum.

§. 925.

Liberi abdicari dicuntur, si parentes sufficienter declarent, quod eos pro libe-

De abdicatione liberorum. L. 6. C. De patria potest.

liberis agnoſcere nolint. *Quodſi liberi ſcientes ac volentes ea committunt, quæ e diametro ipſorum erga parentes officio, reverentiæ inprimis filiali repugnant, vel a vita ſceleſta ſeſe revocari minime patiuntur*, cum a pacto vel quaſi, quo nititur ſocietas paterna (§. 909. 924.), discedant (§. 442.); *naturaliter eos abdicare licet* (§. *cit.*). Per ſe autem patet, *abdicatos amittere jura liberorum.*

§. 926.

De quantitate juris hæreditarii liberorum & parentum.

Cum liberis ac parentibus jus ſuccedendi competat, quia liberi ac parentes ſunt (§. 921. 922.); *naturaliter liberi omnes ejusdem gradus æquale jus habent ad hæreditatem parentum, & viciſſim parentes ejusdem gradus ad hæreditatem liberorum*, conſequenter *ſinguli hæreditatem æqualiter inter ſe dividere debent, & qui jure repræſentationis ſuccedunt* (§. 921.), *eam partem accipere debent, quam parens ipſorum accepiſſet, ſi adhuc in vivis fuiſſet.*

§. 927.

De Teſtamento.

Expreſſa declaratio voluntatis defuncti de translatione dominii rerum poſt mortem ſuam relictarum, & de eo, quod præterea poſt mortem ſuam fieri vult,

vult, ea lege facta, ut nonnisi post mortem suam acceptatio fieri possit, *Testamentum* dicitur. Quamobrem cum dominium ea lege in alterum transferri possit, ut nonnisi post mortem suam acceptari possit (§. 314.); *testamentum Juris naturalis est, nec de voluntate Testatoris ante mortem ejus, ut hæredi constet necesse est, & ante mortem testamentum revocari ac pro lubitu mutari potest* (§. *cit.*). Quamobrem patet, *testamentum morte demum testatoris validum effici*, seu *irrevocabile.*

§. 928.

De exhæredatione liberorum & parentum.

Liberi exhæredari dicuntur, quibus a parentibus expressa voluntate aufertur hæreditas. Quoniam iidem abdicari possunt, abdicati autem amittunt jus succedendi (§. 925.); *liberi* quoque *exhæredari possunt.* Cum tamen jus ipsis in se auferri nescium (§. 924.), pro lubitu a parentibus auferri nequeat; *sine justa causa exhæredari nequeunt*: quæ quales esse debeant, ex anterioribus colligitur (§. 925.). Quæ de exhæredatione liberorum dicta sunt, ob eandem rationem etiam applicanda ad exhæredationem parentum.

§. 929.

§. 929.

De legatis. Quoniam obligatio naturalis fortunam aliorum promovendi, quantum in potestate sua est, etiam parentes atque liberos tenet (§. 134. 38.); *si parentes absque neglectu liberorum suorum, & liberi absque neglectu parentum fortunam aliorum promovere possunt, in gratiam quoque extraneorum & mendicorum ac egenorum de bonis post mortem suam relictis disponere possunt, veluti si parentes habeant patrimonium amplum, vel liberis jam adsint, quæ vitæ necessitati, commoditati ac jucunditati sufficiunt, vel contra.* Quamobrem cum donatio rei cujusdam, vel etiam certæ pecuniæ summæ, ultima voluntate facta, *Legatum* dicatur; inde patet, *quatenus legata Juri naturæ conveniant.* Dicitur autem *Legatarius* persona, cui legatum relinquitur. Et quia *legata* spectanda sunt tanquam onus hæreditati adjectum (§. 409.), cum hæreditas nonnisi sub hoc onere acquiri possit (§. 317.); *ab hærede legatariis præstanda.* Per se autem patet, *legata in præjudicium liberorum relicta naturaliter non subsistere.*

§. 930.

§. 930.

Cum *cognatis collateralibus* ad promovendum ipsorum fortunam non aliter obligemur speciali quadam ratione, quam quatenus parentibus in ipsis beneficium rependimus (§. 894. 878.), ac ideo non quia ipsis per se beneficium debetur; *bona* quoque *post mortem ipsis relinquere perfecte non obligamur*, consequenter *in testamento præteriri iidem possunt, hærede extraneo instituto, vel ex collateralibus eum, qui placuerit, vel etiam conjuge superstite.* *An cognati collaterales in testamento præteriri possint* §. 27. C. de inoff. testam.

§. 931.

Ab intestato succedere dicitur, qui in bona defuncti succedit testamento nullo facto, vel a defuncto in testamento non institutus hæres. Quamobrem cum *posthumus*, qui post mortem demum patris nascitur, *sit* quoque *hæres suus patris sui, immo etiam parentum superioris gradus* (§. 921.); *si in testamento prætereatur, una cum ceteris liberis ad hæreditatem admittendus, & testamentum naturaliter quoad cetera subsistit, etiam quoad legata, nisi ideo relicta intelligantur, quia hæredum numerum minorem putavit defunctus.* Ob eandem *De successione ab intestato & præteritione liberorum in testamento.*

rationem *idem intelligitur*, *ſi unus ex liberis fuerit præteritus*, *non exhæredatus* (§. 928.).

§. 932.

De modo teſtandi. Cum naturaliter ad teſtamentum faciendum non aliud requiratur, quam ut teſtator voluntatem ſuam expreſſe declaret (§. 927.); *teſtamentum naturaliter validum eſt*, *ſi quocunque modo conſtet hanc eſſe defuncti voluntatem*, conſequenter *ſi eam coram teſtibus declaret*, *vel in ſcripturam redigat*, *aut ab alio in ſcripturam redactam ſubſcribat*. Per ſe autem patet, *ſi teſtamentum ſcriptum a teſtibus ſubſcribatur*, *opus non eſſe*, *ut ejus tenor ipſis ſi notus* (§. *cit.*). Dicitur autem *Teſtamentum nuncupativum*, quando teſtator voluntatem ſuam declarat coram teſtibus, ſive præſens ſit hæres, ſive abſens; *Teſtamentum* autem *ſcriptum*, quando teſtator voluntatem ſuam in ſcripturam redactam relinquit.

§. 933.

De modo ſuccedendi ab inteſtato. Quoniam non uno caſu contingere poteſt, ut quis voluntatem ſuam ultimam non declaret; ex eo minime ſequitur, quod voluerit, ut, bona ſua

poſt

poſt mortem ſint res nullius, conſequenter occupanti cedant (§. 209. 210.). *Si quis* ergo *inteſtatus decedit, præſumendum eſt, cujusnam eſſe voluerit bona poſt mortem relicta.* Quamobrem *qui ab inteſtato ſuccedit, niſi hæreditas ipſi debita ſit* (§. 924.), *ex præſumta defuncti voluntate ſuccedit.* Quoniam itaque id præſumendum, quod officiis maxime congruit, collateralibus autem qua talibus ſpeciali ratione obligamur ad promovendum eorum fortunam, quatenus in ipſis beneficium redditur parentibus communibus primi, vel ulterioris gradus (§. 930.); *deficientibus hæredibus in linea recta, ab inteſtato ſuccedunt, qui ſunt in familia patris, vel matris ſecundum gradus familiæ, & his deficientibus ſimiliter, qui ſunt in familia avi, vel aviæ, ac ita porro, ut non fiat tranſitus de familia in familiam,* nimirum de arctiori in diffuſiorem, *niſi ubi in illa nulla extet perſona, ubivis nulla habita differentia ſexus.*

§. 934.

Cum dominium amittatur, quamprimum quis moritur (§. 818.), conſequenter *ſi deficiat hæres,* & res ab eodem reli- *De hærede deficiente.*

relictæ fiant nullius; *hæreditatem occupare potest naturaliter, qui voluerit* (§. 210.), *aut is, a quo jus occupandi occupatum est* (§. 214.).

§. 935.

Quot modis hæres institui & legatum relinqui possit.

In hæredem transfertur dominium rerum a defuncto relictarum (§. 916.), & legatario dantur, quæ ipsi legantur (§. 929.). *Quot modis* igitur *aliquid dari potest*, seu dominium transferri, *tot etiam modis hæres institui & legatum relinqui potest*. Quamobrem *quæ ex diverso modo dandi fluunt, ea etiam valent de hærede hoc, vel isto modo instituto, & de legato hoc, vel isto modo relicto.*

§. 936.

De testamento sine hæredis institutione facto.

Ceterum si testator velit, eum hæredem sibi esse, qui ab intestato succedit, legatum tamen uni, vel alteri relinquere, vel alia quædam fieri post mortem suam; *naturaliter in testamento, nulla facta hæredis institutione, legata relinqui possunt, immo de aliis disponi potest, quæ post mortem suam testator fieri vult* (§. 927.), *tumque hæres est, qui ab intestato succedit, & ultimam voluntatem testatoris adimplere tenetur* (§. 317.).

§. 937.

§. 937.

Et quia in testamento mutare pro lubitu potest, quicquid visum fuerit, testator, quamdiu vixerit (§. 927.); *naturaliter testamento adjici possunt non minus, per quæ nonnulla in eodem mutantur, tum quæ nihil mutationis afferunt.* *De iis, quæ ad testamenta adjiciuntur.* d. 4. de adim. vel transfer. legat.

§. 938.

Prælegatum dicitur legatum hæredi uni, vel alteri relictum. Quoniam a voluntate testatoris dependet, cuinam legatum relinquere velit (§. 929. 475.), consequenter nil obstat, quo minus etiam hæredi relinquatur; *prælegata Juri naturæ non contrariantur.* *De prælegatis.* l. 77. § 8 de legatis II.

§. 939.

Si hæres unus hæreditatem, legatarius legatum repudiet, cum perinde sit, ac si hæres non fuisset institutus, vel legatum nullum relictum (§. 920. 339.); *portio illius, vel res legata hujus hæreditati accrescit*: cumque hæres facto suo jus legatario adimere non possit (§. 100), & naturaliter in testamento etiam de legatis tantummodo disponi queat (§. 936.); *si hæres institutus hæreditatem* *De hereditate, vel legatis repudiatis.*

tem adire nolit, vel non possit, legata tamen subsistunt,

§. 940.

De substitutione hæredis, vel legatarii.

Cum hæredis institutio & legati relictio a voluntate testatoris dependeant (§. 930. 938.); *testator* quoque *hæredi instituto alium substituere potest, ut illo deficiente quacunque de causa hic succedat, vel deficiente legatario substitutus legatum accipiat.*

§. 941.

De fideicommissis.

L. 69. §. 3. de legatis II.

Hæreditatis delatio ea lege facta, ut vel tota, vel certa ejus pars, prouti testator jusserit, restituatur alteri, *Fideicommissum* dicitur; in casu primo *universale*, in secundo *particulare*. Ac in specie *Fideicommissum familiæ* dicitur, quod familiæ relictum; vel si testator prohibet, ne res extra familiam alienentur. *Fideicommissa esse naturaliter valida*, patet per liberam testandi voluntatem (§. 930.).

§. 942.

De pactis successoris.

Cum dominus vi dominii de rebus suis pro lubitu disponere possit (§. 195); *naturaliter valida sunt pacta de hæreditate inita*, consequenter *etiam pacta successoria conjugum.*

§. 943.

§. 943.

Per se patet, *mortuo conjuge uno* matrimonium dissolvi, consequenter usum rerum, quas quisque habet, quantum ad communem œconomiam sufficit (§. 866.), cessare, cumque res ipsæ uniuscujusque propriæ sint; *conjugem superstitem recipere quod suum est, nullum vero jus habere ad bona defuncti.* Quoniam tamen conjux unus in casu collisionis alterum præferre debet in præstandis officiis humanitatis (§. 869.); *si conjux superstes non habeat propria bona, vel ea non sufficiant ad vitæ necessitatem, commoditatem aut jucunditatem, qui moritur, post mortem suam eam pro modo facultatum suarum bonorum partem ipsi relinquere debet, quæ vel vitæ necessitati soli, vel etiam commoditati, immo jucunditati sufficiunt, aut saltem usumfructum in ista parte bonorum, vel bonis etiam omnibus, sive ad dies vitæ, sive donec in statu viduitatis permanserit, prouti circumstantiæ particulares suadent*, consequenter *deficiente hærede in linea recta* (§. 921. 922.), *conjugem hæredem instituere potest, aut si non deficiat, vel alia de causa hæredem institue-*

De successione naturali conjugum. Nu. 55. cap. 7. et Nov. 117.

re hunc nolit, legato (§. 929.), aut fideicommisso (§. 941.), aut usufructu constituto eidem prospicere debet.

§. 944.

De indissolubilitate matrimonii.

Quoniam parentes non modo liberos conjunctim educare (§. 856.), communique sumtu (§. 866.), verum etiam pro virili fortunam eorum promovere (§. 892.), ac ipsis post mortem bona sua relinquere debent (§. 921.), immo etiam tacite se invicem sibi obligant ad quævis humanitatis officia præstanda (§. 869.), & conjux unus alteri post mortem suam de iis prospicere debet, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem requiruntur, quantum datur (§. 943.); *Jure naturali matrimonium perpetuum esse debet.*

§. 945.

De liberis ex illicito concubitu natis

Liberis imputari nequit, quod ex concubitu illegitimo nati (§. 873.). Quoniam itaque naturaliter inter liberos legitimos & ex concubitu illicito natos nulla datur differentia; *naturaliter ex illicito concubitu nati æquale jus habent ad hæreditatem parentum suorum cum liberis ex justis nuptiis natis.*

§. 946.

§. 946.

Cum inter fratres atque ſorores nulla concipi poſſint officia, niſi quorum ratio continetur in eo, quod per nativitatem ab iisdem parentibus deſcendent; nulla quoque fingi poſſunt officia, quæ cum officiis conjugum conſiſtere nequeant, prouti id obtinet inter parentes & liberos (§. 895.). Quamobrem *matrimonia inter fratres & ſorores contracta naturaliter illicita non ſunt*, ac ideo *multo minus inter collaterales remotiores*. Alia vero quæſtio eſt: num iſtiusmodi matrimonia ob rationes civiles in ſtatu civili prohiberi debeant? *De matrimonio collateralium.*

CAPUT VI.

DE SERVITUTE ET SOCIETATE HERILI.

§. 947.

Servitus eſt ſubjectio, qua quis operas perpetuas pro alimentis perpetuis præſtare obligatur. Qui operas præſtare obligatus, *Servus*; ſi fœmina fuerit, *Ancilla*; qui alimenta, *Dominus* dicitur; & jus domini in ſervum, *Pote-* *Servitus quid ſit.*

stas dominica. Est autem *Servitus perfecta*, si operæ, quæ perpetuo debentur, determinatæ non sunt; consequenter a domino pro lubitu determinandæ; *imperfecta* vero, si operæ saltem certæ debentur, aut non perpetuo, vel non continuo.

§. 948.

De Servitute voluntaria.

Cum qui per operas ad victum & amictum necessaria acquirere tenetur, eas alteri locare possit pro mercede (§. 620.), & de operis a se præstandis pro lubitu statuere (§. 225. 195.); *si quis non habet nisi operas, quarum præstatione sibi comparare valet ea, quæ ad vitæ necessitatem faciunt, eidem jus est sese alteri in servitutem dandi* (§. 947.). Quoniam itaque ex pacto tunc oritur *servitus*, quæ *voluntaria* dicitur; *in servitute voluntaria ex pacto metienda sunt jura atque obligationes.* Et vi libertatis naturalis *unicuique permittendum, ut se alteri in servitutem det pro lubitu suo* (§. 78.), consequenter *etiam se vendere* (§. 587.), *aut quocunque modo alio alienare licet.*

§. 949.

An parentibus liceat liberos

Quoniam parentes liberos educare obligantur (§, 855.); *si aliter liberis suis de iis prospicere non possunt, quæ ad edu-*

educationem requiruntur, eos in servitutem vendere licet (§. 46.). Ast cum nec liberi æs alienum parentum solvere teneantur, nec uxor mariti (§. 873.); *ob æs alienum parentibus liberos, marito uxorem vendere non licet.*

vendere, vel marito uxorem.

§. 950.

De Servitute debitoris.

Enimvero cum naturaliter bona debitoris obligata sint pro quolibet debito, ut ex iisdem satisfiat creditori (§. 705.), operæ autem æquiparentur rebus in dominio existentibus (§. 225.); *creditor debitorem, qui solvendo non est, in servitutem redigere potest, donec sibi operis præstitis ex asse fuerit satisfactum*, consequenter *eundem etiam alii pro eo solventi in servitutem addicere, aut pro pretio convento* (§. 338. 342.). Dicitur autem *servitus coacta*, quam quis præter voluntatem suam subire cogitur.

§. 951.

De jure domini in servum.

Cum servus *domino* operas præstare teneatur (§. 947.); eidem *non competit jus nisi in operas a servo præstandas, & in actiones ceteras, quatenus respectum quendam ad illas habent*, consequenter *etiam jus eam ad operas præstandas obli-*

gandi

gandi, & præstare nolentem, vel in præstandis negligentem puniendi, ac ideo *minis & verberibus ad præstandum operas debitas compellendi* (§. 35. 93.).

§. 952.

De officiis humanitatis servo debitis.

Cum servus non desinat esse homo; *dominus* quoque *servum amare & cetera officia humanitatis præstare debet, quæ homo homini debet* (§. 38. 133.), consequenter *non permittere, ut is sit vitio deditus, sed curare, ut virtuti studeat* (§.139.), *ipsique competit jus præcipiendi servo, quæ legi naturæ conveniunt, probibendi, quæ repugnant* (§. 951.).

§. 953.

De operis a servo exigendis.

l. 2. De his, qui sui vel al. iur. st.

Quoniam operæ præstantur pro alimentis (§. 947.); *dominus servo alimenta salubria justa quantitate, & vestes aptas ad corpus contra injurias aëris tuendum dare debet* (§. 114. 115.), *nec operas exigere, ultra quod sanitas permittit* (§. 124. 37.).

§. 954.

Cuinam servus acquirat & de peculio servi.

Operæ servi, quæ ante erant in dominio servi (§. 225.), nunc sunt in dominio domini (§. 951.). *Quicquid* igitur *per operas servi acquiritur, domino acqui-*

acquiritur (§226.). Enimvero *si servus aliunde quid acquirit, vel per operas suas horis subsecivis*, in quibus voluntate domini a labore vacat, *id servi manet*. Dicuntur autem *Peculium servi* res & pecunia, quas servus quomodocunque extra ministerium domini acquirit: quod *dominus in rem suam vertere nequit* (§. 195.). *Non* tamen *permittere tenetur, ut servus eodem abutatur* (§. 952.), *& de eo satisfaciendum domino, si servus dolo, vel culpa sua damnum dederit* (§. 270.), *alias nonnisi puniendus* (§. 93.),

l. 5. §. 4. de pec. servi

§. 955.

Quale jus sit potestas dominica.

Cum *potestas dominica* sit jus determinandi actiones servorum, prouti sibi visum fuerit, & prouti legi naturæ convenit (§. 951. 952.); ea *imperium est* (§. 833). Unde & *imperium herile* appellari nonnunquam solet. *Domino* igitur *jus nullum in corpus & vitam servi competit*; consequenter *naturaliter jus vitæ ac necis in servum non habet*. Ac propterea, cum *in servum sævire* dicatur, si dura verba jugiter ferat in servum, in præstandis operis licet assiduum, aut ob non præstitas operas nimias,

l. 1. §. 2. de his qui sui v. a. j. s.

aut

aut solo odio sine ulla ejus culpa nimis duriter tractet; *in servum sævire non licet.*

§. 956.

De obligatione servi

Quoniam *servi domino* subjecti sunt (§. 955. 835.); eidem *obedire debent* (§. 835.), & per consequens *facere, quæ jubet, non facere, quæ prohibet* (§. cit.). Et *operas debitas omni diligentia præstare obligantur* (§. 947. 21.).

§. 957.

De alienatione servi.

Quia quilibet jus suum alienare potest pro lubitu (§. 257.); *dominus* quoque *servum*, hoc est jus, quod in ejus operas & ceteras actiones habet, *alienare potest, cui & quomodo voluerit,* veluti vendere.

§. 958.

De manumissione.

Cumque etiam jus suum remittere possit (§. 342.), quo facto servus fit liber (§. 337.), servus autem *manumitti* dicatur, si dominus libertatem suam eidem restituit; *dominus servum manumittere potest, non tamen invitum, si pacto servitus contracta* (§. 438.).

§. 959.

De natis ex ancil-

Quoniam partus ancillæ sumtibus domi-

domini educandus, & is præterea operis carere debet, quas mater propter partum præstare impedita fuit; *ex ancilla natus naturaliter tamdiu servilis conditionis est, donec sumtus educationis & si quid præterea interest restituantur.* Pactum, quod ancilla cum servo init liberorum procreandorum causa, *matrimonium est*, utut a Romanis *Contubernium servile* vocetur. Quoniam tamen dominus partum suo sumtu educare debet; *ad contubernium consensus domini requiritur.*

la & de contubernio.

l. 35. de aedilitio edicto.

§. 960.

Qui alicui certas operas ad certum tempus pro alimentis & certa mercede locat, *Famulus*; & eorum conductor *Herus* dicitur. *Ex pacto igitur metienda sunt jura & obligationes heri atque famuli.* Quatenus vero eodem utriusque partis commodum promovetur, cujus causa famulus operas locat, herus eas conducit, *Societas* quædam inter famulum & herum initur (§. 836.), quæ *berilis* vocatur. Convenit cum ea servitus voluntaria (§. 948.), & *famuli imperfectam servitutem subeunt* (§. 947.).

De societate berili.

§. 961.

§. 961.

De obligatione famuli.

Cum famulus hero perfecte obligetur ad certas operas præstandas (§. 960. 438.); *hero competit jus famulum obligandi ad faciendum, quod intra conventum modum imperare potest; si præstare nolit, vel negligens fuerit, eum ante diem dimittere potest* (§. 442.). Quoniam itaque famulus negotia domini negligere non debet; *eo tempore quo heri negotia obeunda sunt, sua curare nequit, nisi domino consentiente* (§. 337.); utpote qui jus suum remittere potest (§. 342.). Cum vero domino nullum damnum detur, *si famulus tempus in utilitatem suam collocet, quo a negotiis liber est; id prohiberi nequit.*

§. 962.

De hero vel famulo non obtrudendo.

Cum nemo alterum tertio obligare possit contra voluntatem suam (§. 78.); *intra tempus contractus nec herus famulo herum, nec famulus hero famulum alium loco sui obtrudere potest.* Quodsi vero dominus velit, ut operas quasdam, alias sibi debitas, quibus interea carere vult, præstet alteri, cum in eo nihil fiat, quod est contra jus famuli (§. 83.); *herus famulum alteri ad aliquot dies commodare potest* (§. 515.).

CAPUT

CAPUT VII.
DE
DOMO.

§. 963.

De societate composita & simplici.

S*ocietas composita* dicitur, quæ ex aliis simplicibus, aut minus compositis constat: *simplex* autem, cujus membra sunt individua physica. *Membra* igitur *compositæ sunt integræ societates*, tanquam individua moralia (§. 96.).

§. 964.

Domus quid sit.

Domus dicitur societas composita ex conjugali, paterna & herili, vel saltem ex binis. Illa *perfecta* est, hæc *imperfecta*. Dicitur autem *Paterfamilias*, qui in societate conjugali maritus, in paterna pater, in herili herus appellatur; *Materfamilias* vero, quæ in conjugali uxor, in paterna mater, in herili hera vocatur. Liberi autem & famuli, quatenus sunt membra minus digna domus, *Domestici* dicuntur; etsi vocabulum subinde ad solos famulos & famulas restringatur. Quoniam societates simplices, ex quibus domus componitur, in eadem subsistunt; *singulorum quoque membrorum domus jura & obligationes ex fine societatum simplicium* (*Wolfii Instit. J.N. & G.*)

l. 195. § 2. de V. S.

l. 6. quod cuiuscu. universitat. nom.

metienda: quia tamen societates simplices in unam coalescunt; *unusquisque sibi cavere debet, ne alteri quomodocunque impedimento sit, quo minus aliqua ex parte officio suo ~~desit~~ satisfaciat.*

§. 965.

De fine domus & obligatione ac jure inde nascente.

Cum societas finis cujusdam conjunctis viribus obtinendi causa contrahatur (§. 836.); *domus* quoque *finem* quendam *habere debet*, societatibus simplicibus subsistentibus, *non alium, quam ut conjunctis viribus eorum, qui membra societatum simplicium sunt, salus societatum simplicium rectius promoveatur*, consequenter *quando quis sit membrum societatis simplicis, quæ compositæ cujusdam, veluti domus membrum est, eo ipse tacite se obligat, quod salutem simplicium, quantum datur, promovere velit*, ac propterea *tacite* quoque *acquirit jura obligationi isti respondentia* (§. 46.).

§. 966.

De imperio in domo.

Quoniam in societate conjugali conjugum (§. 870.), in paterna parentum (§. 888.), in herili heri ac heræ commune est imperium (§. 955.); *naturaliter in domo imperium patri & matri-*

fami-

familias commune est, convenire tamen possunt, ut patrifamilias soli competat partim per se, partim per matremfamilias exercendum, & de modo exercendi (§. 667.).

§. 967.

Hinc consequitur, cum domus tanquam societas (§. 964.) suas habere debeat leges (§. 846.); *leges in domo mutuo patris & matrisfamilias consensu determinandas esse, nisi quatenus de imperio & ejus administratione specialiter quid fuerit conventum.* Vocantur autem *leges* istæ *domesticæ*, quæ cum præscribere debeant media, quibus finis domus obtinetur, (§. 846.); *ex fine domus derivandæ.* *De legibus domesticis.*

§. 968.

Quoniam itaque finis domus obtineri nequit absque legum domesticarum observantia (§. 967.); *pater & materfamilias diligenter attendere debent ad actiones domesticorum*, consequenter cum *vigilantia* consistat in diligentia animum attendendi ad omnia, quæ fiunt & quæ nosse interest, ne scilicet facile quid notitiæ nostræ subducatur; *pater & materfamilias vigilantes esse debent.* *De vigilantia patris & matrisfamilias.*

§. 969.

De autoritate patris & matrisfamilias.

Et quia pater ac materfamilias conjunctim imperium domesticum exercent, vel saltem paterfamilias id ex parte per matremfamilias exercet (§. 967.); *& patri, & matrifamilias curæ esse debet, ut in altera parte hæreat autoritas & neutra pars propriam autoritatem imminuere debet.*

§. 970.

De cura utriusque in domo.

Naturæ autem domus apprime convenit, *ut pater atque materfamilias provide prospiciant, ne liberorum mores per famulos & famulas, nec vicissim famuli ac famulæ per illos corrumpantur,* & *propterea permittere minime debent, ut liberi implicentur familiaritatibus famulorum & famularum, nec in hos sibi jus quoddam arrogent.*

§. 971.

De officiis humanitatis.

Quia denique officia humanitatis a quovis debentur cuivis, quantum in potestate est (§. 133.); *qui in eadem domo sunt quævis officia humanitatis data quacunque occasione sibi invicem præstare debent.*

SECT.

SECTIO II.

DE IMPERIO PUBLICO, SEU JURE CIVITATIS.

CAPUT I.

DE ORIGINE CIVITATIS ET IMPERII PUBLICI.

§. 972.

Domus singulas sibi non sufficere in iis, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem, immo felicitatem faciunt, nec ut jure suo quiete frui & quod ab aliis tribuendum satis tuto consequi, seque ac sua adversus vim aliorum defendere possint, haud difficulter assequimur. Necesse igitur est, quæ domus singulæ per se consequi nequeunt, adeoque societates contrahendæ (§. 836.). Societas eo fine contracta *Civitas* appellatur. Unde patet, *pacto hominum civitates fuisse constituendas* (§. 836.), & *finem civitatis consistere in vitæ sufficientia*, abundantia eorum, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem requiruntur, ac mediorum felicitatis; *tranquillitate civitatis*, vacuitate a metu *Cur civitates introducendæ & de fine earundem.*

injuriarum, ſeu a violatione juris ſui (§. 87.); & *ſecuritate*, ſeu vacuitate metus a vi præſertim externa; *Salutem* autem *civitatis in fruitione vitæ ſufficientiæ, tranquillitatis & ſecuritatis* (§. 837.), *quæ quatenus obtinetur, bonum publicum eſt* (§. cit.).

§. 973.

Reſp. quid ſit. Civitatis ordinatio *Reſpublica* dicitur, quamvis civitas & Reſp. a nonnullis pro ſynonymis habeantur, ſed perperam; cum aliud ſit pactum, quo civitas conſtituitur, alia conventio, qua conſentitur in media finem civitatis conſequendi. Ex illo nimirum civitas formam ſuam ſpecificam nondum nanciſcitur, quam ex hac demum acquirit.

§. 974.

Quid ſit gens, civis, peregrinus, incola. Multitudo hominum in civitatem conſociatorum *Populus*, ſive *Gens* dicitur. *Multitudo* itaque *hominum alio fine, quam qui civitatis eſt* (§. 972.), *conſociatorum gens non eſt*. Membra civitatis, ſeu ſinguli, qui ſocietatem civilem ineunt, dicuntur *Cives*; qui vero membrum civitatis noſtræ non eſt, *Peregrinus* appellatur. Et peregrinus, cui

cui habitare & rem suam gerere permittitur in aliena regione, *Incola* audit. l. 239. §. 2. de V. S.

§. 975.

De obligatione singulorum & universorum.

Cum ex pacto, quo civitas constituta (§. 972.), oriatur obligatio (§. 438.); *singuli obligantur universis ad commune bonum pro virili promovendum, & universi singulis, quod sufficientiæ vitæ ipsorum tranquillitati & securitati prospicere velint* (§. 972.), consequenter *a neutra parte fieri debet, quod huic obligationi contrariatur*, ideoque *universis competit jus cogendi singulos, ut obligationi suæ satisfaciant.*

§. 976.

De lege suprema civitatis.

Quoniam itaque *in civitate* nihil faciendum, quod saluti ejusdem adversatur (§. 972. 975.); *salus publica* in eadem *suprema lex est*, consequenter *si salus publica exigit, ut certo modo de rebus civium disponatur*, immo *de ipsis civibus quibusdam, jus ita disponendi universis seu populo competis.*

§. 977.

De libertate Civita-

Cum singuli, qui in civitatem coëunt, liberi sint (§. 77.), & dum in ean-

tum, seu gentium. dèm coeunt, nonnisi sibi invicem se obligant (§. 972.); *natura civitates diversæ inter se spectantur tanquam personæ liberæ in statu naturali viventes* (§. 850.): id quod etiam inde patet, quod civitas societas sit (§. 972. 850.).

§. 978.

De jure determinandi ea, quæ finis consequendi causa fieri debent. Quoniam *quælibet civitas natura*, seu qualis est vi originis suæ, libera est (§. 977.), ac ideo in actionibus suis independens ab omni alia gente ac homine quocunque (§. 77.); *jus* quoque *habet determinandi pro lubitu modum, quo salus publica promoveri debet, seu media, quibus finis civitatis obtinetur*, consequenter *non modo constituendi ea omnia, quæ eo fine necessaria sunt, & determinandi ea, quæ constanter eodem modo fieri debent, adeoque leges ferendi* (§. 39.); *verum etiam decernendi, quid in casu quolibet emergente fieri debeat.* Patet autem, *ea omnia determinanda esse communi omnium consensu* (§. 841.). Ast cum fieri non possit, ut semper consentiant omnes; *majori quod visum fuerit parti, id pro voluntate omnium habendum, sicque minor pars obliganda per majorem.*

§. 979.

§. 979.

Jus universis competens in singulos, cum in determinandis eorum actionibus consistat (§. 978.); *imperium est* (§. 833.),, quod *civile*, vel etiam *potestas civilis* appellari solet, atque *oritur ex pacto. quo civitas constituta* (§. 972.), *& originarie penes populum est* (§. 974), *tanquam res incorporalis propria* (§. 206.). **Imperii civilis origo.**

§. 980.

Imperium civile cum metiendum sit ex fine civitatis (§. 976. 972.); idem *non extenditur ultra eas civium actiones, quæ ad bonum publicum consequendum pertinent*, consequenter cum nonnisi quoad easdem *libertas naturalis* singulorum restringatur (§. 975. 77), *quoad ceteras actiones* ea *illibata manet*. **De limitibus imperii civilis.**

§. 981.

Quoniam imperium civile quoad exercitium liberum est ab omni alia gente & homine quocunque (§. 977. 77.); *nullus* quoque *actus ad imperii exercitium spectans ab ullo homine irritus fieri potest*. Quamobrem cum *imperium summum* dicatur, cujus actus a nullo homine irriti fieri possunt; *imperium civi-* **De summitate imperii civilis.**

 le

le in ſe, quale ſcilicet originarie populo competit (§. 979.), *ſummum eſt*.

§. 982.

Quomodo de imperio diſponere poſſit populus & de jure Rectoris civitatis.

Cum imperium civile originarie ſit penes populum, ſeu in dominio ejusdem (§. 979.); *ſi civitas ordinanda, populus, ſive univerſi inter ſe convenire debent, utrum imperium ſibi retinere, an in perſonam unam, vel in plures conjunctim, utrum totam, an diviſum, & num certa lege, an absque ulla lege transferre velint, num revocabiliter, an irrevocabiliter, num ad certum tempus, an ad dies vitæ, num tanquam transmiſſibile in certos alios, an tanquam non transmiſſibile, num ſaltem quoad exercitium, vel quoad ipſam ſubſtantiam.* Quamobrem cum *Rector civitatis* is dicatur, cui imperium in civitate delatum eſt, ut id exerceat; *Rectoris civitatis jus metiendum ex voluntate, quæ populo fuit, cum imperium transferret.*

§. 983.

De diviſione imperii.

Quoniam imperium civile conſiſtit in jure determinandi ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 980.); pro horum diverſitate varia complectitur jura, quæ *Partes imperii potentiales* vocantur a *Grotio*. Atque ideo

Lib. 1. c. 3. § 17.

ideo *Imperium plenum* dicitur, quod nulla ſui parte deminutum; *minus plenum*, quod una, vel altera parte deminutum. Eſt autem *Imperium limitatum*, cujus exercitium certis legibus adſtrictum, vel conſenſu alterius indiget; *abſolutum* vero, quod limitatum non eſt. *Imperium* itaque *minus plenum abſolutum eſſe poteſt, idemque ſummum* (§. 981.); *plenum vero limitatum, immo pro aliqua parte limitatum, pro reliqua abſolutum.* Ad certum tempus ſi confertur *Imperium*, vocatur *temporarium*; quod abſolutum & ſummum eſſe poteſt; ſi ſub clauſula, quamdiu placuerit, *precarium*; quod *quovis momento revocabile* conſequenter ſummum eſſe nequit (§. 981.), etſi *abſolutum eſſe poſſit.*

§. 984.

Leges, ad quas exercitium imperii adſtringitur, *fundamentales* dicuntur. Quamobrem *lex* quoque *fundamentalis eſt, ut Rector civitatis in certis negotiis requirat conſenſum vel populi univerſi, vel certorum quorundam, & qua diſponitur de modo transmittendi, vel deferendi imperium.* Patet præterea, *Rectorem civitatis obligari ad legum fundamentalium obſervantiam, nec eas pro* *De legibus fundamentalibus.*

lubitu

lubitu suo mutare posse (§. 982.). Cum vero *leges fundamentales* fiant *consensu* populi (§. 978.); eodem quoque *tolli & mutari possunt, modo jus Rectori civitatis, aut ejus successoribus inde quæsitum non diminuatur* (§. 86. 100.). Enimvero quia leges fundamentales a populo fiunt pro lubitu imperium in Rectorem civitatis transferente (§. 982.); *si Rector civitatis, qui absolutum imperium habet, ipse certas leges constituit, juxta quas imperium exercere velit, vel etiam concilium, sine cujus approbatione quid facere nolit, eædem leges fundamentales non sunt*, ac per consequens *Rector civitatis non semper necessario easdem observare tenetur, immo si ita visum fuerit, eas prorsus tollere potest*. Quamobrem *nec ea de causa imperium esse desinit absolutum* (§. 983.) *atque summum* (§. 981.). *Idem valet, si populus saltem exprimit voluntatem suam de nonnullis, quæ Rector civitatis facere, aut non facere debeat, non vero expressè declarat, se ejus judicio stare nolle, nec concilium constituit, sine cujus consensu nihil eorum decernere valet*; cum nullum sibi jus in actus Rectoris reservet populus.

§. 985.

§. 985.

Quomodo imperium deferri nequeat.

Cum bonitas & malitia actus, quippe de qua non omnium idem eſt judicium, non ſit apta ad diſtinguendum jus Rectoris civitatis & populi; *imperium transferri nequit ea lege, ut populus univerſus recte imperanti reſiſtere debeat, male autem imperanti reſiſtere eumque coërcere poſſit;* conſequenter *mutua populi & Rectoris civitatis ſubjectio perpetua eſſe nequit* (§. 835.).

§. 986.

De modo habendi imperium. Conf. Grotius Lib. 1 c. 3 §. 11.

Si *Imperium* in Rectorem civitatis ſaltem transfertur quoad exercitium, *uſufructuarium* vocatur; ſi ſimul quoad ſubſtantiam, *patrimoniale.* Quamobrem *imperium patrimoniale habetur pleno jure, uſufructuarium minus pleno* (§. 198.). Patet autem, *imperium uſufructuarium plenum, abſolutum & ſummum eſſe poſſe: imperium autem patrimoniale minus plenum & limitatum* (§. 983. 981.). *Modus habendi imperium,* cum non ſit pars imperii, ſed ab eo diſtinguatur tanquam res diverſa; *in ipſo imperio nihil mutat, nec is ad exercitium imperii ſpectat* (§. 66.).

§. 987.

§. 987.

De infeudatione imperii.

Quia res etiam incorporales infeudari possunt (§. 740.); *imperium* quoque *infeudari potest* (§. 121. 979.). Cum infeudatio ad modum habendi imperium pertineat; *imperium infeudatum absolutum plenum & summum esse potest* (§. 986.), *habetur tamen minus plene* (§. 736. 986.).

§. 988.

De imperio per modum fideicommissi delato.

Quoniam delatio imperii tota dependet a voluntate populi transferentis (§. 982.); *imperium* quoque *transferri potest per modum fideicommissi*, hoc est, *ea lege, ut post certum tempus, vel moriens id restituat certo cuidam alteri* (§. 941.). Et ut ante (§. 987.) patet, *hoc modo delatum absolutum, plenum ac summum esse posse.*

§. 989.

De capitulatione.

Pacta, in quibus de modo administrandi imperii inter Rectorem civitatis & populum convenitur, vel eos, qui populi jus habent, *Capitulatio* dicitur. *Est* igitur *capitulatio lex fundamentalis* (§. 984.), consequenter *eadem opus est, si imperium limitatum esse debet* (§. 983.),

(§. 983.), *nullæ autem sunt leges fundamentales perpetuæ.* Pacta cum servanda sint (§. 438.); *absque consensu ejus, cum quo capitulatio facta, nihil in eadem mutari potest.*

CAPUT II.
DE DIVERSIS RERUMPUBLICARUM FORMIS.

§. 990.

Si imperium est penes totum populum, forma Reip. dicitur *Democratia*, subinde etiam *status popularis*. Quoniam *Libertas civilis populi* est independentia, quoad actus ad bonum publicum promovendum requisitos, voluntate alterius; *in democratia populus libertate civili fruitur, nec tantummodo liber est respectu aliarum gentium* (§. 977.), *verum etiam respectu sui ipsius.* *Democratia.*

§. 991.

Monarchia dicitur, si imperium, quale originarie in populo est, consequenter plenum, absolutum & summum, est penes unum. Quamobrem *in monarchia monarcha tantundem potest, quantum populus universus in democratia.* *Monarchia.*

Cum

Cum tamen modus habendi imperium in ipso imperio nihil mutet (§. 968.); *nihil interest, num imperium sit in patrimonio, an in usufructu.* Et quia in monarchia jus populi in monarcham translatum; *monarcha populum repræsentat.*

§. 992.

Aristocratia. *Aristocratia* dicitur, si imperium quale originarie in populo est, penes certas quasdam personas est, qui *Optimates* appellantur. *Optimates* itaque *in aristocratia tantundem possunt, quantum populus potest in democratia, & imperium plenum, absolutum & summum habent.* De modo habendi imperium idem tenendum, quod de monarcha diximus (§. 991.). Et quia *optimates* jus populi habent; *conjunctim populum repræsentant.* Quamobrem cum *Dignitas civilis* sit præcellentia supra personas alias in Rep. *ex juribus personæ competentibus æstimanda*, optimates autem conjunctim jus habeant, quod monarcha solus habet; *major est dignitas monarchæ, quam optimatum singulorum.*

§. 993.

Resp. mixta. *Respublica mixta* est, quæ in aliis ad me-

monarchiam, in aliis ad aristocratiam, in aliis ad democratiam accedit, aut saltem ex binis Reip. formis aliquid participiat. *Oritur Reip. forma mixta ex imperii divisione in partes potentiales* (§. 983.), *& ejus limitatione* (§. 980.). Utrumque cum variis modis fieri possit; *mixtæ Reip. formæ pluribus modis differre possunt, & earum forma per leges fundamentales definienda* (§. 984.).

§. 994.

Regnum dicitur ea Reip. forma, in qua imperium sive plenum, absolutum ac summum, sive quomodocunque limitatum aut deminutum penes unum est, salva tamen summitate civitati manente. Persona, penes quam in regno imperium est, *Rex* dicitur. *Regnum igitur est vel monarchia, vel mixta quædam Reip. forma* (§. 991. 993.). *Rex* tamen *quilibet in negotiis cum aliis gentibus populum repræsentat, nisi per leges fundamentales aliis gentibus notas quoad nonnulla aliter fuerit cautum.* *Regnum.*

§. 995.

Imperium polyarchicum, a nonnullis *Condominatus* dicitur, si duo, vel tres habent imperium indivisum in uno *Imperium polyarchicum, seu*

(*Wolfii Instit. J. N. & G.*) Qq re-

condominatus. regno commune, veluti si duo, vel tres fratres simul imperent. Duo autem isti, vel plures *Condomini*, vel *Correges* dicuntur, in quibus quasi singulis regia potestas & dignitas tota residet.

§. 996.

Superior quinam & subditi quinam sint. *Superior* in civitate dicitur is, cui competit jus in actiones singulorum; hi autem vocantur *Subditi*. Quamobrem *in democratia populus universus superior est* (§. 990.), *in regno & monarchia Rex sive monarcha* (§. 991. 994.), *in aristocratia sunt optimates conjunctim* (§. 992.), *ast singuli in democratia, monarchia & aristocratia, & in hac etiam singuli optimates subditi sunt.* Enimvero *in condominatu condomini sunt singuli superiores, nec unus eorum subditus alteri* (§. 995.).

§. 997.

De regno herili. *Regnum herile* dicitur, in quo Regi idem jus competit in subditos & res subditorum, quod domino in servum; seu in quo Regi præter potestatem civilem etiam dominica competit; consequenter *in regno herili Rex de operis subditorum sibi præstandis & de rebus subdito-*

ditorum pro lubitu disponit, & actiones publicas ad suam præcipue utilitatem dirigit, nonnisi secundario utilitatem subditorum intendens; id quod cum pacto, quo civitates constitutæ, repugnet (§. 972.); *imperium herile inde ortum suum non trahit, nec a fine civitatis derivatur.* Quoniam tamen populus imperium alii deferre potest, prouti visum fuerit (§. 982.); *si imperium herile in Regem deferre velit, hoc ipsi permittendum* (§. 977. 78.). Et quoniam *in regno herili subditi omnes subeunt servitutem personalem*, servitus autem personalis in se illicita non est (§. 948.); *regnum* quoque *herile in se illicitum non est, nec si populus in idem consentit, injustum* (§. 83.). Quia vero etiam dominus servum amare & cetera humanitatis officia præstare debet, quæ homo homini debet (§. 952.); *in regno* quoque *herili Rex, seu imperans subditos amare debet & officia humanitatis præstare*, consequenter *in exercendo imperio herili nil committere, quod officiis istis repugnat.* Per se patet, *possibilem* etiam *esse aristocratiam herilem*, de qua eadem tenenda, quæ de regno herili.

§. 998.

De majestate & jure majestatico.

Majestas est dignitas ejus, penes quem summum imperium est indivisum. Non obstat, quod ejus exercitium in nonnullis ad leges quasdam fundamentales adstringatur; cum actus hisce conformes a nullo homine irriti fieri possint. Atque hinc *Jura majestatica* appellantur, quæ ad imperium summum ejusque exercitium pertinent. Patet autem, *in democratia majestatem convenire populo universo* (§. 990.), *in aristocratia collegio optimatum* (§. 992.), *in monarchia & regno Regi* (§. 991. 994.).

§. 999.

De senatu.

Senatus dicitur cœtus certarum personarum, cui regimen publicum quoad ea, quæ quotidianæ administrationis sunt, vel quæ moram non ferunt, & executio illorum, quæ a superiore decreta sunt, committitur, & qui ad consilium de rebus publicis superiori subministrandum adsciscitur. *In democratia* itaque *senatus necessario constituendus*, cum populus non quotidie convenire possit (§. 990.), *& tanto plus auctoritatis & potestatis in eum conferendum*, quan-

z. §. 9. n. 0. V.

quanto rarius populus, aut difficilius convenire poteſt.

§. 1000.

Conventus negotiorum publicorum agendorum cauſa celebrati dicuntur *Comitia.* Quamobrem *in democratia populus univerſus negotia publica, ſenatui non permiſſa* (§. 999.), *per ſe nonniſi in comitiis agere poteſt* (§. 990.), cumque de iis, quæ ad exercitium imperii ſpectant, pro lubitu ſtatuere poſſit (§. 978.); *a voluntate ejus unice dependet, utrum comitia ſtatuto tempore ſemper ſint habenda, an vero ſaltem in caſu emergente, quo de re quadam ex præſenti tempore ſtatuendum.* Patet (§. 999.), *jus convocandi comitia competere ſenatui debere*, cumque eidem ſtatus præſens rerum optime perſpectus ſit; *eidem* quoque *conferendum eſſe jus ea in comitiis proponendi, aut ſaltem ſuggerendi, de quibus deliberandum, utut etiam*, cum in democratia natura omnium æquale jus ſit (§. 70. 972.), *quilibet ſuggerere poſſit, quod ipſi ad promovendum bonum publicum conducere videtur, ut de eo deliberetur.* Et quoniam concordia ſociorum ſalus ſo- *De comitiis.*

cietatis conservatur (§. 847.), ut eviten-tur discordiæ; *leges de comitiis celebrandis condendæ* (§. 978.), veluti quinam *jus comitiorum* habere debeat, ut scilicet in iis votum habeant, quomodo populus in certos ordines, & hic in cœtus quosdam minores sint distribuendi, qui certas eligant personas ipsorum nomine ad comitia mittendas, seu deputatos; quinam in comitiis Directoris munere fungi debeat, & ita porro. Denique cum *in Rep. mixta* retineri possint, quæ in statu populari necessaria sunt (§. 993.); in ea quoque *locus esse potest comitiis*.

§. 1001.

De aristocratia formanda.

Quoniam vi libertatis, populo competentis (§. 977.), formam Reip. eligere is potest, quam voluerit (§. 78.); *a voluntate populi in aristocratia unice dependet determinare, quantus esse debeat optimatum numerus, num ex omnibus populi ordinibus, an saltem ex eminentiore ejus parte optimates constituendi, num eorum regimen annuum, vel temporarium, an perpetuum esse debeat; utrum successores eligendi, an certa successionis lex statuenda; num jus optimatum ad certas familias, an ad possessionem præ-*

dio-

diorum, *vel aliam personarum conditionem restringendum.* Hinc *Aristocratia* alia *annua* vel *temporaria*, alia *perpetua*, alia *electiva*, alia *successiva est*, alia denique *laxa*, quando ingens admodum fuerit optimatum numerus, etsi is minorem populi partem faciat; alia *strictior* quando numerus optimatum non major est, quam qui quotidie convenire, aut citra moram convocari possit.

§. 1002.

De jure monarchæ & regno æsymnetico.

Cum *monarcha* imperium plenum absolutum & summum habeat (§. 991); *de omnibus negotiis publicis pro lubitu statuere potest* (§. 983.), *& ejus judicio standum* (§. 981.). Et quia non a tempore dependet jus monarchæ, sed imperium plenum, absolutum ac summum ad tempus quoque haberi potest; *Rector civitatis temporarius monarcha esse potest.* Et quoniam *Regnum æsymneticum* dicitur, si imperium saltem ad tempus in aliquem transfertur; idem *monarchia esse potest, non tam necessario est.* Ceterum *monarcha non habet imperium herile*: quippe quod ab eo, quale originarie in populo est, & in monarcham translatum (§. 991), dissentit (997).

 §. 1003.

§. 1003.

Grot. l. 1. c. 3. §. 20. *De Regno Laconico.* *Regnum Laconicum* dicitur, in quo exercitium imperii quidem uni commissum, sed qui id exercere tenetur juxta populi, vel procerum voluntatem. *In regno* igitur *Laconico Rex magis suadendi, quam jubendi potestate pollet*, & *inter monarchiam & regnum Laconicum*, cum imperium Regi competens variis modis limitatum, aut deminutum esse possit (§. 981. 983.), *plures regni species interjectæ sunt.* Patet etiam, *in regno Laconico Regem assimilari senatui* (§. 999.).

§. 1004.

De regno legitimo. *Regnum legitimum* dicitur, in quo Rex imperium exercere tenetur juxta leges fundamentales vel perpetuas, vel in delatione imperii ipsi in specie præscriptas, seu capitulationem. *Regna* igitur *legitima sunt Resp. mixtæ* (§. 993), & *species inter monarchiam & regnum Laconicum interjectæ.* Patet etiam, *in regnis legitimis jus Regis omne metiendum esse ex legibus fundamentalibus* (§. 984.).

§. 1005.

De regno electivo & *Regnum electivum* dicitur, quando populus eligit successorem, Rege defi-

ciente

ciente, aut jus eligendi in alios trans- *interre-*
tulit. *Rege mortuo imperium ad popu-* *gno.*
lum redire, per se patet, consequenter *a voluntate ipsius dependet, num Regem novum eligere velit, an aliam Reip. formam introducere.* Cumque *Interregnum* dicatur status Reip. in quo sedes vacat; *populus in interregno imperium vel per se vel per alium, aut certos alios administrare potest*, consequenter *Vicarios regni constituere, quorum jus ex lege fundamentali metiendum* (§. 984.); *&* ideo *in ipso momento incipit, quo Regis jus finitur.*

§. 1006.

Cum jus transferendi imperium *De Re-*
originarie penes populum sit (§. 982.); *gis ele-*
jus eligendi Regem vel populus univer- *ctione.*
sus sibi reservare, vel idem simpliciter in alios certos transferre, vel denique certas electionis leges condere potest (§. 984.), veluti determinando personæ eligibilitatem, tempus & modum electionis. Dicitur autem *Electio legitima*, quæ juxta leges de electione Regis conditas facta; *illegitima*, quæ legi cuidam contrariatur. Quamobrem cum electorum jus ex legibus fundamentalibus metien-

dum; *populus non tenetur, Regem illegitime electum agnoscere.*

§. 1007.

De jure & obligatione Regis electi.

Cum salus publica suprema lex sit (§. 976.); *Rex electus promittere tenetur, quod imperium saluti publicæ convenienter &, cum populus velit, id secundum leges fundamentales administrari* (§. 984.), *si certæ leges eidem præscribuntur, secundum easdem administrare velit.* Quoniam pactum intercedit inter Regem electum & populum, quo ille se obligat ad imperii exercitium, hic jus exercendi in ipsum transfert (§. 438.); *nec Rex imperium sine consensu populi abdicare, nec ipse a populo abdicari potest* (§. 100.). Quoniam vero pactum, cui lex commissoria addita, statim resolvitur, conditione resolutiva, quæ eidem inest, existente (§. 609.); *si Regi defertur imperium sub lege commissoria, ut regno cadat, quando hoc fecerit, vel non fecerit, regnum amittit, si fecerit, vel non fecerit,*

§. 1008.

De regno successorio.

Regnum successorium dicitur, quando in locum Regis deficientis certa lege succedit alius. *Lex successionis,* qua designan-

ſignantur perſonæ regni capaces, & modus ſuccedendi definitur; *in delatione imperii primo Regi facta conſenſu populi, aut eorum, qui jus populi habent, condenda* (§. 984.). *Quodſi quædam huc ſpectantia in eadem fuerint prætermiſſa*, cum ea tanquam per ſe nota populus ſuppoſuerit; *more gentium vicinarum*, quem tacite approbaſſe intelligitur, *ſucceditur*. Et quia regna ſucceſſoria introducuntur eo fine, ut ſucceſſor ſit certus, evitandarum nimirum turbarum cauſa, quæ in electione facile oriuntur: *in caſu dubio populus de ſucceſſione id voluiſſe præſumitur, quod ſuceſſionem certam facit.*

§. 1009.

De ſucceſſione in regno patrimoniali.

Cum *in regno patrimoniali Rex præſens* diſponere poſſit de ipſa ſubſtantia imperii (§. 986.); *ſucceſſorem ſibi eligere poteſt, quem voluerit, perſonam ſibi cognatam, vel nullo ſanguinis vinculo junctam, etiam extraneam, ſeu peregrinam, immo* quoque *filium exhæredare*, ne ſuccedere poſſit. Et cum *Regnum patrimoniale* vel ſit *perfecte tale*, ſi omnis proprietas imperii fuerit penes Regem; vel *imperfecte tale*, ſi ſaltem jus transferendi

rendi imperium pro lubitu fuerit penes Regem; *in perfecte tali imperium dividere potest in partes non modo potentiales* (§. 983.), *verum etiam subjectivas.*

§. 1010.

De divisione imperii in partes subjectivas.

Nimirum *partes subjectivæ imperii* dicuntur imperium in personas, quæ incolunt certam territorii partem. *Territorium* vero vocatur locus, in quo alicui imperium civile competit: unde *civitatis territorium* est regio, quam populus inhabitat, & in qua originarie imperium habet. Cum ad finem civitatis pertineat defensio sui adversus vim externam (§. 972.); *imperium in se in partes subjectivas divisibile non est*, consequenter *populus non intelligitur imperium transtulisse in alium, nisi ea lege, ne in partes subjectivas dividatur.*

§. 1011.

De modo succedendi hæreditario.

Modus succedendi hæreditarius est, si eodem modo in regno succeditur, quo in hæreditate ab intestato succedi solet, nimirum qui eo tempore, quando imperium primo Regi defertur, apud populum deferentem in usu est (§. 810.). Cum nonnisi unus in regno succedere possit

possit (§ 994.); *si Regi defuncto plures extiterint hæredes*, deficiente ratione intrinseca electionis, *natu major præfertur natu minori*; utpote qui prior jus succedendi acquisivit per nativitatem (§ 828.). Et *nisi expressa populi voluntate fœminæ admittantur*, *aut non admittantur*, *nisi deficientibus masculis*; *in casu priori fœminæ prætereuntur*, *in posteriori ultimo Regi filia*, *vel agnata proxima succedit* (§. 1008.). Patet etiam, *si in successione in bonis obtineat jus repræsentationis*, *idem quoque obtinere in successione in regna.*

§. 1012.

Actus Regis regii sunt, qui pertinent ad exercitium imperii; *privati* vero, qui ad idem non pertinent. *Rex* igitur *quoad actus privatos tanquam persona privata spectandus*, consequenter *quoad eos non fruitur nisi jure privatorum.* Similiter *Bona Regis regia*, seu *publica* sunt, quorum usus ad imperii administrationem & splendorem regium perpetuum destinatus. *Bona* vero *Regis privata*, seu *propria* sunt, quæ ad usus ipsius privatos destinantur, aut quocunque modo ab ipso acquiruntur. *Bona* igitur

De actibus & bonis Regis regiis ac privatis.

patrimonialia Chatoul-Güter.

igitur *Regis privata cum regiis in unam massam confundi nequeunt*, consequenter *regia ad hæreditatem ipsius minime pertinent* (§. 916.). Quamobrem etsi modo hæreditario succedatur in regno (§. 1011.); *qui in regno succedit, non ideo succedit in bonis Regis privatis, & hæreditate repudiata in regno succedere potest, nec debita antecessoris privata solvere tenetur.*

§. 1013.

De successione lineali. *Successio linealis* est, in qua regnum continuo ab uno in alterum devolvitur in linea recta; nec ad aliam propiorem fit transitus, nisi illa extincta. *In successione* itaque *lineali mortui habentur pro vivis, & regnum per eos devolvitur ad eum, qui in vivis est, in eadem linea semper a persona gignente ad genitam; quando vero fit transitus ad aliam lineam, ab ultima in regnatrice ad primam in eidem proxima.* Dicitur autem *successio linealis agnatica*, si fœminæ a successione in æternum excluduntur; *cognatica* vero, si cum masculis promiscue admittuntur, vel masculis deficientibus succedit fœmina Regi ultimo proxima. Patet autem, ut ante (§. 1011.), *natu*

natu majorem præferri natu minori. Ceterum cum regna successori ideo fuerint introducta, ut successor certus sit (§. 1008.); *si deficiente agnatica substituitur successio linealis cognatica, regnum devolvitur ad filiam ultimi Regis & ejus liberos masculos, vel ad cognatam proximam & ejus liberos masculos.*

§. 1014.

Cum modus succedendi a libera populi imperium deferentis voluntate dependeat (§. 982.); *tot modi succedendi in regno possibiles sunt, quot concipi possunt, & is obtinebit, quem tempore instituti regni populus elegerit.* Sed de his in specie plura dici nil attinet. *De aliis succedendi modis.*

§. 1015.

Quoniam *in regno successorio* ideo quis succedit, quia populus voluit, ut hac lege succedatur; *successor jus suum non habet ab eo, cui succedit, sed a voluntate populi, seu primo acquirente.* Atque *jus succedendi providentia majorum quæsitum est* (§. 831.), *& de ejus renunciatione ac repudiatione valent, quæ de jure per te in alios transmittendo alibi ostendimus* (§. 830.). *Unde jus successionis habeatur in regno successorio.*

§. 1016.

§. 1016.

De jure decidendi controversiam de successione. Quia jus succedendi in regno acquiritur independenter a Regis præsentis voluntate (§. 1015.), nec populus, imperio in primum Regem certa successionis lege delato, quicquam in ea pro lubitu immutare potest, invitis iis, quibus aliquod jus inde quæsitum (§. 100.); *controversiam de jure succedendi suo ordine nec Rex præsens, nec populus decidere potest.* Quoniam tamen initio imperium deferre potest populus ea lege, qua placuerit (§. 982.); *& primo regi jus decidendi controversiam de jure succedendi deferre, & idem sibi reservare potest.*

CAPUT III.

DE REPUBLICA CONSTITUENDA.

§. 1017.

Constitutio Reip. quid sit. *Constitutio Reip.* est determinatio modi, quo finis civitatis obtinendus. Quamobrem ut jura sub imperio civili contenta agnoscantur, & officium tam imperantium, quam parentium pateat, ac jura singulorum intelligantur; de constitutione Reip. hic agendum (§. 978.).

§. 1018.

§. 1018.

Cum in civitate conjunctis viribus finis civitatis obtinendus (§. 972.); *tantus esse debet civium numerus, qui bono communi civitatis promovendo & defensioni adversus insultus hostiles sufficit, & ut sint tales, quales ad hunc vel istum finem particularem apti*, consequenter *ne sit major cum universim, tum in specie in quolibet vitæ genere, quam ut ne desit sufficiens copia eorum, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem requiruntur, nec minor.* **De numero civium.**

§. 1019.

Hinc consequitur, *ut a civitate discedere liceat iis, quorum opera ad promovendum bonum publicum & defendendam civitatem Resp. carere potest*: de quo cum sit superioris judicium (§. 996.); *sine consensu superioris sive expresso, sive tacito a civitate discedere non licet.* Quamobrem cum Reip. intersit, *ne discedant divites aut locupletes, vel qui in aliquo vitæ genere præclaram Reip. operam præstare valent, aut quorum opera ad defendendam Remp. opus est; superior id permittere non tenetur.* Per eandem rationem *gregatim discedere* **De discessu a civitate.**

non licet, nisi ea sit rerum penuria, ut extremæ vitæ necessitati discedentium prospicere non detur (§. 442.). *Qui a civitate discedit*, cum civis esse desinat; *fit peregrinus* (§. 974.), *nec civitati in eum amplius jus est* (§. 975.).

§. 1020.

De receptione peregrinorum.

Sequitur hinc porro, *ut a voluntate superioris dependeat, num & qua lege peregrinum recipere velit, num eum civibus æquiparare, an non omnia civium jura in eum conferre, an saltem permittere, ut in regione sua habitet & rem suam agat, an tanquam incolam recipere* velit. Appellantur autem *Indigenæ*, qui ex parentibus civibus in ea regione, in qua habitant, nati sunt; *Advenæ* vero, qui aliunde eo veniunt, ubi habitant, vel ex advenis nati sunt. Et *Jus civitatis*, vel etiam *Indigenatus* dicitur jus, quo cives fruuntur. Sunt vero etiam *Advenæ temporarii*, qui aliunde veniunt non eo animo, ut perpetuo apud nos habitent, sed saltem aliquo temporis intervallo commorentur: qui cum *nec civibus, nec incolis annumerandi sint* (§. 974.); *qui ex ipsis apud nos nascuntur, nec cives nostri sunt nec incolæ*. Nimirum jus indigenatus &

consequenter vel tantum eum tanquam civem vel aequalem vel inaequalem

inco-

incolatus transmissibile est (§. 821.), cum alias civitas conservari non posset.

§. 1021.

Sufficientia vitæ exigit, *ut res industriales & artificiales, quantum datur, multiplicentur, ne permittatur, ut otio diffluant, quibus vires ad laborandum suppetunt, ne cuiquam desit, qui laborare vult, labor, ut quilibet studio ac labore suo tantum acquirere possit, quantum ad res, si non utiles & voluptuarias, saltem necessarias comparandum sufficit* (§. 972.), consequenter huic fini convenienter *pretia rerum ac laborum determinanda, & curæ maxime habendum, ne subditi in paupertatem, vel egestatem incidant, vel ad mendicitatem redigantur.* Ac propterea *non ferendum, ut annona flagelletur,* & *quantum datur, subditi sublevandi, ne annonæ caritas ipsis sit damnosa.* Cumque maximus isque indispensabilis sit lignorum usus; *curandum ne desit sufficiens lignorum copia, & iis rarescentibus ad eorum parsimoniam subditi obligandi.* Et quoniam luxus consistit in sumtuosiori cibi, potus, vestitus & aliarum rerum cura (§. 509.), & eo bona dilapidari constat; *nimius,* quo

De iis quæ sufficientia vitæ exigit.

l. 2. ad leg. Jul. de annona.

ſcilicet ad paupertatem, aut mendicitatem rediguntur cives, *non tolerandus*. Ob rationem eandem *uſuraria pravitas non permittenda* (§. 649.), *nec tolerandi ſunt ludi, quibus bona dilapidantur*, ac ideo *nec luſores*, qui luſum tanquam artem exercent, immo *nec lotariæ ac ollæ fortunæ, niſi boni publici cauſa, quod aliter promoveri nequit* (§. 46.), *concedendæ* (§. 673. 674.).

L. 20 C. quib. ex caus. infamia irrogatur.

§. 1022.

Ea porro expenduntur quoad pauperes & mendicos.

Eadem vitæ ſufficientia exigit, *ut etiam egenis ac mendicis proſpiciatur de iis, quæ ad vitæ neceſſitatem requiruntur*, &, ne ſubditi nimiis eleemoſynis graventur, *ea curæ eſſe debent, quæ lex naturæ de eleemoſynis conſtituit* (§. 488. & ſqq.). Hinc *inſtituenda ſunt ergaſtula*, in quibus opus facere coguntur, qui, cum laborare poſſint, mendicare malunt; *ptochotrophia*, in quibus aluntur egeni, qui labore ſuo ea acquirere nequeunt, quibus ad vitæ neceſſitatem indigent, ac cognatis, vel amicis deſtituuntur, qui indigentiæ ipſorum proſpiciunt; *noſocomia*, in quibus ægrotantes pauperes aluntur & curantur; *orphanotrophia*, in quibus educantur pupilli egeni; *Scholæ pauperum*, vel *piæ*, in quibus

bus liberi pauperum parentum gratis instituuntur in iis, quorum notitia ipsis necessaria ac utilis.

§. 1023.

Immo quia præcavendum, ne subditi in paupertatem incidant (§. 1021.); *superiori* quoque *curæ habendum, ut pupillis sint tutores, qui eorum educationem diligenter curant & eorum bona fideliter administrant* (§. 898. & sqq. §. 972.), consequenter *tutores testamentarii & legitimi prævia cognitione confirmandi, antequam administrationi se submittant*; ne scilicet inhabiles admittantur: & ut tutela rite administretur; *certis personis publico nomine omnis cura tutelarum committenda.* *De cura superioris circa tutelam.*

§. 1024.

Cum felicitas in statu voluptatis ac lætitiæ durabilis consistat (§. 118.), voluptas autem in sensu perfectionis, & illa legis naturalis observantia acquiratur & conservetur (§. 43. 44.); *felicitas exigit, ut in Rep. qui ad legem naturæ servandam proni sunt juventur, nec ab aliis impediantur, ceteri autem vi adigantur, ut minimum actus externos ad legem naturæ componant.* Quamobrem *curæ habere debet superior, ut subditi officiis tam* *De cura superioris circa felicitatem subditorum & religionem.*

erga se ipsos, quam erga alios atque Deum satisfacere studeant (§. 57.), consequenter *ut de iis atque illis, quæ in suo vitæ genere ipsis scitu necessaria atque utilia sunt, absque oneroso sumtu instituantur publice.* Patet itaque, *in Rep. constituendas esse Scholas*, in quibus publica auctoritate instituuntur pueri, atque adolescentes & juvenes in iis, quæ ipsis addiscenda sunt; *& in iis Præceptores ac Professores instituendos, qui probe callent ea, quæ docere debent, dono docendi instructi sunt, omnem diligentiam in institutione adhibent ac moribus sese discentibus commendant*; *Academias*, vel *Societates scientiarum*, in quibus a personis habilibus scientiæ ac artes perficiuntur, & novis inventis locupletantur; & *Academias artium*, in quibus artifices in arte, quam profiteri debent, veluti architecti, pictores, musici excellentes educantur. Ut vero subditi de Deo & voluntate ejus, de virtute ac vitiis, cultuque divino instituantur, ad virtutem incitentur & a vitiis avocentur; *cura* quoque *cultus divini externi superiori incumbit* (§. 179.), *ut* scilicet *extruantur templa*, in quibus conventus cultus divini gratia celebrantur;

tur; *determinentur dies festi*, qui cultui divino destinantur; & instituantur *Doctores publici*, qui cultui divino præsunt & ea docent, quæ in conventibus sacris docenda. Facile igitur patet, *tolerandum non esse, ut cultus divinus, seu religio*, quæ docet certum Dei colendi modum, *in contemtum adducatur & opiniones religioni ac bonis moribus adversæ disseminentur.*

§. 1025.

Res sacræ dicuntur, quæ cultui divino publico dicata sunt. Hinc *loca sacra sunt templa & res sacræ, imagines, quæ attributa & beneficia Dei, itemque exempla singularia pietatis in memoriam revocant, in templis collocatæ*; cum earum usus pertineat ad cultum divinum. *Res* autem *profanæ* vocantur, quæ sacræ non sunt. Et *usus profanus* est, qui cultui divino non inservit. *Res* autem *sacra profanari* dicitur, si ad alium, quam ad sacrum usum adhibetur. Ex ipsis definitionibus patet, *res sacras alium usum non habere præter sacrum; & si quis eas ad alium usum transfert, eas profanari.* Cumque *Consecratio* sit actus, quo res quædam cultui divino publico dicatur; *De rebus sacris.*

patet- *consecratione res sacras ab omni usu profano separari, & ad usum sacrum unice dedicari.*

§. 1026.

De Ecclesia & rebus ecclesiasticis. *Ecclesia* dicitur cœtus hominum eodem modo Deum colentium; consequenter eidem religioni addictorum. Vocatur autem *particularis*, quæ in loco quodam particulari est, veluti in una urbe, vel certa ejus parte, aut in uno pago: *Universa* autem, quæ per quæcunque terrarum loca dispersa. Hinc *Res ecclesiasticæ*, vel *Ecclesiæ* dicuntur, quæ ad usum quendam Ecclesiæ pertinent, non tamen directe & simpliciter ad cultum divinum dedicantur. Universim sumtæ vocantur *Bona ecclesiæ*, quæ *tam in rebus corporalibus, quam incorporalibus consistere possunt* (§. 121.). Cum *tam res sacræ, quam ecclesiasticæ* destinentur ad usum Ecclesiæ cujusdam particularis (§. 1025. & *præs.*); utræque *ecclesiæ particularis sunt*: quoniam tamen ecclesiam non faciunt, qui nunc vivunt, verum etiam qui his mortuis in eorum locum successive succedunt, salva manente eadem communione religionis; *qui nunc sunt ejus membra de iis disponere nequeunt in præjudicium ecclæsiæ pro tempore futuro.*

§. 1027.

§. 1027.

Repræsentationes factorum personarum sive verarum, sive fictarum, si fuerint exitus læti, *Comœdias*, si tristes, *Tragœdias* appellamus: fit ita, quod veteres comœdias a tragœdiis distinxerint personarum conditione & fortunarum negotiorumque qualitate. Quoniam *comœdiæ & tragœdiæ* eum, quem exempla propriæ experientiæ, præbent usum, & propter manifestum nexum inter facta & exitum efficacia majore, consequenter ad praxin officiorum hominis & civis plurimum adjumenti afferunt; *ad finem* hunc, *quem habere debent*, *aptæ in Rep. tolerandæ*; *minime autem*, *si vitiorum libidinem animo instillent*. *De comœdiis & tragœdiis.*

§. 1028.

Vacuitas a metu injuriarum, quæ ad finem civitatis pertinet (§. 972.), exigit, *ut quilibet tutus præstetur ab injuria aliorum*, consequenter *non ferendum*, *ut quis lædatur ab alio* (§. 88.), *vel defraudetur* (§. 286.), *sed curandum*, *ut unicuique jus suum tribuatur* (§. 86.); nimirum *ut consequatur*, *quod ipsi ab alio debetur* (§. 80.), *damna data resar-* *De cura superioris circa justitiam.*

ciantur (§. 270.), *& ob injurias factas rei puniantur* (§. 93.). Cum violenta juris sui persecutio bellum sit (§. 98.); *belli privati exercitium in Rep. superiori competit.* Quoniam fieri nequit, ut superior id per se exerceat, & *Judices* dicuntur personæ, quæ unicuique in Rep. jus suum tribui curant, ac unumquemque adversus injurias aliorum defendunt; *in Rep. constituendi sunt judices.* Patet itaque, *in Rep. judicia succedere in locum belli privati.*

§. 1029.

De jure judicum. Quoniam judices curare debent, ut jus suum unicuique tribuatur (§. 1028.); *causas in judicium deductas cognoscere, a cujusnam parte stet veritas pronunciare & victo injungere debent, ut præstet vincenti, quod debet, sique sponte præstare nolit, eundem vi adigere.* Cum itaque *judices sint veluti arbitri a superiore constituti* (§. 770.); quæ de ipsis ostendimus quoad modum finiendi lites (§. 772. *& seqq*), ea de judicibus quoque tenenda. Quia tamen in ipsos translatum est exercitium belli privati, natura singulis competentis (§. 98.); *expletio juris* (§. 793.), *quæ Executio*, scilicet

licet sententiæ dicitur, & *exactio pœnarum ob injurias privatas*, seu in singulos commissas, *ad judices pertinent.* Enimvero cum jus belli privati singulis non sit ademtum, sed per judices saltem exercendum; *si copia judicis haberi nequit, bellum privatum adhuc licitum est*, ideoque *se adversus aggressorem* (§. 90.) & *res suas adversus prædonem, possessionem adversus invasorem, defendere licet* (§. 263. 265.).

§. 1030.

De puniendis delictis publicis.

Cum universitas in civitate spectetur tanquam persona moralis (§. 972.); *injuria in Remp. committitur, si quid fit quod est contra jus universorum*, veluti *omnium securitatem* (§. 89.). Quamobrem universis, consequenter *superiori* (§. 996.), etiam *competit jus puniendi eum, qui jus universis competens, veluti securitatem publicam, quomodocunque violat.* Factum dolosum, quo alteri damnum datur, vel infertur injuria, *Maleficium* dicitur: *Quasi Maleficium* vero factum culposum. Maleficium, quo damnum datur, vel injuria infertur privato, *Delictum*; quo Reip. damnum datar, vel injuria infertur, *Crimen* appellatur.

tur. Dicuntur quoque illa *delicta privata*; hæc *publica*. Quamobrem *judicibus* etiam *conferendum jus puniendi delicta publica, sive crimina.*

§. 1031.

De inquisitione. Cum pœna irrogetur ob delictum, vel crimen perpetratum (§. 1030.); *nemo puniri potest, nisi delicto, aut crimine sufficienter probato, aut si sponte id confiteatur*: cumque circumstantiæ adhuc latentes ad pœnæ mitigationem facere possint; *antequam reus convictus & confessus condemnetur, ipsi permittendum est, ut, quæ sui excusandi causa se in medium afferre posse existimat, proferat*, consequenter *indefensus puniendus non est, nisi ipse confiteatur, se in defensionem sui nihil afferre posse.* Quoniam interest Reip. ne delicta & præsertim crimina maneant impunita (§. 93.); *si crimen sufficienter probari nequit, opera danda, ut qui de eodem suspectus est, in negando tamen perseverat, ad confessionem adigatur*, consequenter *jus est ad ea media, sine quibus confessio extorqueri nequit* (§. 46.). Atque in his consistit *Inquisitio*, quæ dicitur; is, in cujus delictum publicum inquiritur, *Inquisitus* vocatur.

§. 1032.

Actus quo Judex ~~cum~~ ~~... convictus~~ ~~veritatem~~ officio veritatem commissi criminis et eius auctorem investigare cogatur.

§. 1032.

Tortura dicitur actus, quo corpus criminis suspecti dolore ac cruciatu afficitur, ut ad confessionem criminis adigatur. *Territio* vero sunt minæ de torquendo, quæ intenduntur inquisito in loco torturæ destinato, præsente carnifice & apparatu ad torquendum requisito. Equidem cum haud pauci mori malint, etiamsi sint innocentes, quam cruciatus torturæ perpeti; *tortura non satis apta est ad veritatem eruendam*, nec desunt exempla innocentium propter sævitiam tormentorum confessorum, ac ideo condemnatorum: quoniam tamen Reip. maxime interest, ne crimen maneat impunitum, quod e diametro securitati publicæ adversatur (§. 93.); *si inquisitus criminis* istiusmodi *gravioris valde fuerit suspectus*, ut scilicet ad certitudinem vix quicquam adhuc deesse videatur, quam propria inquisiti confessio, *corpore autem sano & robusto, & malitia ejus manifesta, torqueri potest*. Juramentum purgatorium criminis suspecto a judice delatum *Tortura spiritualis* appellari solet; quæ quod *non satis apta sit ad veritatem eruendam*, *De tortura.*

endam, si crimen pœnam capitalem, vel corporis afflictivam, vel aliam infamen meretur, facile patet; cum non omnes Deum vindicem timeant, alii se veniam facile impetraturos putent, ut ideo pejerare (§. 371.), quam crimen confiteri malint.

§. 1033.

De incarceratione & salvo conducto.

Quia crimina impunita manere non debent (§. 1032.); *si constet crimen esse commissum, opera danda, ut reus detegatur*; *si notus fuerit*, ne aufugiat, *in carcerem conjiciendus*; *si lateat, aut aufugerit, nihil intentatum relinquendum, ut apprehendatur*. Et exinde ulterius sequitur, *ut sit tamdiu in carcere detinendus, donec judicis sententia vel absolutus, vel condemnatus fuerit*: cumque nonnisi custodiæ causa in carcere detineri debeat; *executio pœnæ*, nulla præsertim necessitate urgente, *non differenda*. Atque hinc simul intelligitur, *incarcerationem fieri nan debere, si pœnam in absentem exequi datur*; *posse* vero etiam *testem de fuga suspectum incarcerari* (§. 778.). *Inculpatus* dicitur, qui de delicto, vel crimine aliquo postulatur. Quodsi ergo *inculpatus*, *immo* etiam *reus*, cui non dene-

deneganda defensio (§. 1031.), *metu carceris aufugit, & absens promittit judici, quod citatus judicio semper se sistere & causam suam agere velit, præstita securitate de non incarcerando,* qui *salvus conductus* dici solet; *judex eam ipsi tribuere debet, præstita,* ne judicium eludere ausit, *cautione de se judicio sistendo.* Enim vero, *si sententia a judice lata ad pœnam capitalem, vel corperis afflictivam condemnatur, aut torturæ subjiciendus* cum tunc de fuga suspectus sit; *salvus conductus expirat*: &, *si durante inquisitione crimen committat, ob quod incarcerari potest; non obstante salvo conductu,* quippe qui ad id non spectat, *incarcerandus.*

§. 1034.

De cura superioris circa sanitatem subditorum.

In Rep. homo conjunctis omnium viribus consequi id debet, ad quod consequendum per se naturaliter obligatur (§. 972.). *Quicquid* igitur *superior ad hoc conferre potest, ut sanitas subditorum conservetur & amissa restituatur, ad id faciendum obligatur.* Atque hinc *nascitur cura de salubritate ciborum ac potuum, de apparatu medicamentorum, & ne desint medici atque chirurgi periti,* ac *Professores Medicinæ idonei instituan-*

stituantur, item *ne subditi labore nimio sanitati officere cogantur, & qui officiis publicis præficiuntur, iis salaria sufficientia præbeantur.* Huc etiam pertinet *cura de viarum publicarum commoditate & securitate.*

§. 1035.

De cura circa ædificia. Ob eandem rationem patet (§. 116.), *superiori curæ esse debere, ut materia ædificiis extruendis conveniens æquo pretio comparari possit, ut adsint architecti & fabri lignarii ac murarii, aliique opifices periti, & ne officio suo in extruendis ædificiis desint.* Huc etiam pertinet cura circa *incendia, ut tempestive restringuantur & quantum datur præcaveantur.* Et quoniam ædificia publica venusta splendorem conciliant civitati; *ut templa, curiæ, gymnasia, collegia academica & alia quæcunque ædificia publica, non modo firma & utilia, verum etiam venusta sint, superiori curæ esse debet.*

§. 1036.

De cura circa monetam. Quoniam pecunia comparantur & res, & operæ, quibus indigemus (§. 494): *superiori curæ habendum, ne moneta sufficiens ad res & operas comparandas desit*: & quia defraudatio non permittenda (§. 1028.); *ut monæte bonitas intrin-*

trinseca conveniat extrinsecæ, *seu moneta sit proba*; ac propterea *in monetæ adulteratores*, qui vel monetam falsam cudunt, veluti vilioris matalli quantitate permiscendo, quam lege publica cautum, vel etiam radendo eandem diminuunt, *severe animadvertendum, nec ferendum, ut moneta proba ad exteros exportetur, & ejus loco minus proba invehatur a trapezitis, aliisque lucri sordidi cupidis.* C.C.C.A.J.III.

§. 1037.

Onera Reip. dicuntur omnes sumtus Reip. administrandæ causa faciendi. Quamobrem cum sine oneribus Resp. administrari & defendi nequeat; *onera* quoque *Reip ferre debent universi* (§. 972.), *non imponenda ultra, quam Reip. administratio & defensio exigit, &* cum nemo civium ad paupertatem sit redigendus, *singuli contribuere debent pro modo facultatum suarum.* Sunt vero *onera ordinaria*, quæ perpetuus usus exigit; *extraordinaria* vero, quæ casus quidam emergentes exigunt. *De oneribus Reip.*

§. 1038.

Ærarium publicum dicitur locus, in quo pecunia publica reposita est. Patet *De ærario publico.*

itaque, *Remp. opus habere ærario* (§. 1036.), *paratam esse debere pecuniam, quantum Reip. administratio & defensio exigit.* Immo præter ærarium totius civitatis, *cœtus* quoque *particulares sua debent habere æraria*, in quæ reponuntur pecuniæ in usum publicum a singulis collatæ.

§. 1039.

De fisco. Differt ab ærario publico *Fiscus*, qui est receptaculum pecuniæ privatæ Regis, seu imperantis. *Quæ* igitur *Regis propria sunt*, seu *ad ejus usus privatos destinata, in fisco sunt.* Unde *Confiscatio bonorum* est actus, quo in pœnam omnia bona, quæ quis habet, eidem adimuntur, & fisco attribuuntur. Hinc simul intelligitur, quid sit *Confiscatio rei particularis.*

§. 1040.

De domaniis. Cum Rex sine sumtu se familiamque suam sustentare nequeat, nec splendorem dignitatis regiæ, imperium vero exerceat subditorum causa; *in regno subditi Regi sumtus suppeditare tenentur ad sustentandum se familiamque suam, & obtinendum dignitatis regiæ splendorem sufficientes*, consequenter

fisco

fisco assignandi sunt certi reditus, pro diversitate circumstantiarum augendi (§. 1039.). Prædia, quorum reditus Rectori civitatis ad sustentandum se familiamque suam requiruntur, dicuntur *Domania*: & *hi reditus sunt bona ipsius propria* (§. 1012.). *De reditibus* igitur *ex domaniis pro arbitrio suo disponere potest* (§. 195.); *ast ipsa domania*, utpote nonnisi usufructuarius, *alienare & oppignorare nequit* (§. 713.), *& alienata a successore revocari, nec quantocunque tempore præscribi possunt* (§. 451. 452.). Quoniam in regno patrimoniali perfecte tali omnia imperii causa constituta sunt in dominio Regis (§. 986.); *domania* quoque *alienare & oppignorare potest* (§. 257. 697.). Et *si Rex habet jus ex nova causa tributa indicenti sine ulla restrictione, domania oppignorare potest*; cum potuisset loco pecuniæ mutuo sumtæ tributa indicere.

c. 33. X. de iureiurando

§. 1041.

De titulis & præcedentia.

Cum unicuique honor meritus sit exhibendus (§. 142.); *superior* quoque *determinare debet actus externos, quibus honor ob merita in Remp. exhiberi debet de eadem bene merentibus a ceteris: ad*

quod modi apti sunt tituli, qui sunt vocabula praecellentiam cujusdam supra alios significantia, & *praecedentia* (§.75.). Quoniam itaque tituli & praecedentia esse debent signa meritorum in Remp. & per eos cives ad praeclara in Remp. merita obligantur (§. 35.).); *tituli cum praecedentia non debent esse venales*. Ceterum ob eandem rationem (§. 142.) *ferendum non est, ut quis ignominia afficiat alios, praesertim eos, qui dignitatibus civilibus eminent, seu ornati sunt.*

CAPUT IV.

DE

JURIBUS MAJESTATICIS.

§. 1042.

Quaenam ad jura majestatica referenda.

Cum jura majestatica sint, quae ad imperium summum & ejus exercitium pertinent (§.998.); *ad ea referenda sunt jura omnia, sine quibus imperium publicum, quantum fieri potest, promoveatur* (§. 980.), consequenter *qui imperium civile exercet, ei competit jus omnia constituendi, quae ad bonum publicum consequendum ipsi facere videntur.*

§. 1043.

Potestas legislatoria.

Quoniam quaelibet societas, consequen-

quenter etiam civitas suas habere debet leges, & eidem competit jus ferendi leges, (§. 846.); *ad jura majestatica pertinet potestas legislatoria*, jus condendi leges (§. 1042.). Quamobrem cum *leges* concipi nequeant sine obligatione (§. 39.); *si tales ~~non~~ fuerint, ut iis satisfieri nequeat per executionem*, seu vi compellendo ad præstandum, quod præcipitur (§. 1029.), *iisdem tales ac tantæ addendæ sunt pœnæ, quæ ad cohibendam transgressionem, quantum datur, sufficiunt*. Hinc intelligitur, *leges non esse, si superior saltem significet, quid a subditis fieri, aut non fieri debeat, non vero addit, quod secus facientes puniri, aut vi adigi debeant ad faciendum*; cum hac voluntatis declaratione saltem admoneantur subditi officii sui. Facile autem patet, *leges fundamentales non subesse potestati legislatoriæ, Rectori civitatis competenti* (§. 984.).

§. 1044.

Cum lege voluntatem suam declaret superior, quid a subditis fieri, vel non fieri velit (§. 1043. 39.); *jus interpretandi leges in Rep. superiori competit* (§. 794). Quamobrem in casu dubio *interpreta-* *Jus interpretandi leges.*

tio ab eo requirenda, quæ *authentica* dici solet. *Leges* vero *fundamentales superior interpretari nequit* (§. 984.).

§. 1045.

De jure abrogandi & immutandi leges.

Lex 102 de V. S.

Lex abrogari dicitur, quando declaratur, quod subditos non amplius obligare debeat. Cum obligatio, quæ a lege humana venit, dependeat a voluntate legislatoris (§. 39.); *superior*, *qui legem tulit* (§. 1043.), *eam quoque abrogare potest, si ipsi visum fuerit*, consequenter *jus abrogandi leges ad jura majestatica pertinet* (§. 1042.). Et quia leges mutare idem est ac veteres tollere, & alias in earum locum substituere; *in jure leges ferendi & abrogandi* etiam *jus leges immutandi continetur*. Enimvero quoniam obligatio naturalis, quæ a lege naturæ venit (§. 39.), immutabilis est (§. 38.); *leges naturales abrogari nequeunt.*

§. 1046.

De jure dispensandi.

est actus quo legislator me liberat de obligatione observandi legem latam

Dispensatio vocatur permissio actus lege prohibiti in casu singulari facta. Quamobrem cum dispensare idem sit ac legem tollere in casu quodam singulari, seu aliquem ab obligatione, quæ inde venit, liberare; *superior circa leges dispen-*

dispensare potest (§. 1045.), ac propterea *Jus dispensandi ad jura majestatica pertinet* (§. 1042.), ob immutabilem vero obligationis naturalis (§. 38.) *ad legem naturæ extendi nequit.* Quamobrem *si quædam permittere tenetur superior, quæ legi naturæ adversantur, ea tantum impune fieri permittit.*

§. 1047.

Privilegium est concessio juris cujusdam, sive affirmativi, sive negativi, personæ uni, vel pluribus, aut certo cuidam personarum ordini facta, quo ceteri carent. Dicitur in specie *Privilegium familiæ*, quod datur personæ cuidam & omnibus ab ea per nativitatem descendentibus. Qui privilegium habet, *Privilegiarius*, vulgo *privilegiatus* appellatur. Cum concessione privilegiorum ceteri obligentur pati, ut privilegiatus jure suo fruatur, nec quicquam committere, quod eidem adversatur; *privilegia revera leges sunt* (§. 39.), consequenter cum potestas legislatoria superiori competat (§. 1043.), eidemque sit jus dispensandi circa legem (§. 1046.), quod in privilegiis obtinet; *jus concedendi privilegia, ad jura majestatica pertinet.*

De jure dandi privilegium.

l. 10. de pact.

Cum voluntate superioris dentur privilegia, ideoque ab eadem pendet, cuinam privilegia dare & qua lege velit; *superior privilegia concedere potest vel ad tempus, vel ad dies vitæ, sub onere quocunque, sub certa conditione, præsertim potestativa, aut precario, immo etiam sub pœna, veluti ut abusu, vel certo quodam facto committatur.* Quoniam tamen salus publica in civitate suprema lex est (§. 976.); *privilegia dari non debent, nisi boni publici causa*, consequenter *si vergant in detrimentum Reip. aut multorum civium, superior ea tollere potest.*

§. 1048.

De jure puniendi & jure gladii. Cum a metu pœnarum vim habeat obligatio (§. 35. 93.); *pœnæ legibus additæ executioni dandæ sunt.* Quamobrem cum punienda etiam sint delicta tam privata, quam publica (§. 1029.); *ad jura majestatica pertinet jus puniendi & pœnas determinandi.* Quia pœnæ vel sunt mala fortunæ, vel corporis (§. 93.); *in privatione sui & in faciendo dolore in corpore consistunt*, consequenter *in pœnam adimi possunt res quæcunque corporales, pecunia, jura quælibet*, ideoque *etiam privi-*

legia

legia (§. 1047.), *sive in perpetuum, sive ad certum tempus, delinquens infamia notari, corpus variis modis affligi*, immo cum exercitium juris puniendi revera sit defensio adversus eos, qui lædendi animum habent (§. 90. 93.), *in pœnam ipsa vita eripi potest* (§. 94.). *Pœnæ* igitur *capitales in se illicitæ non sunt, &, si crimina aliter averti nequeunt, licitæ.* Jus pœnam capitalem sumendi de maleficis *Jus gladii* dicitur, immo etiam *Jus vitæ & necis*: quod tamen latius extenditur, quatenus scilicet jus exponendi vitam subditorum periculo mortis, veluti in bello, continet. √3. de iurisdic.

§. 1049.

Talio cum sit par vindicta, qua tantum quis patitur mali, quantum fecit, & tanquam illicita in se in exercitio juris puniendi non attendenda (§. 156.); *in puniendis* quoque *delictis tam privatis, quam publicis talio non observanda, sed pœnæ loco malum nunc gravius, nunc minus inferendum, quam quantum fecit, qui deliquit, prouti finis pœnæ exigit* (§. 94.). Qua etiam de causa *malum in se tale non est, ut puniri debeat,* *An talio in irrogandis pœnis attendenda.*

nec Rector civitatis necem malefici intendit, sed aversionem læsionis cum a singulis, tum a Rep. seu universis.

§. 1050.

Quænam puniri nequeant. Quoniam jus puniendi natura hominibus non competit, nisi ob læsionem actu factam (§. 93.); *actus interni, quando in externos non erumpunt, puniri non possunt.* Hinc *ob errores nemo puniri potest: disseminatio tamen erroris,* præsertim si fiat contra prohibitionem, *pœnis coërceri potest.* Quamobrem cum *atheismus & deismus* sint errores; *puniri non possunt: disseminatio* tamen *atheismi & deismi, aliorumque errorum religioni adversorum puniri potest.* Quoniam pœnæ loco est, si quis e civitate discedere jubeatur (§. 1048.); *ad pœnam graviorem procedere non licet, nisi si discedere nolit, nec ab errore divulgando desistat.* Pœna nimis levis existimari nequit e civitate exclusio, præsertim ubi difficile fuerit fortunarum suarum sedem alibi constituere.

§. 1051.

An pœnæ nomine Cum jus sepulturæ humanitati debitum (§. 824.) in pœnam adimi possit

possit (§. 1048.), ac præterea pœnis maxime conveniat, ut eorum memoria conservetur, quatenus exemplares sunt (§. 93.); *cadavera supplicium ultimum perpessorum insepulta in conspectu publico relinqui possunt.* Immo ob eandem rationem *pœnæ nomine denegatur sepultura in loco honesto contemtoribus religionis, & propter autochiriam ex causa non imputabili minime commissam*, veluti non in furore, delirio, vel ex melancholia. *Sepultura denegenda.*

§. 1052.

Quoniam *scelera*, seu *vitia fœda superior* permittere non tenetur in Rep. præsertim ubi verendum, ne invalescant (§. 1024.), aut si saluti publicæ quodammodo adversentur (§. 976.), cum eadem prohiberi possit; *punire* etiam *potest*, veluti scortationem, adulterium, concubitus, qui sunt contra naturam, blasphemiam, luxum nimium. *An scelera puniri possint.*

§. 1053.

Si bona parentum confiscantur, cum *liberi* in iisdem nullum adhuc jus proprium habeant, quippe quod demum post mortem eorum consequuntur (§. 917. 921.); iidem *ob factum parentum* *Quomodo parentes in liberis puniantur.*

tum

tum non puniuntur (§. 1048.). Quatenus tamen ipsis adimitur hæreditas, quam sperare poterant; *occasione ejusdem malum quoddam sentiunt.* Quatenus vero parentes curæ habere debent, ut liberi sint fortunati (§. 892.), atque eo ducit natura insitus amor, qui in ipsis brutis conspicitur; ipsi affliguntur, quod videant liberos privari bonis, quæ post mortem suam habituri erant. Ac ideo *parentes in liberis confiscatione bonorum puniuntur* (§. 93.). *Idem intelligitur* eodem modo, *si ob crimen parentum liberis adimitur, si quid habent, aut expectare possunt, in quod jus proprium non ipsis, sed populo aut Regi est; seu quod non in ipsorum, sed in populi aut Regis dominio est,* qualia sunt nobilitas, jus certarum dignitatum civilium hæreditarium, aptitudo civilis ad certa officia publica, jus possidendi prædia equestria & alia privilegia familiæ data; quippe quæ sunt talia, quæ continuo juri superioris subjecta sunt, ut de iis disponere possit, prouti salus Reip. exigit (§. 976.).

§. 1054.

De jure aggratiandi. Cum salus Reip. suprema lex sit (§. 976.),

(§. 976.), pœnarum autem qualitas & quantitas voluntate superioris determinata sit (§. 1048.); *si e re Reip. esse superiori videatur, ut pœna remittatur, vel saltem mitigetur, eandem remittere vel mitigare potest.* Sunt autem rationes ad hoc sufficientes præclara parentum, vel majorum in Remp. aut superiorem merita, ob quæ pœnæ remissio, vel mitigatio æquipollet beneficio, quod ipsis redditur in liberis vel posteris, aut eorum cognatis. Tales etiam sunt præclara delinquentium in Remp. & Rectorem civitatis merita, vel magna spes meritorum in posterum. Jus vero pœnas remittendi, vel mitigandi *Jus aggratiandi* appellatur. Quodsi pœnæ lege fuerint determinatæ; aggratiatio dispensationi æquiqollet (§. 1046.), & Jus aggratiandi sub jure dispensandi continetur.

§. 1055.

Accusatio, vel *inquisitio aboleri* dicitur, si de crimine, cujus aliquis postulatur, non inquirendum; consequenter is absque omni cognitione, aut saltem inquisitione nondum absoluta e numero *De jure abolendi.*

ro

ro reorum eximitur. *Est* igitur *abolitio remissio pœnæ in casu dubio.* Quamobrem cum jus abolendi sub jure aggratiandi contineatur (§. 1054.); *superiori jus abolendi competit* (§. *cit.*).

§. 1056.

De amnestia. Differt ab abolitione *Amnestia*, quæ est oblivio injuriarum & criminum patratorum in perpetuum decreta. Unde & *Lex oblivionis* vocatur. *Amnestia* igitur *præstita, ante actarum rerum nemo accusari, neve puniri potest.* Cum salus Reip. suprema lex sit (§. 976.); *si e re civitatis fuerit*, veluti si præteritarum injuriarum oblivione certius cavetur, ne novis iisque gravioribus pandantur fores, vel si eædem tutius finiantur, si pœna remittatur, quam si nocentes puniantur, *amnestia naturaliter licita, & eam*, cum sit pœnæ remissio, *superior præstare valet* (§. 1054.). Facile autem intelligitur, *si in rebellione amnestia a superiore præstatur*, cum id fiat transactione, ut pax restituatur, ac ideo vim suam a pacto accipiat (§. 764.); *id non fieri vi imperii.*

§. 1057.

De Jure *Jus onera imponendi*, superiori competens

petens (§. 1037.), *ad jura majestatica pertinet* (§. 1042.). Dicuntur autem *Tributa* pecunia, quæ pro rebus immobilibus, pro moventibus, pro bonis possessis, aut negotio quæstuoso, vel etiam pro capite suo, onerum Reip. ferendorum causa, solvitur: *Vectigal* vero pecunia, quæ eadem de causa pro mercibus & rebus consumtibilibus, pro vectura, & si qua sunt his gemina, solvitur. Ad ea etiam pertinent *Munera publica*, quando subditi sine dignitate publicæ utilitatis causa gratis, vel etiam cum damno patrimonii & sumtibus suis quid facere obligantur. Istiusmodi munus publicum est personali hospitio excipere milites, est etiam tutelæ administratio. Patet autem, *tributa & munera publica rerum immobilium pretium imminuere, vectigalia autem rerum pretium augere.* Hinc vero sequitur, *ut nova tributa & munera publica, atque vectigalia caute sint imponenda.*

onera imponendi & ejus generibus.

§. 1058.

Collecta dicitur pecunia, quæ a civibus usus cujusdam particularis gratia colligitur, veluti extructionis templi, vel

De jure collectandi.

vel ædium incendio devaſtatarum, aut pauperum alendorum cauſa. Cum collectæ indirecte reſpiciant Remp. quatenus univerſi conſulere tenentur ſingulis, vel cœtibus particularibus (§. 975.), & ſi fiat in uſum exterorum, pecunia ex civitate exportatur, conſequenter onera ſint, quæ reſpectum ad Remp. habent *conceſſio juris collectandi ad ſuperiorem pertinet* (§. 1057.), ideoque *jus collectandi ſine ejus permiſſu exerceri nequit.* Et quamvis collectæ confundendæ non ſint cum eleemoſynis, quas privatus quidam colligit miſeriæ ſublevandæ cauſa, in quam quis fatali incendio, vel alia calamitate redactus eſt; *ipſe* tamen *ſuperior* etiam *de his diſponere poteſt*, cum *jus diſponendi de eleemoſynis eidem competat* (§. 1022.), *eædemque referendæ ſint ad onera, quæ indirectæ Remp. reſpiciunt.*

§. 1059.

De jure monetam cudendi.

Superioris cum ſit curare, ne deſit monetæ probæ ſufficiens copia & ne adulteretur (§. 1036.); *ius monetæ cudendæ ad jura majeſtatica pertinet* (§. 1042.), & *ſuperiori* quoque *competit jus valorem*

extrin-

extrinsecum monetæ tam propriæ, quam peregrinæ determinandi, prouti e re civitatis visum fuerit. Quodsi *ob temporum calamitates monetæ ex materia vili, vel exigui, aut fere nullius pretii cusæ immodicus valor extrinsecus tribuendus*, ne plurimi civium ad incitas redigantur, *cessantibus illis superior curare debet, ut cum moneta proba permutetur.*

§. 1060.

Officium publicum dicimus administrationem certorum negotiorum vi imperii civilis gerendorum & executioni dandorum. *Officio* igitur *publico funguntur non modo illi, quibus exercitium cujusdam juris ad imperium civile pertinentis committit superior, verum etiam hi, quorum ministerio vel ipse, vel illi utuntur in executione negotiorum.* In specie autem *Magistratus* dicitur, cui partes quædam imperii exercendæ committuntur a superiore, quales sunt magistratus oppidani, gubernatores provinciarum, immo & judices (§. 1028.). Cum superior imperium solus per se exercere nequeat, sed exercere teneatur partim per alios, confe- *De jure conferendi officia publica.*

quenter *magistratus & judices ipsius nomine faciant, quicquid faciunt, & in genere, qui officio cuidam publico præficiuntur, nonnisi exequantur a superiore sibi demandata; superiori* quoque *competit jus magistratus atque judices instituendi, & in genere officia publica conferendi.* Ceterum *ab ipsius arbitrio pendet, quatenus quoad functiones minores jus conferendi magistratibus, judicibus & qui aliis officiis funguntur, concedere velit & qua lege.* Facile autem patet, hos suo jure non uti nisi dependenter a voluntate superioris.

§. 1061.

De jure conferendi titulos & præcedentias s. dignitates civiles.

Et quia tituli & præcedentia per se sunt præmia bene meritorum de Rep. vel persona superioris (§. 1041.), per quos subditi ad præclare merendum obligantur (§. 35.); *jus conferendi titulos & præcedentiam ad jura majestatica pertinet* (§. 1042.). Cumque hi etiam adhæreant officiis publicis, quatenus, qui iisdem funguntur, bene de Rep. merentur; ideo officia publica, quæ dignitatem adjunctam habent, a Romanis *Honores* appellabantur.

§. 1062.

§. 1062.

Cum imperium publicum exerceri debeat saluti publicæ convenienter (§. 976.); *officium publicum nemini conferendum, nisi qui habilis est*, hoc est, *cui non modo sunt vires sufficientes, ut eodem recte fungatur, sed & constans atque perpetua voluntas eodem recte fungendi*, consequenter *officia publica non vendi debent, nec conferri plus licitanti neque* etiam *ferendum est, ut ab iis, qui officium aliquod ambiunt, munera accipiant, qui vel officia conferunt, vel superiori personas habiles commendare, aut præsentare debent*. Quamobrem cum *Crimen ambitus* vocetur, quo quis data pecunia, vel alio illicito modo corruptis suffragiis officium quoddam publicum, vel dignitates civiles parat; *crimen ambitus non tolerandum*, consequenter *pœnis coërcendum*. Immo *si ex indigni electione damnum Reip. fecerit is, cui officii publici collatio mandata est, id resarcire tenetur* (§. 270.).

Quomodo jus istud exercendum.

§. 1063.

Removeri ab officio dicitur, qui eodem invitus privatur; *suspendi*, qui eodem fungi ad tempus certum, vel inde-

De remotione, suspensione

& dimissione ab officio. finitum prohibetur; *dimitti*, cujus precibus annuit superior, ne eodem diutius fungi obligetur. Quoniam *officii collatio pacto perficitur inter collatorem & eum, cui confertur*, quo is certorum negotiorum administrationem, vel executionem eidem committit (§. 1060.) & salarium promittit, hic vero spondet, se negotia ista diligenter administraturum, vel executurum (§. 438.); *nemo officium abdicare potest sine consensu superioris, aut ejus, qui ab eodem jus habet* (§. 341.), *nec removeri, nec suspendi potest sine justa causa*, veluti *si negligenter, aut fraudulenter eodem fungatur* (§. 442.), *aut in pœnam* (§. 1048.). Patet itaque, *jus removendi, suspendendi & dimittendi ab officio competere per se superiori*

§. 1064.

De jure circa sacra. *Jus circa sacra*, aut *Jus sacrorum* dicitur jus disponendi de iis, quæ ad cultum divinum & Ecclesiam spectant. Cum cura cultus divini externi superiori incumbat, veluti ut extruantur templa, determinentur festa, instituantur doctores publici (§. 1024.), consequenter etiam ut rectus fiat rerum sacrarum

usus

uſus (§. 1025.), & de rebus eccleſiaſticis rite diſponatur (§. 1026.); *jus aliquod circa ſacra ſuperiori competit.* Quoniam vero imperium, quod continet omnia jura ad id ſpectantia, conſequenter etiam jus circa ſacra, in partes potentiales diviſibile (§. 983.), & idem quoque diviſum transferri poſſit (§. 982.); *jus* quoque *ſacrorum a ſeculari ſeparari, idque vel populus ſibi reſervare, vel alii cuidam ſeparatim deferre poteſt.* Quoniam quæ ad cultum divinum internum ſpectant & quæ in externo eidem inſeparabiliter cohærent, vel dogmata theoretica de Deo & voluntate ejus, vel practica de agendis ſunt (§. 178.), imperari vero non poſſit, ut pro vero habeas, de quo per rationes convictus, vel perſuaſus non fueris; *jus circa ſacra, quatenus originarie in populo eſt, extendi nequit ad ea, quæ ad cultum divinum internum ſpectant & indivulſo nexu cum eodem in externo cohærent, niſi quatenus* turbarum evitandarum gratia *controverſia aliqua in Eccleſia orta proviſionaliter decidenda*, ut ſcilicet conſtet, quid publice doceri debeat, *vel certi quid conſtituendum*, veluti ut

unicuique liberum ſit, ſententiam ſuam proponere ac rationibus defendere, citra contumeliam, vel inſectationem partis alterius, aut ut de eo, quod controverſum eſt, in cultu divino publico taceatur. Aſt *de iis, quæ in cultu externo ſalvo interno non uno modo fieri posſunt, pro lubitu diſponi poſſe ab eo, qui jus ſacrorum habet, prouti e re civitatis, vel eccleſiæ ipſi viſum fuerit*, nihil difficultatis habet (§. 976.). Enimvero cum imperium civile metiendum ſit ex fine civitatis (§. 980.); *jus circa ſacra quoad eos actus, qui reſpectum quendam ad Remp. habent, vel quorum executio brachio civili indiget, & quatenus eccleſia tutelam civilem exigit, ab imperio civili dependens ſemper eſt*. Quoniam Rector civitatis ad legum fundamentalium obſervantiam obligatur (§. 984.); *ſi qua de jure circa ſacra lege fundamentali disponuntur*, veluti ne tolerentur religiones ab ea, quam populus profitetur, diverſæ, vel ne Rector civitatis alii religioni addictus ſit, *ea tenent Rectorem civitatis*. Si lex nulla fundamentalis obſtet, cum tunc pro lubitu ſtatuere poſſit de eo, quod ſibi viſum fuerit;

reli-

religionem quamcunque in civitate tolerare potest, modo ea non sit statui civili adversa, & eam praescribere legem, sub qua eandem tolerare velit.

§. 1065.

Jus disponendi de rebus propriis civium salutis publicae causa, in casu necessitatis, dicitur *Dominium eminens*; jus vero eadem de causa in casu necessitatis disponendi de ipsis personis civium *Potestas eminens*. Utrumque conjunctim *Jus eminens*, in res scilicet & personam civium, vocatur. *Superiori* itaque *dominium & potestas eminens, seu jus eminens competit* (§. 976.), *& jus utrumque jus quoddam necessitatis est, nec locum habet, nisi quando ejus usus est medium unicum salutis publicae in casu emergente promovendae*: cumque res sacrae & ecclesiasticae sint ecclesiae particularis, cujus membra sunt cives (§. 1026.); *vi dominii eminentis etiam de rebus sacris & ecclesiasticis disponere potest superior, non tamen sine consensu ejus, qui jus circa sacra habet, si id a regimine seculari fuerit sejunctum* (§. 1064.). Cum dominium & imperium sint duo jura a se invicem prorsus distincta, quorum

De dominio & potestate eminente.

unum ab altero prorsus independens est (§. 195. 833.); *si Rex fuerit fundorum privatorum dominus, id ad imperium non pertinet, nec quicquam in ipso imperio, aut modo habendi imperium mutat.*

§. 1066.

De Jure belli. Cum *superior* Remp. defendere teneatur adversus vim externam, consequenter etiam jura populi sui & singulorum quoque subditorum vi persequi adversus gentes alias (§. 972); *jus etiam belli in alias habet* (§. 98.), *idque ad jura majestatica pertinet* (§. 1042.). Atque hoc *bellum*, quod jure civitatis geritur cum gentibus aliis, *publicum* dici solet.

§. 1067.

De Jure paciscendi cum gentibus aliis. Denique quia *superior* populi salutem quovis modo promovere debet (§. 972. 996.); *si ope atque auxilio aliarum gentium salutem civium suorum promovere possit, pacta de eo cum gentibus aliis inire potest.* Sed de jure belli & pacta ineundi cum gentibus aliis agendum in Jure Gentium.

CAPUT

CAPUT V.

DE THEORIA NATURALI LEGUM CIVILIUM.

§. 1068.

De legibus civilibus.

Leges *civiles* dicuntur, quæ a superiore feruntur subditis in civitate. Cum civitates diversæ inter se spectentur tanquam personæ liberæ in statu naturali viventes (§. 977.); *leges civiles non obligant nisi membra ejus civitatis, in qua feruntur*, consequenter *si leges peregrinæ recipiuntur, eæ vim obligandi nanciscuntur a superioris voluntate, qui vult eas esse leges suæ civitatis*. Quoniam vero salus publica suprema lex est (§. 976.); *leges peregrinæ non ante recipiendæ, quam demonstratum fuerit per ea, quæ præscribunt, bonum commune hujus civitatis promoveri posse*, ideoque *si mutato rerum statu, vel agnito errore deprehendatur, ea non esse media commune bonum promovendi, abrogandæ sunt*: id quod in genere de legibus quibusvis tenendum.

§. 1069.

De habitu legum civilium ad natu-

Cum obligatio naturalis sit immutabilis (§. 38.), nec ullus homo ab ea libe-

rales præceptivas & prohibitivas. liberari possit (§. 42.); *leges civiles contrariæ esse non debent naturalibus præceptivis & probibitivis*, consequenter *lex civilis ex naturaliter debito facere nequit illicitum, nec ex naturaliter illicito debitum, vel licitum* (§. 49.). Quamobrem *si lege civili tacite permittitur, quod legi præceptivæ, vel prohibitivæ contrarium; id saltem toleratur, vel concessa impunitate agendi, vel denegato auxilio judicis, majoris mali, vel damni vitandi causa, vel quod alia quacunque de causa id fieri necesse sit* (§. 976.). Nimirum *permittendo legi præceptivæ, vel prohibitivæ naturali contrarium lege civili libertas naturalis non restringitur ultra id, quod exigit finis civitatis* (§. 78. 980.). Enimvero cum permittendo utique velit superior, ne alius agere volentem vi impediat, quo minus agat; *si lege civili quid permittitur, lex permissiva obligat ceteros, ne agentem vi impediant, quo minus faciat, quod permittitur, ac inde nascitur agenti jus non patiendi, ut vi impediatur* (§. 46.).

§. 1070.

De legibus civilibus a natura- Quodsi obligatio naturalis non satis efficax fuerit ad legum naturalium observantiam, quas tamen in Rep. obser-

ſervari neceſſe eſt; *leges naturales additis pœnis*, quarum metu introducitur obligatio poſitiva naturali fortior (§. 35. 93.), *efficiuntur civiles*, quatenus ſcilicet pœnas continent lege naturali minime determinatas (§. 39.). Immo cum metus executionis a judice faciendæ (§. 1029.), & prævifio actus ab eodem irriti efficiendi aut reſcindendi vim obligandi habeat (§. 35.); *leges* quoque *naturales formam civilium induunt, quatenus iisdem præſtatur auxilium in foro.* *libus materialiter non differentibus.*

§. 1071.

Quoniam in civitate libertas ſingulorum reſtringitur quoad eas actiones, quæ ad bonum publicum conſequendum pertinent (§. 980.); *ſuperior ex naturaliter licito lege civili debitum, vel illicitum, & ex imperfecte debito, ſeu officio humanitatis perfecte debitum facere poteſt, prouti fini civitatis convenit* (§. 49. 80.). Quod vi libertatis naturalis ſingulis per facta facere poſſunt (§. 667.); idem ſuperior, cujus juri ſubjecta eſt libertas naturalis ſingulorum, facere poteſt, quatenus finis civitatis id exigit (§. 980.). Hinc ſequitur, *De habitu legum civilium ad naturales permiſſivas & officia humanitatis.*

ut,

ut, si quid pluribus modis fieri potest, superior præcipere possit, ut hoc vel isto modo fieri debeat, consequenter *actus civiliter validus non sit, nisi lege præscripto modo fiat.* Huc etiam pertinet, *si superior determinat modum, quo obligationi naturali satisfieri potest, aut ab eo præcavetur, ne eidem adversa committantur, aut ut contractui insit, quod per pacta eidem adjici potest, vel lex detur, quam contrahentes dare poterant.*

§. 1072.

De legibus civilibus materialiter a naturalibus differentibus.

Cum superior curet, ut jus suum unicuique tribuatur per judicem (§. 1028. 1029.); facile patet *cavendum esse, ne lites multiplicentur in nimium, & ex litibus nascantur lites, nec in foro protrahantur, atque curandum, ut exitum habere possint.* Quamobrem *ob minimam quamcunque læsionem litibus in foro locus concedi nequit*; cum & in statu naturali ob læsiones non magni momenti a bello abstinere jubeat prudentia, vel charitas, & sæpe pœna danda sit culpæ, ut posthac cautius mercari discas; & *si determinationes legi naturæ adjectæ fuerint probatu difficiles, vel prorsus impossibiles, in earum locum substituen-*

ſtituendæ aliæ probatu faciles, quæ probabiliter, ſeu ut plurimum iisdem æquipollent. Hinc ſequitur, *ut lege civili determinentur læſiones, ob quas auxilium dandum, vel denegandum in foro, & culpa pro diverſitate negotiorum præſtanda.*

§. 1073.

Quoniam leges civiles præſcribere debent media, quibus commune bonum civitatis obtinetur (§. 1068.); *ratio eorum, quæ legi naturali vel addenda, vel ſubtrahenda, ut ex ea efficiatur civilis, vel a ſtatu civitatis in genere, vel hujus, in qua lex fertur, in ſpecie deſumenda.* Et per ſe patet, *ſi legum civilium una concordia eſſe debeat, admittenda etiam eſſe juri naturali non in totum conſona, quæ ex aliis legibus civilibus neceſſario conſequuntur.* Quamobrem cum voluntas legislatoris contradictoria concipi non debeat; *quæ ex lege civili neceſſario conſequuntur, ea etiam pro lege tenenda.* **Unde deſumenda ſit ratio legum civilium ex naturali faciendarum.**

§. 1074.

Quoniam ex hactenus dictis apparet, leges civiles efficiendas eſſe ex naturalibus; *cavendum eſt, ne legislator errores quosdam communes pro jure naturæ* **De erroribus circa jus naturæ vitandis.**

rae sumat, consequenter *si per inscitiam temporum errores quidam irrepserunt in leges civiles, aut quaedam ex aliis hac labe infectis per consequentiam fuerint eruta, eaedem abrogandae, vel veritati convenienter emendandae sunt.*

CAPUT VI.

DE OFFICIO SUPERIORIS ET SUBDITORUM.

§. 1075.

De bono & malo regimine.

Exercitium imperii civilis dicitur *Regimen*. Quamobrem cum boni publici promovendi causa constitutae sint civitates (§. 972.), & imperium civile consistat in determinandis actionibus civium atque iis, quae ad bonum publicum consequendum faciunt (§. 978. 980.); *Rector civitatis bene regit Remp. si ea facit, quae ad bonum publicum promovendum requiruntur, male autem regit, si ea facit, quae bono publico adversantur, & ad bene regendum obligatur.*

§. 1076.

De qualitatibus R. c. & consiliariis ad bonum regimen

Quamobrem *Rector civitatis instructus esse debet scientia eorum, quae ad bonum regimen requiruntur, & habere voluntatem constantem ac perpetuam non nisi ea faciendi, quae ad bonum regimen spe-*

spectant. Enimvero cum fieri non possit, ut omnia negotia publica ac ea inprimis, quæ ad decernendum in præsenti supponenda veniunt, ipsi sint intime perspecta; ideo *uti debet relatione ac consilio virorum prudentum*, *quorum alii in hoc*, *alii in alio negotiorum genere excellunt.* Dicuntur hi *Consiliarii*, & dividuntur in diversas species pro diversitata negotiorum, ad quæ consilium ipsorum adhibetur. *Consiliarii* igitur *non modo negotia habere debent perspecta*, *verum etiam fideliter referre omnia quæ in casu præsenti attendenda sunt*, *nil quicquam celare & ab omni adulatione procul abesse.* *requisitis.*

§. 1077.

Cum maxima vis sit obligandi subditos exemplum Rectoris civitatis; *Rector civitatis omni virtute ac pietate excellere debet* (§. 1024.). Utque voluntas constans ac perpetua bene regendi sit (§. 1075.); *populum suum amare.* *De virtute R. c.*

§. 1078.

Quoniam vero bene Remp. regere obligatur (§. 1075.); *summitatem imperii non debet confundere cum potestate arbitria*, consequenter *jura maje-* *De abusu potestatis vitando.*

jesta-

jestatica probe perspecta ipsi esse debent & rectus eorundem usus (§. 1042.), *una cum legibus fundamentalibus, si quæ sunt, ad quorum observantiam obligatur* (§. 984.), consequenter *ad omnia animum attendere, quæ de Rep. rite constituenda demonstrata sunt* (§. 1017.).

§. 1079.

De obedientia subditorum.

Quoniam imperium summum non admittit, ut actus ad ejus exercitium spectantes ab ullo homine irriti reddantur (§. 981.); *imperium summum in se irresistibile*, consequenter *populus in iis, in quibus imperii summitatem habet Rector civitatis, resistere non debet.* Cumque imperium transferri nequeat ea lege, ut populus universus recte imperanti parere debeat, male autem imperanti resistere eumque coërcere possit; *populus Rectori civitatis in iis, in quibus summitatem imperii habet, obligatur ad obedientiam cum patientia* seu *non modo bene, sed etiam male regenti Remp. obedire tenetur*; id quod durum videri nequit, cum præstet sub malo regimine, quam in statu naturali vivere (§. 972.). Ast quia ab obligatione naturali nemo libera-

berari poteſt (§. 42.); *ſi ſuperior imperet legi naturæ præceptivæ, vel prohibitivæ repugnantia, obediendum non eſt, & patienter ferendum, ſi propterea puniatur, aut potius male tractetur.* Et quoniam ſuperiori nullum jus eſt imperandi legibus fundamentalibus adverſa (§. 984.); *nec obediendum, ſi legibus fundamentalibus adverſa imperentur*, immo *imperanti reſiſtere eumque coërcere licet, ſi in jus populo, vel optimatibus reſervatum involet* (§. 88. 90.).

§. 1080.

Supplicare dicitur, qui cum reverentia precatur, ut quid fiat, vel non fiat. Quamobrem cum motivis opus ſit, ut quis facere velit, nolit; *ſupplicanti licet rationes, ob quas aliquid fieri, vel non fieri debeat, demiſſe exponere.* Quamobrem cum fieri poſſit, ut *ſuperior* imperet, quod nimis durum, vel iniquum videtur, quia non ſatis novit, cur nimis durum, vel iniquum videatur; *ſi imperet quod nimis durum, vel iniquum videtur, ſubditis ſupplicare licet, & Magiſtratibus inprimis jus ſupplicandi ſubditorum nomine competit* (§. 1060.), *minime autem jus reſiſtendi injuriis imperantis*; cum *De ſupplicatione.*

non utantur jure, nisi a superiore ipsis concesso & dependenter a voluntate ejus exercendo (§. *cit.*). *Quodsi supplicatio, etsi justa, non attendatur, subditis hoc patienter ferendum* (§. 1079.).

§. 1081.

De regno abdicato, derelicto vel commisso.

Si Rex imperium abdicavit, vel dereliquit, aut regnum ex felonia in eum, cujus est feudum, aut ex clausula in ipsa delatione imperii posita, ut, si Rex hoc faciat, subditi omni obedientiæ vinculo solvantur, committit, cum Rex persona moralis sit, qui propter imperium, quod habet, Rex est (§. 994.), consequenter imperio amisso Rex esse desinat; *in personam privatam recidit*, ideoque *in eundem licet, quod in privatum.*

§. 1082.

De crimine læsæ majestatis & in specie perduellionis.

Cum nemo quicquam facere debeat, quod est contra jus alterius (§. 86.); *nullus* quoque *civis quicquam facere debet, quod est contra jura majestatica*, consequenter *nec machinari quicquam adversus personam ejus, qui jura majestatica in civitate, ideoque imperium summum habet* (§. 998.), *quo scilicet jus aliquod majestaticum, vel totum summum imperium, eidem vel aufertur, vel diminuitur, vel usus*

usus ejus quomodocunque impeditur (§. 83.). Quamobrem *nihil moliri debet, quod ad Reip. eversionem & labefactionem, ac Rectoris civitatis interitum tendit.* Quoniam *Crimen læsæ majestatis* dicitur factum, quo quid adversus jura majestatica, & per consequens adversus personam ejus, qui imperium summum habet, committitur; crimen hoc *naturaliter illicitum*, *seu contra jus naturæ est.* Et quia superiori competit jus puniendi eum, qui jus universis competens violat, qualia sunt jura majestatica sub imperio contenta (§. 979. 998.) & in Rectorem civitatis translata (§. 982.); *superiori* quoque *competit jus puniendi eum, qui crimen læsæ majestatis committit.* Quoniam vero cum jura majestatica omnia non sint ejusdem gradus, vi eorum, quæ de hisce juribus demonstrata sunt (§. 1042. & *seqq*), neque etiam facta adversus eadem commissa æquale nocumentum afferant Reip. *non omne crimen læsæ majestatis eodem modo puniri potest.* Vocatur autem in specie *Crimen perduellionis*, quo quis Rectorem civitatis vita, vel imperio privare, vel Remp. evertere, aut labefactare cona-

tur: quod, cum inter crimina læsæ majestatis utique maximum sit, *gravissimis pœnis coërcendum.* Patet vero, *crimen læsæ majestatis & perduellionis committi posse in quacunque Reip. forma.* Cumque liberi & cognati puniri nequeant ob facta parentum, vel cognatorum (§. 873.); *perduellium liberi & cognati puniri non possunt.* Quoniam denique obligatio ad non committendum crimen læsæ majestatis venit ex pacto, quo civitas constituta (§. 972.), & ex pacto, quo imperium in Rectorem civitatis translatum (§. 982); *crimen læsæ majestatis & perduellionis committi nequit nisi a subditis, &, qui committit, perfidus est* (§. 390.).

§. 1083.

De jure in invasorem. *Invasor imperii* dicitur, qui cum nullum jus ad imperium capessendum habeat, vi, vel dolo id occupat. Quamobrem cum invasor imperii raptori æquiparetur (§. 263.), consequenter in eundem tantundem liceat, quantum vi injustæ depellendæ sufficit (§. 268.); *si invasor imperii in actu invadendi constitutus, ei vi resistere, & si possessionem sola vi retineat, neque pactio ulla secuta sit, quæ servanda* (§. 438.), *eum vi dejicere,*

im-

immo in utroque casu occidere, si opus sit, licet. Et quoniam *superior*, cui hoc jus competit, id vel per se, vel per alium exercere potest; *si promiscue unicuique privato permittat, ut invasorem in casu utroque interficiat, quilibet eum interficere potest.*

§. 1084.

Quod si Rector civitatis in talem conjectus sit statum, ut subditos defendere non possit, nec civium tantæ sint vires, ut invasori citra præsens exitium valeant resistere, cum cives imperium in Rectorem civitatis eo fine contulerint, ut ipsos adversus vim externam defendat (§. 972.); sui conservandi causa *cum invasore paciscí licet.* Et quoniam pacta servanda sunt (§. 438.); *pactione facta eidem obediendum, nec quicquam animo hostili adversus eum moliri licet.* *Quando cum invasore imperii pacisci liceat.*

§. 1085.

Rector civitatis subditis, & subditi Rectori civitatis obligantur ad quævis officia, quæ homo homini debet. Etenim obligatio naturalis immutabilis est (§. 38.), nec ullus homo ab ea liberari potest (§. 52.). Quamobrem cum Rector civitatis non desinat esse homo, quia Rector *De officiis humanitatis a R. c. subditis, & ab his R. c. debitis.*

civitatis est, nec subditi esse desinant homines, quia subditi sunt; obligatio inter Rectorem civitatis & subditos quoad officia humanitatis quævis subsistit, consequenter *mutuus vigere debet amor Rectoris civitatis & populi* (§. 136.). Immo eadem obligatio inest pacto, quo civitas constituta (§. 972.), & pacto, quo imperium in Rectorem civitatis translatum (§. 982.).

§. 1086.

De iis, qui civitati se associant. Cum *qui civitati se associat*, si non expresse, saltem tacite ratihabeat pactum, quo civitas constituta & imperium in Rectorem civitatis translatum; *ad legum civitatis observantiam obligatur* (§. 978. 1068.). Accedit, quod civitati non alia lege se quendam associari patiatur superior, quam ut ad legum observantiam obligatus sit.

§. 1087.

De civium concordia. Quoniam cives socii sunt (§. 972. 974.), socii autem concordes esse debent (§. 847.); *cives concordes esse debent*, consequenter *minime discordes*. Quamobrem *superiori curæ esse debet, ut concordia civium conservetur, nec discordiæ locus fiat.*

PARS

PARS IV.

DE JURE GENTIUM.

CAPUT I.

DE JURE GENTIUM IN GENERE.

§. 1088.

Quoniam *Gentes* diversæ inter se spectantur tanquam personæ liberæ in statu naturali viventes (§. 977.); ab obligatione autem naturali, propterea quod in civitatem coivere, se liberare non potuerunt (§. 42.); *ad eadem officia tum erga se ipsas, tum erga gentes alias obligantur, qua singuli singulis tenentur; & ex ea eadem nascuntur jura, quæ singulis in statu naturali competunt* (§. 46.), *ipsis auferri nescia* (§. 74.), consequenter *inter se utuntur Jure naturali.* Jus naturæ ad Gentes applicatum, vocatur *Jus gentium necessarium*, vel *naturale.* Vocari etiam solet cum *Grotio* a nonnullis *Jus Gentium internum.* Atque *hoc Jus prorsus immutabile est* (§. 40.), *De jure Gentium necessario.*

nec ab obligatione, quæ inde venit, gens ulla se liberare potest (§. 42.).

§. 1089.

De jure natura gentibus competente.

Vi Juris Gentium necessarii *gentium omnium eadem est obligatio, eadem sunt jura* (§.69.), ac ideo *omnes natura æquales*, (§. 70.), *nulli prærogativa aliqua* (§. 71.), *nec præcedentia competit* (§. 75). *Nulli jus est in actiones alterius* (§. 76.): *singularum est libertas* (§. 77.), *cujus usus non impediendus a gente alia* (§. 78.). *Nulla gens alteram lædere, seu jus perfectum ipsius violare debet* (§. 88.), *seu injuriam facere* (§. 87.), & *adversus injuriam intentatam jus defendendi* (§. 90.), *adversus factam jus puniendi competit unicuique* (§. 93.). Et præterea *singulis* quoque *gentibus competit jus alias ad certas præstationes sibi obligandi*, & per consequens *jus perfectum acquirendi* (§. 97), *auferri nescium* (§. 100), ac denique *jus belli* (§ 98.).

§. 1090.

De jure gentium voluntaria.

Cum *gentes conjunctis viribus se statumque suum perficere obligentur* (§. 44. 1088.); *ipsa natura societatem quandam inter*

inter gentes instituit, in quam ob obligationis naturalis indispensabilem necessitatem (§. 38.) consentire tenentur, ut quasi pacto contracta videatur (§.836.). Atque hæc societas communis salutis causa inter gentes instituta, *Civitas maxima* vocatur; cujus membra, seu veluti cives, sunt singulæ gentes. Atque hinc nascitur jus quoddam universis competens in singulas, quod *imperium universale*, sive *Gentium* appellari potest; nimirum *determinandi actiones singularum salutis communis obtinendæ causa, & cogendi singulas*, *ut obligationi suæ satisfaciant*. Cumque omnis societas suas habere debeat leges, quibus determinantur ea, quæ salutis communis causa semper eodem modo fieri debent (§. 846.); *civitas* quoque *maxima leges habere debet*. Quemadmodum vero lex naturæ præstat consensum in civitatem maximam; ita eadem quoque eundem supplet in condendis legibus. Sicuti enim in qualibet civitate leges civiles ex naturalibus condendæ, & ipsa lex naturæ præscribit modum, quo id fieri debet (§. 1068. & *seqq.*); ita quoque *ex legibus*

naturalibus fieri debent leges civiles in civitate maxima eodem modo, quo in civitate qualibet particulari, juxta theoriam lege naturali præscriptam. Atque hoc jus, quod ex notione civitatis maximæ derivatur, cum *Grotio* dicicimus *Jus Gentium voluntarium*: idque revera admittitur ab illis, qui Jus Gentium voluntarium impugnant, sed Jus aliquod externum interno, quod Jus gentium naturale est (§. 1088.), contradistinctum defendunt; ut ideo non tam de re, quam de nomine lis sit, etsi nec *Grotius*, nec ejus antagonistæ satis distinxerint, quæ revera sunt Juris gentium voluntarii.

§. 1091.

De Jure gentium pactitio. Gentes etiam pactis jura acquirere & obligationes contrahere possunt (§. 1089.). Atque hoc jus, quod ex pactis oritur inter gentes diversas initis cum obligationibus respondentibus, vel adhærentibus, *Jus gentium pactitium* appellatur; consequenter cum pacta saltem obligent partes contrahentes (§. 438.), *Jus gentium pactitium nonnisi jus particulare est.*

§. 1092.

§. 1092.

De Jure gentium consuetudinario.

Denique *Jus gentium consuetudinarium* appellatur, quod longo usu inter quasdam gentes introductum & instar juris observatum; *quod particulare saltem esse* apparet: cumque nullo expresso consensu nitatur; *non diutius obligat, nisi donec gens contrariam voluntatem expresse declaravit.*

CAPUT II.

DE OFFICIIS GENTIUM ERGA SEIPSAS ET INDE NASCENTIBUS JURIBUS.

§. 1093.

De conservatione gentis.

Conservatio gentis consistit in duratione consociationis in civitatem. Quamobrem cum singulis obligentur universi prospicere sufficientiæ vitæ ipsorum, tranquillitati & securitati (§. 975.), qui finis nisi salva consociatione obtineri nequit; *quælibet gens se conservare obligatur.*

§. 1094.

De perfectione gentis & status ejusdem.

Perfectio gentis consistit in aptitudine finem civitatis consequendi; ac ideo *status gentis perfectus est, si in eo nihil desiderari*

desideratur, quo ipsa ad eam consequendum indiget. Quamobrem cum in civitatem coeuntes sese sibi invicem obligaverint ad hunc finem conjunctis viribus prosequendum (§. 972.); *gens quælibet obligatur ad se statumque suum perficiendum.*

§. 1095.

De obligatione ac jure inde fluente.

Quoniam *gens* se conservare (§. 1093) & perficere obligatur (§. 194.); *omne* quoque *periculum interitus a se avertere, & vitare debet ea, quantum in potestate est* (§. 60.), *quæ perfectionem ipsius atque status ejusdem quomodocunque impediunt, aut ipsam vel statum ejusdem imperfectiorem reddunt*, consequenter *cuilibet genti competit jus ad ea, quibus periculum interitus avertere, & sine quibus se statumque suum perficere, aut imperfectionem sui statusque sui præcavere nequit*, consequenter *si alterius gentis ope, aut auxilio eo fine indiget, de eo cum eodem pactiones inire debet* (§. 1091.).

§. 1096.

De gloria.

Gloria est consentiens laus bonorum & peritorum, seu bene judicantium (§. 127.); consequenter *sine virtutibus intellectualibus & moralibus veram gloriam*

riam nemo consequi potest, & gloria maxime excellit, qui virtute plurimum præstat (§. 125.). Atque hinc *gloria gentis consistit in laude, quæ consensu bonorum & peritorum eidem tribuitur cum ob perfectionem, tum ob facta ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta.* Cumque a singulis in universam gentem deriventur, & de ea prædicanda sint, quæ de majore parte gentis, vel pluribus in certo vitæ genere prædicanda; *facta* quoque *singulorum*, ac *inprimis plurimorum, aut saltem multorum in eodem vitæ genere ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta ad gloriam gentis faciunt.* Ita e. gr. gens dicitur docta, quæ abundat viris doctis, dicitur justa, in qua plurimi justitiæ deditи, & ita porro.

§. 1097.

De gloria gentis promovanda. Cum quivis homo operam dare debeat, ut laude dignus sit (§. 125.), consequenter gloriam mereatur (§. 127.); *gens* quoque *quælibet operam dare debet, ut gloriam mereatur.* Unde sequitur, *ut singuli* quoque *actiones suas ad gloriam gentis suæ referre debeant, & Rector ipse civitatis actus regios* (§. 1096.), consequenter *sibi cavere, ne faciant,*

faciant, quæ genti suæ dedecus inferant. Atque hinc porro patet, *gentes* quoque *doctas & cultas esse debere.* Dicuntur nimirum *gentes doctæ*, quæ virtutes intellectuales colunt; consequenter doctrina excolunt animum; & *cultæ* vocantur, quæ moribus ad normam rationis & suavitatem compositis utuntur. Opponuntur illis *barbaræ* atque *incultæ*.

§. 1098.

De jure res sibi æquo pretio ab alia gente comparandi. Quoniam homines sibi invicem obligantur ad dandum, prouti unusquisque re alterius, qua ipse carere potest, indiget (§. 329.), nemo autem alteri gratis dare tenetur, qui vicissim dare potest (§. 473.); *genti cuilibet competit jus ad res, quibus indiget, ab aliis gentibus, quæ iisdem opus non habent, æquo pretio sibi comparandas, non vero jus res suas apud aliam gentem vendendi sine consensu ipsius*, consequenter *si qua gens nolit res certas peregrinas in regionem suam transportari, genti, a qua veniunt, injuriam non facit* (§. 87.).

§. 1099.

De commerciis. *Commercium* dicitur jus emendi vendendique invicem res quascunque mobiles ac moventes. Dicuntur autem

Com-

Commercia interna, quæ exercent, qui eidem imperio civili subsunt, seu cives inter se; *externa* vero, quæ exercentur cum gentibus aliis, aut cum peregrinis. Cum commercia interna hunc habeant usum, ut unusquisque habere possit ea, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem requiruntur, & ut eadem pecunia continuo ab uno in alium transferatur & in plurimorum commodum convertatur, externa vero, ut quæ genti uni desunt, ab alia comparari possint; *tum singuli in civitate sibi invicem* (§. 975.), *tum gentes inter se commercia exercere obligantur* (§. 1098.). Quamobrem cum pactione jus perfectum acquiratur (§. 1089.); *gentes pacta commerciorum inire debent.*

§. 1100.

Jus meræ facultatis dicitur, quo quis uti potest & non uti, prouti visum fuerit, liber ab omni coactione externa. Quamobrem cum *actus meræ voluntatis* dicantur, qui unice a voluntate nostra dependent; tales *sunt actus omnes ad juris meræ facultatis exercitium spectantes*, veluti emere merces, ubi volueris. Quoniam itaque ex actibus *De jure meræ facultatis.*

meræ

meræ voluntatis colligi nequit, quod quis renunciet juri suo sic & non aliter agendi, in gratiam alterius; *jura meræ facultatis præscribi nequeunt* (§. 452.), *nisi ex quo tempore intercesserit prohibitio, vel coactio, eique paritum est, cum sufficiente consensus significatione.*

§. 1101.

De præscriptione commerciorum. Cum *jus commerciorum* perfectum non acquiratur nisi pactione (§. 1099.), consequenter per se sit jus meræ facultatis (§. 1100.); *id præscribi nequit, nisi ex quo tempore intercesserit prohibitio, aut coactio, eique paritum est, cum sufficiente consensus significatione.*

§. 1102.

De jure potentiam augendi. Ad perfectionem gentis requiritur, ut sit *potens*, hoc est, ut vi aliarum gentium, qua vel ipsa, vel res ejus impetuntur, resistere possit (§. 1094. 972.). Quamobrem *gens quælibet studere debet, ut sit potens*, consequenter *ipsi jus est ad ea, quibus potentiam suam citra injuriam alterius gentis* (§. 87.), *augere potest* (§. 46.). Quamobrem *si qua gens minus potens fuerit ad se tuendum adversus injurias aliarum gentium*, cum per pactiones acquirantur jura

jura perfecta (§. 1089.), *genti cuidam potentiori se certa lege, de qua conventum, subjicere potest, & jura utriusque partis metienda sunt ex pacto subjectionis* (§. 317.). *Quodsi* ergo *gens*, *quæ tutelam debet, sibi plus juris arrogat in minus potentem, quam ex pacto habet*, cum tunc huic injuriam faciat (§. 87.); *vi resistere & alienum auxilium implorare licet* (§. 90.).

§. 1103.

Domicilium dicitur habitatio aliquo in loco constituta perpetuo ibidem manendi animo. *Qui* itaque *negotii cujusdam causa alicubi quantocunque tempore commoratur, domicilium ibidem non habet.* Quoniam vero libertatis naturalis unicuique permissa est voluntatis mutatio (§. 78.); *domicilium mutari potest*. Vocatur autem *domicilium naturale*, quod quis nativitate consequitur ibidem, ubi pater domicilium habet; *adscititium* vero, quod quis propria voluntate sibi constituit. Quamobrem *domicilium naturale tamdiu quis retinere censetur, quamdiu propria voluntate sibi nullum constituit, aut illud non derelinquit.*

De domicilio.

L. 17. §. 13. ad municipalem.

§. 1104.

De vagabundis.

Vagabundus vocatur, qui nullibi domicilium habet. *Vagabundi* igitur *nunc hic, nunc alibi commorantur, nullibi tamen animum perpetuo manendi habent.* Etsi autem plerumque vagabundi sint, qui scelestum vitæ genus sequuntur, aut certe parum honestum; non tamen repugnat, ut etiam sint vagabundi, qui honestum sequuntur.

§. 1105.

De patria & ejus amore.

Patria dicitur locus, nimirum terra vel urbs, in qua parentes, dum quis nascitur, domicilium habent; respectu habito ad gentem, vel certam quandam de gente universitatem, cujus terra, vel urbs ista est. Differt a patria *locus nativitatis*, in quo quis natus est, cum etiam extra patriam quis nasci possit. Cum *locus nativitatis* spectetur sine respectu ad gentem; *nato* quoque *nullum tribuit jus*. Patet vero, *ex parentibus vagabundis natos patriam nullam habere* (§. 1104.). Quoniam subditi speciali obligatione amandi universos tenentur (§. 1085.), consequenter *quilibet gentem suam amare debet* (§. 974.); *patriam* quoque *suam amare debet*.

§. 1106.

§. 1106.

Exul dicitur, qui ex urbe, vel terra, ubi domicilium habet, ejicitur, vel discedere cogitur absque infamiæ nota. *Exilium* etiam *pœna esse potest* (§. 1048.). *Exilium invitum* vocatur, si quis sententia judicis vel jussu superioris discedere cogitur: *voluntarium* vero, quando quis pœnæ, aut calamitatis subterfugiendæ causa sua sponte ex loco, ubi domicilium habet, discedit. Quoniam habitatio concedenda sedibus expulsis & receptum quærentibus, nisi rationes singulares obstent (§. 312.); *exulibus perpetua habitatio a gente concedenda in terris suis, nisi obstent rationes singulares*: de quibus cum judicium sit penes gentem (§. 1089. 78.); *si receptus denegetur, id ferendum.* *De exulibus.*

§. 1107.

Permissio exilii voluntarii dicitur *Jus emigrandi.* Facile autem patet, *jus emigrandi nasci vel ex pacto, aut lege fundamentali, vel a voluntate superioris dependere.* Spectat huc etiam pactum, quo civitates constitutæ, & cui non derogatur nisi per pacta alia particularia, *De jure emigrandi.*

ad quæ etiam referendæ ipsæ leges fundamentales.

CAPUT III.

DE OFFICIIS GENTIUM ERGA SE INVICEM AC INDE NASCENTIBUS JURIBUS.

§. 1108.

Officium generale gentis erga alias.

Cum jus naturæ ad Gentes sit applicandum (§. 1088.); *gens quælibet alteri cuicunque debet, quod sibi, quatenus altera id non habet in potestate sua, ipsa autem citra neglectum officii erga seipsam hoc alter præstare potest* (§ 133.), consequenter *quæ ad conservationem ipsius, vel ejusdem ac status ipsius perfectionem conferre potest, conferre debet* (§. 1093. 1094.). *Jus* tamen *ad ea genti alteri imperfectum est, jus autem petendi perfectum, nec ea impediri potest, quo minus petatur, citra injuriam* (§. 82. 87.).

§. 1109.

De amore, gloria & commerciis.

Ob eandem rationem *gens quælibet alteram amare ac diligere debet tanquam se ipsam* (§. 136.), *etiam inimicam* (§. 137.), *atque studere, ut gentes etiam aliæ gloriam mereantur* (§. 1097.), & *unamquamque tanti existimare, quanti meretur, tantumque laudis tribuere, quan-*

quantum meretur (§. 142.), *ac* ideo quoque *pro virili conferre, ut fiat docta & culta.* Huc etiam pertinet *obligatio cum gentibus aliis commercia exercendi* (§. 1099.).

§. 1110.

Quomodo de commerciis conveniri possit.

Cum jus perfectum commerciorum non nisi pactione acquiratur, & ex ea æstimandum sit (§. 438.); *commercia restringi possunt ad solam emtionem, vel res certas emendas, aut vendendas, & ad certum tempus, & pactis commerciorum adjici possunt conditiones quæcunque & clausulæ commissoriæ: quodsi* vero *gentes sibi invicem saltem permittant, sive tacite, sive expresse commercia, ea vero pacto nullo firmantur, pro lubitu revocari possunt.*

§. 1111.

De commerciis non impediendis & pactis negativis.

Quoniam naturaliter unicuique genti competit jus ad commercia cum quacunque gente exercendi (§. 1099.); *nulla gens prohibere potest, ne qua alia cum gente quadam commercia exerceat, pacisci tamen cum ea potest, ne hoc fiat* (§. 337.). Et cum pacta sint servanda (§. 438.); *ex pacto negativo de commerciis parti alteri nascitur jus non patiendi,*

ut pars altera cum gente quadam commercia exerceat, vel ea ultra restrictionem conventam extendat.

§. 1112.

De lucro abrupto & monopoliis gentium. Quoniam genti unicuique liberum est cum alia quacunque commerciorum causa pacta inire (§. 1099.); *si commercia exercendo, quæ ante non exercuerat, lucrum alterius gentis abrumpit*, jure suo utens, *huic injuriam non facit*, *nec* per consequens *facit, si cum altera gente contrahit, ut sibi soli res certas vendat, quæ aliunde nisi ab ea haberi possunt & easdem deinde aliis, quæ iisdem indigent, vendit. Naturaliter* equidem tum *res istæ vendendæ sunt pretio æquo*; ne fraudi locus admittatur (§. 286.): cum tamen domino permittendus sit juris sui abusus (§. 202.); *nulla committitur injuria, si pretio parum æquo vendatur* (§. 87.).

§. 1113.

De studio commercia promovendi Cum per commercia commune bonum gentium promoveatur (§. 1099.), ad quod promovendum gentes sibi invicem obligantur (§. 1108.); *gens quælibet pro virili conferre debet, quæ ad mutua commercia promovenda faciunt*, consequenter *nullo modo ea impedire, sed*

quæ

quæ iisdem obesse possunt, removere. Quamobrem *curæ habere debet, ut res, quæ in commercium veniunt, commode ac secure importari & exportari, suoque loco facile commutari possint, & ut tutus sit navibus atque plaustris accessus atque discessus, nec mora teneat importantes, vel exportantes, ne nimii ab iisdem impendendi sint sumtus, ut lites inter mercatores ortæ sine mora dirimantur, ut nihil committatur, quod juri ex pactis quæsito contrariatur, & quæ sunt alia hujus generis plura.*

§. 1114.

Quoniam vero nemo alteri gratis præstare quid tenetur, qui vicissim dare potest (§. 473); *mercibus transeuntibus vel importatis, aut exportatis vectigal imponi potest in ratione onerum commerciorum causa sustinendorum, tum etiam lucri ex earum venditione percepti, non tamen imponenda sunt onera, quæ nullum respectum ad illas habent* (§. 1057.). *De vectigali mercibus imponendo.*

§. 1115.

Emporia dicuntur loca commerciis continuis inter gentes destinata. *In ea igitur merces venales quovis tempore importare, & emtas ex iis exportare licet.* *De emporiis.*

Cum per ea commercia facilitentur; *emporia erigenda & quæ commoditati commerciorum in iisdem conveniunt, constituenda sunt* (§. 1113.). Huc etiam pertinet, *ut privilegia ad commercia promovenda utilia concedantur*, *veluti de perpetua habitatione*, *de rerum immobilium possessione*, *de libero religionis exercitio*, *de juris patrii inter se usu*, *de immunitate a solvendo vectigali*, *vel solutione ordinario minoris*, & ita porro. Atque hinc patet, ad quænam gens una alteram per pacta obligare possit.

§. 1116.

De portubus. Ad commercia maritima promovenda faciunt *Portus*, qui sunt loca conclusa ad litora maris, in quibus navibus importantur merces & inde exportantur. Ut securitas præstetur mercantibus, adversus vim hostilem; *muniendi sunt*. Huc etiam pertinet, quod securitatem præstent navibus adversus vim tempestatum.

§. 1117.

De jure stapulæ. *Jus stapulæ* dicitur privilegium, prætereuntes cum mercibus in flumine publico sistendi, necessitate vendendi injuncta, aut, si vendere nolint, tributum solvendi: quod cum libertati commer-

merciorum maxime obstet; *non concedendum, nisi singulares prorsus rationes, a bono publico promovendo desumtæ, id urgeant* (§. 1113.).

§. 1118.

De consulibus.

Consules dicuntur personæ, quibus in emporiis maritimis, seu portubus demandatum est, ut privilegia & jura nationis, seu gentis suæ custodiant & lites mercatorum definiant. *Manent consules subditi constituendis*; cum fungantur officio ab eodem in ipsos collato: *in territorio autem recipientis considerantur tanquam peregrini, negotiorum suorum causa in eodem commorantes.* Et facile patet, *jus perfectum consules constituendi & obligationem eos recipiendi ex pactis venire* (§. 1089.), *atque in iisdem conveniri posse, quæ e re partis utriusque visa fuerint.*

§. 1119.

De nomine ac titulis R. c.

Quoniam naturaliter genti nulli *prærogativa & præcedentia* competit (§. 1089.); utraque *aliter acquiri nequit nisi per pacta.* Et vi libertatis gentium *cuilibet genti liberum est, quo nomine Rectorem civitatis suæ appellare velit, & quosnam bonorum titulos eidem tribue-*

re, ab aliis vero gentibus id impetrandum. Enimvero *si gens jus perfectum pacto acquisivit, ut Rector civitatis suæ hoc nomine compelletur & hi tituli ipsi tribuantur; posthac absque injuria denegari nequeunt* (§. 87.).

§. 1120.

De jure æqualitatis non violando.

Cum gentes omnes natura æquales sint (§. 1089.), & Rectores civitatum gentem suam repræsentent (§. 994.); *quilibet Rector civitatis Rectorem alterius civitatis spectare debet tanquam sibi æqualem*: quod jus auferri nescium cum sit (§. 74.), *si quis verbis, vel factis contrarium declarat, injuria committitur* (§. 87.). Hinc *omnes actus, qui vergunt in contemtum, vel contumeliam Rectoris civitatis, injuria sunt.*

§. 1121.

De læsionibus gentium.

Gens nulla alteram lædere debet (§. 1089.), consequenter nec jus ejus violare (§. *cit.*). Quamobrem cum ex hac obligatione partis unius nascatur alteri jus eidem respondens (§. 89.); *genti cuilibet competit jus non patiendi, ut lædatur ab alia*, ac per consequens *jus non patiendi, ut alia quædam gens regimini suo sese immisceat*: id quod etiam liber-

tati

tati gentium repugnat (§. 1089. 87.). Hinc sequitur, *ut, si Rector civitatis subditos suos nimium oneret, aut eos nimis duriter tractet, Rector alterius civitatis vi resistere nequeat.* Cum tamen quælibet gens perfectionem alterius promovere debeat, quantum potest (§. 1108.); *pro iis intercedere licet.*

§. 1122.

Cum jus circa sacra aliquod etiam superiori competat (§. 1064.), & eidem curæ esse debeat, ut subditi colant Deum (§. 1024.); *gens nulla alteram vi adigere potest ad religionem suam amplectendam* (§. 1120.), consequenter *nec jus habet religionis causa gentem aliam sibi subjiciendi*, immo *nec missionarios*, hoc est, personas, quæ propagandæ alius religionis causa adveniunt, *admittere tenetur*, ideoque *si abire jussi discedere nolint, eos punire potest.* ***De religione apud alias gentes vi non propaganda.***

§. 1123.

Et quoniam officia gentis erga gentem non supponunt identitatem religionis, sed in humana natura fundantur (§. 39.); *ob diversitatem religionis gens alteri officia humanitatis, quæ gens genti debet, denegare non potest.* ***An diversitas religionis obstet officiis gentium erga se invicem.***

Quam-

Gal. VI, 10. Quamobrem *in officiis humanitatis præstandis nulla habenda est ratio diversitatis religionis. Multo minus* itaque *diversitas religionis liberat ab obligatione perfecta contracta* (§. 80.).

§. 1124.

De concordia gentium. Denique cum gentes sint veluti cives civitatis maximæ (§. 1090.); *inter se concordes esse debent* (§. 1087.), consequenter *discordias & ea, quæ discordiis causam dant, sollicite vitare.*

CAPUT IV.

DE DOMINIO GENTIS.

§. 1125.

De origine dominii gentis & territorii. S*i gens regionem vacuam occupat*, cum occupatione rei nullius acquiratur dominium (§. 210.); *omnis terra & quæ in ea sunt, in dominio ipsius sunt, loca etiam deserta & sterilia, aut inculta, atque jura, quæ terræ quasi adhærent* (§. 214.): cumque jam de singulis pro lubitu disponere possit (§. 195.); *quæ in singulos non dividuntur, aut in communionem mixtam cœtuum quorundam particularium non deducuntur* (§. 197.), *ea uni-*

universorum manent. Quoniam vero genti cuique competit imperium civile (§. 979.), sive id per se, sive per aliam exerceat (§. 982.), consequenter dubitandum non est, quin etiam in ea regione, quam occupat, seu in terris, quæ suæ sunt, imperium habere velit; *imperium in regione occupata simul occupat*, sicque *tota regio fit territorium ipsius.* Dicitur namque *Territorium* locus, in quo quis imperium habet. l. 239. §. 8. d. l. Atque hinc patet, *imperium*, quod quidem jus populi est, *quasi inhærere districtui terræ, quem inhabitat*, consequenter *peregrinum, quamdiu in regione ista*, tanquam in territorio alieno, *commoratur, imperio illius gentis subjectum esse.* Et propterea Rector civitatis *Dominus territorii* appellatur, item *Dominus regionis.*

§. 1126.

De familiis segregibus.

Si familiæ segreges in regione quadam cohabitent & fundos privatos possident, cum ab initio idem fuerint occupati (§. 210.), *in iis dominium habent: sed loca cetera*, utpote quæ ab ipsis occupata non sunt, *in communione primæva relicta* (§. *cit.*). Enimvero *si familiæ segreges sedem fixam non habeant, sed per incul-*

incultas solitudines errent, cum in id tacite consensisse intelligantur, ut fundi in ea regione, in qua sedes pro lubitu mutant, usui singulorum inservientes sint communes, ideoque regionem quoad istos fundos conjunctim occupasse intelligantur (§. *cit*); *fundi*, *qui ipsorum usui inservire possunt*, *in communionem mixta sunt* (§. 197.), *ceteris*, utpote non occupatis, *in communione primaeva manentibus* (§. 210.). Enimvero cum familiae istae natura liberae sint (§. 77.), & libertas invitis auferri nequeat (§. 74.); *imperium* quoque *in familias segreges, sive sedem fixam habeant, sive non, occupabile non est*, *sed eidem subjici nequeunt nisi sua voluntate.*

§. 1127.

De accessione territoriorum originaria. Quoniam cum dominio imperium simul a gente occupatur (§. 1125.); *si gens insulam*, *aut terram inhabitatam*, *vel partem quandam maris terrae continenti adjacentem occupat*; *quae occupantur territorii istius gentis accessorium sunt*, *quantocunque intervallo ab eodem distent* (§. 1125.).

§. 1128.

De divi- Quae facta occupatione in communio-

munione primæva relicta sunt, JCtis Romanis dicuntur *Res communes*; quæ in communionem mixtam gentis totius deducta sunt & in ea manserunt, *Res publicæ*; quæ in communionem mixtam certorum cœtuum particularium venerunt, *Res universitatis*; quæ denique dominio singulorum subjecta fuerunt, *Res singulorum* appellantur. Cum dominus dominium rei suæ ea, qua ipsi visum fuerit, lege in alium transferre possit (§. 314.); *quilibet ex re sua rem universitatis sive directe, sive indirecte talem facere potest, vel simpliciter, vel certa lege.* Atque hic est modus acquirendi res universitatis derivativus. *sione rerum.*

§. 1129.

Cum res universitatis non modo sint eorum, qui nunc vivunt, sed pertineant quoque ad eos, qui in locum mortuorum successive succedunt (§. 1128.); *res universitatis ab universitate alienari, aut oppignorari pro lubitu nequeunt, nisi indispensabilis adsit necessitas*, quæ legem non habet, *aut manifesta universitatis utilitas id suadeat*; cum tunc nihil fiat in præjudicium posterorum. Quoniam tamen Rectori civitatis competit cura eorum *De patria & ejus amore.*

rum

rum, quæ ad utilitatem publicam spectant (§. 1075.), atque dominium eminens in ipsis quoque rebus universitatis (§. 1065.); *alienatio & oppignoratio fieri nequit sine ejus consensu.* Et quia dominium excludit ceteros omnes (§. 195.); *rebus universitatis nemo uti potest, qui extra eandem est, nisi consensu ipsius.*

§. 1130.

De rebus publicis. Quia *res publicæ* in communionem mixtam gentis totius deductæ sunt (§. 1128.); *in dominio totius populi sunt, omnibus vero indifferenter usus earum competit, non aliter tamen quis ea uti potest, quam ne usui publico, aut omnium communi noceatur* (§. 197.). Et quia dominus jus, quod in re habet, in alium transferre potest (§. 314.); *in Rectorem* quoque *civitatis dominium rerum publicarum transferri potest, cui non modo imperium in locis publicis competit, verum qui etiam dominium eminens in rebus publicis habet, usu vel omni, vel saltem aliquo manente apud populum, de quo, prouti communis utilitas exigit, disponendi jus est superiori* (§. 976.).

§. 1131.

De jure transitus & commorandi in territorio alieno.

Vi juris innoxiæ utilitatis ex communione primæva residui (§. 311.), *peregrinis & mercibus eorundem concedendus est transitus per terras & flumina dominio subjecta, concedendum quoque peregrinis, ut ob justas causas ibidem commorentur* (§. 312.). Enimvero cum vi libertatis gentibus competentis (§. 1089.), *genti unicuique, seu ei, qui jus ejus habet, permittendum sit, ut judicet, num transitus sit sibi innoxius & num ex eo, quod peregrinus commoretur in suo territorio, nocumentum metuendum sit Reip. eoque standum sit* (§. 78.); *non sine expresso, vel tacito consensu domini territorii transire, vel in eo commorari licet.* Ex eadem ratione patet, *a voluntate domini territorii pendere, sub qua conditione idem permittere velit.* Quoniam itaque aliter id permittere non intelligitur, nisi expressa voluntate aliud significetur, quam ut legibus loci subsint peregrinorum actiones (§. 1125.); *peregrini, quamdiu in territorio alieno versantur, aut commorantur, ad ea facienda & non facienda obligantur, quæ civibus isto tempore sub iisdem circumstantiis fa-*

cienda, vel non facienda essent, nisi quatenus leges particulares de peregrinis aliud insinuant. Immo si saluti Reip. parum convenire videatur, ut pateant terræ peregrinis; *sub pœna prohiberi potest, ne quis peregrinus territorium ingredi audeat* (§. 976.).

§. 1132.

De peregrinis puniendis & eorum controversiis definiendis.

Cum *peregrini*, quando in territorio alieno versantur, subsint legibus loci (§. 1125.); *si in territorio alieno delinquunt, juxta leges loci puniendi, & si inter ipsos & cives, vel duos etiam peregrinos oriantur controversiæ de jure, eædem per judices loci juxta leges loci definiendæ.* Hinc etiam sequitur, *ut peregrinus puniatur ob injurias civi, vel peregrino alii illatas, & ad contractum adimplendum cogatur.*

§. 1133.

De injuria civis in civem alienum.

Quoniam factum alienum nemini imputari potest (§. 26.); *si gentis unius civis civem alterius gentis lædit, seu injuriam facit, id genti imputari nequit.* Quoniam vero imputari potest, si ad id quomodocunque concurrit, veluti ratihabendo, aut approbando (§. *cit.*); *si injuriam factam sive expresse, sive tacite ratihabeat, imputari potest.* Non hic atten-

tenditur, an in territorio gentis facta fuerit injuria, an extra idem in loco quocunque.

§. 1134.

Sed quia gens nulla gentem nullam (§. 1089.) & homo nullus hominem nullum lædere debet (§. 88.); *Rector civitatis ferre non debet, ut quis subditorum civi alterius gentis damnum det, aut injuriam faciat.*

De non ferendo, ut subditi alieni lædantur.

§. 1135.

Cum gens quælibet & dominium & imperium habeat in regione, quam inhabitat (§. 1125.), ac ideo regio sit sua (§. 195.); *gens quælibet alteri, vel subditis ejus jus quoddam in territorio suo constituere potest*, veluti concedere jus piscandi in flumine, vel jus fortalitium habendi in solo suo, aut præsidium in certo munimento, vel emendi ac possidendi prædia (§. 260.).

De jure genti alteri jus constituendi in territorio suo.

§. 1136.

Ob eandem rationem cum nemini jus suum auferri (§. 100.), aut contra idem quid fieri possit (§. 86.); *genti nulli competit jus alteram ex regione, quam incolit, expellendi, ut sedem ibidem figat,* nec

De jure non competente in territorium & in territorio

gentis alterius. *nec jus imperii fines propagandi*, hoc eſt, *idem extendendi in loca gentis vicinæ ultra limites territorii ſui, nec gentem ſibi ſubjiciendi, quia inhabitat regionem antea nobis incognitam, aut loca quædam in iis occupare & jus quoddam ſibi in iisdem arrogare, immo* in genere *gens nulla, nec privatus ullus peregrinus jus quoddam ſibi arrogare poteſt in territorio alieno.*

§. 1137.

An in territorio alieno verſantes maneant cives gentis ſuæ.

Cum *peregrinus in territorio alieno verſans, vel commorans* non mutet domicilium (§. 1103.); *civis manet gentis ſuæ*, conſequenter *ſi injuriam facit concivi ſuo, vel damnum dat, redux ad ſuos ibidem puniri & ad damnum reſarciendum adigi poteſt, & ſi teſtamentum condit, id ſecundum leges in loco domicilii præſcriptas facere tenetur*: quatenus tamen gens una jurisdictionem alterius agnoſcere obligatur (§. 1120.); *teſtamentum valet ut judiciale, ſi in loco judicii ubi factum fuerit, depoſitum.*

§. 1138.

De jure albinagii.

Quia *peregrinus in territorio alieno* verſans, vel commorans civis manet gentis ſuæ (§. 1137.); *ſi* in eodem *moritur,*

tur, hæres ipsi existit, qui secundum leges patriæ succedit. Cumque Rector civitatis non nisi in eas actiones peregrini jus habet, quæ respectum quendam ad finem civitatis habent, ne nocumentum afferatur civitati (§. 1131.); *bona* quoque, *quæ secum habet, sunt ejus, qui ipsi in patria hæres existit,* consequenter *non cedunt fisco, nec testamenti factio eidem adimi potest.* Quamobrem cum *Jus albinagii* dicatur, quo exteri jure successionis in bonis defuncti civis, vel peregrini privantur; & per consequens nec in testamento institui possunt hæredes, nec legata iisdem relinqui; *id non modo juri gentium parum convenit quoad peregrinum in territorio alieno mortuum, verum etiam,* cum superiori in bona civium non competat nisi dominium eminens (§. 1065.), *quoad cives, seu subditos.*

§. 1139.

Cum *usucapio & præscriptio* sit juris naturalis (§. 463.); ea etiam *valet inter gentes* (§. 1088.) Quoniam tamen inter gentes plures sunt causæ, cur silendum, etiamsi quæ norit rem suam injuste detineri ab alio; *ob silentium diuturnum derelictio inter gentes,* quæ ad usu- *De usucapione & præscriptione.*

capionem & præscriptionem inde secutam requiritur (§. 451. 452.), *non tam facile præsumitur, quam inter privatos.* Et quoniam non qui possidet, sed qui rem petit, dominium probare debet (§. 262.), id quod fieri nequit, si *possessio* fuerit *immemorialis*, cujus scilicet initii memoria non extat; *præscriptio immemorialis inter gentes admittenda.* Enimvero quia gentes de iis, quæ ad communem utilitatem spectant inter se pacisci possunt (§. 1091.); *si gentes vicinæ de præscriptione inter se conveniunt, eo modo valebit præscriptio, quo conventum fuit.* Atque ut fiat, maxime convenit fini civitatis maximæ.

CAPUT V.

DE FOEDERIBUS ET SPONSIONIBUS.

§. 1140.

Potestates quænam dicantur.

Potestates *summæ* dicuntur personæ, quæ imperium summum in civitate habent: *minores* autem, quæ partem quandam imperii dependenter a summa & ejus nomine exercent, veluti magistratus & belli duces.

§. 1141.

Fœdus dicitur pactum a summis potestatibus boni publici causa in perpetuum, vel longius saltem tempus inter se initum. Pacta vero, quæ præstationes transitorias, seu non iterandas continent, *Pactionum* nomen retinent. Cum vero perinde sit, sive quis aliquid faciat per se, sive per alium; *fœdus facere possunt, qui mandatum a summa potestate habent* (§. 551.). Ex notione fœderum patet, *si summæ potestates*, veluti Reges, *inter se paciscuntur de rebus ad privatam ipsarum utilitatem spectantibus, vel potestas summa cum privato quodam, pactum hoc fœdus non esse.* *De fœderum & pactionum differentia.*

§. 1142.

Quoniam fœdera pacta sunt (§. 1141.): *de fœderibus eadem tenenda, quæ de pactis demonstrata sunt atque promissis* (§. 438.). Cum ex fœderibus acquiratur jus perfectum (§. 380.); *violatio fœderis injuria est* (§. 87.), consequenter *fœdera inire non licet fœderibus cum alia gente jam contractis contraria* (§. 86.). Atque ideo *fœdera priora*, hoc est ante contracta, *præferuntur posterioribus.* *De fœderibus tenenda.*

§. 1143.

De fœderibus amicitiæ. Cum gens nulla alteram lædere debeat (§. 1089.); *fœdera de non lædendo*, quæ *fœdera amicitiæ* vulgo dicuntur, *inire necesse non est*. Enimvero *si gentis cujusdam ea sit opinio, quasi gentes exteras pro lubitu lædere liceat, fœdera de non lædendo recte panguntur* (§. *cit.*).

§. 1144.

De æqualitate & inæqualitate fœderum. *Fœdera æqualia* dicuntur, in quibus paciscentes sibi invicem eadem, aut æquivalentia promittunt: *inæqualia* autem, in quibus eadem, aut æquivalentia non promittunt. Sunt vero *inæqualia ex parte digniori*, si qui plus præstare valet, præstationes gratuitas, vel majores promittit: *inæqualia ex parte minus digna*, si qui impotentior est, aut præstatione aliqua nimium oneratur, præstationes vel gratuitas, vel majores, vel tales, quæ eum valde gravant, promittit. Et hæc vel fiunt *cum imminutione imperii*, si pars quædam imperii potentialis quoad exercitium, vel substantiam transfertur in partem digniorem, aut saltem jus in omnes actus ad exercitium juris istius spectantes; vel

sine

sine imminutione imperii, si pars minus digna saltem sese obligat ad certum quid faciendum, vel non faciendum, quod alias vi summi imperii, vel libertatis naturalis, aut juris qua genti sibi competentis non facere, vel facere licebat. *Fœderum æqualium & inæqualium æquitas ex officiis gentium erga se invicem dijudicanda* (§. 1108.). Enimvero cum a voluntate jus transferentis unice dependeat, num & quomodo idem transferre velit (§. 314.), & quod quis verbis sufficienter significat, id contra ipsum pro vero habetur (§. 318.); *fœdera valida sunt, si in modo paciscendi nihil vitii hæret, non attenta eorum æquitate, vel iniquitate.* Quoniam tamen lex naturæ urget etiam in gentibus officia (§. 1108.); *gentes in pangendis fœderibus æquitatem servare naturaliter obligantur.*

§. 1145.

Gens tributaria dicitur, quæ quotannis certum tributum solvere tenetur alteri. Cum gentes naturaliter liberæ sint (§. 1089.); *gens tributaria fieri nequit nisi pacto* (§. 677.). Quoniam in gentem tributariam parti alteri non *De gente tributaria.*

aliud competit jus nisi tributum exigendi, tanquam a debitore suo (§. 336.); *gens tributaria facta summitatem imperii propterea non amittit* (§. 981.).

§. 1146.

De fœdere reali & personali.

Cum fœdus personale ad personas pacifcentes restringatur (§. 400.), non autem reale (§. 401.); *fœdus personale non est, si nomina paciscentium saltem fuerint adjecta, ut demonstretur, a quibusnam fœdus factum fuerit.* Hinc etiam intelligitur, *fœdus reale esse, quod fit in perpetuum, aut ad certum tempus, aut cum eo, cum quo agitur, & ejus successoribus, vel etiam ob utilitatem civitatis manentem, aut si adjicitur, ut factum sit in bonum regni.* Similiter *fœdus reale est, quod fit cum populo libero*: &, quoniam mutata Reip. forma populus idem manet, quippe quem consociatio facit (§. 974.), non modus exercendi imperium, *mutata Reip. forma subsistit, nisi* (quod per se patet) *causa fuerit statui populari propria.*

§. 1147.

De obligatione ex fœdere & pactis Re-

Quoniam Rex jus populi habet (§. 982.), consequenter jure populi fœdera pangit (§. 1141.); *fœdus,* quod cum

cum ipsa gente initum intelligitur, *etiam populum obligat & Regis successores, & in hos quoque jus ex fœdere quæsitum transit, nisi personale fuerit* (§. 1146.). Inde etiam sequitur, *ut, si Rege mortuo populus fiat liber, aut si Rege expulso, vel deposito fiat liber, vel Regem alium eligat, fœdus subsistat, nisi id personæ ejus defendendæ causa fuerit initum*; cum tunc sit personale (§. 400.). Eadem etiam intelliguntur de pactionibus aliis Regum, seu Rectorum civitatis. Quamobrem *si Rector civitatis Reip. causa etiam a privatis suscipit æs alienum, successores quoque & populus ad id luendum & usuras conventas solvendum obligantur.* *gum nascente.*

§. 1148.

Quia fœdera panguntur de iis, quæ ad conservationem & perfectionem gentis faciunt (§. 1141.), eandem vero naturaliter sibi obligantur promovere qua gentes (§. 1095.); *fœdera inire licet cum gente alii cuicunque, immo nulli religioni addicta, immo etiam contra gentem ejusdem cum nobis religionis.* *De fœdere cum gente alius religionis inito.*

§. 1149.

Quando a fædere discedere liceat, patet *De guarantia.*

patet ex superioribus (§. 442.). In securitatem autem fœderis a tertio fit *Guaranda*, sive, ut alii loqui amant, *Guarantia*, quæ est promissio fœderato utrique, vel alterutri facta, conventa servatum iri; consequenter *Guarandus*, qui promisit, *auxilium ferre obligatur contra eum, qui conventa servare non vult, si alter eodem indiget*, ideoque *non tenetur, nisi id imploretur.* Unde patet, quale pactum tacitum contineat guarantia. Dicitur autem *Guarantia generalis*, si præstatur de iis omnibus, de quibus in fœdere fuit conventum; *specialis* vero, quæ saltem de nonnullis, aut uno, vel altero convento. Et *Pactum guarandigiatum* dicitur, ad quod guarantia vel generalis, vel specialis accedit. Cumque *guarantia* saltem respiciat utilitatem ejus, cui præstatur; *præstari potest, inscio ac inconsulto eo, contra quem præstatur, &, si plures fœdus ineunt, singulis universi guarantiam præstare possunt.* Haud difficulter vero patet, *a guarantia differre fœdus quo quis auxilium promittit contra eum, qui jus quoddam suum eidem auferre conatur, & fidejussionem pro gente alia, qua promitti-*

mittitur, a se præstitum iri id, quod gens altera debet, nisi ipsa præstiterit (§. 569.). Denique cum nemo alteri jus suum auferre possit (§. 100.); *guarantia non intelligitur præstita, nisi salvo jure tertii.*

§. 1150.

De oppignoratione inter gentes & pacto antichrestico.

In fœdere quoque, vel alia pactione, cum oppignoratio fiat in securitatem debiti (§. 697.), *pignore caveri potest, conventa servatum iri.* Cum vero oppignorari nequeant nisi res suæ, pro alieno tamen etiam debito (§. 700.); *non modo oppignorari possunt, quæ sunt in dominio gentis*, veluti urbes, certæ territorii partes, integræ provinciæ, jura genti competentia, res pretiosæ, quæ sunt civitatis; *sed Rectoris quoque civitatis res propriæ, sive privatæ pro debitis gentis.* Enimvero *si integra provincia, aut certa territorii pars in securitatem crediti, vel quacunque de causa debiti traditur; pactum antichresticum ad oppignorationem accedit.* Est enim *Antichresis* jus re oppignorata utendi fruendi loco pecuniæ creditæ, in compensationem scilicet usurarum. Quoniam vero pactis conventis standum (§. 438.); *jus ex pacto antichrestico quæsitum æstimandum est ex iis, quæ conventa fuerunt.* Quamobrem

ex

ex eo patet, utrum imperium simul fuerit oppignoratum, nec ne. Per se autem liquet, *oppignorationem & antichresin finiri, præstito eo, cujus causa oppignoratio facta*, quàmvis *res oppignorata pro alio* quoque *debito retineri possit* (§. 706.), *nisi aliter fuerit expresse conventum* (§. 337. 342.).

§. 1151.

De obsidibus. *Obsides* dicuntur personæ, quæ traduntur in securitatem debiti, scilicet conventum servatum, vel debitum præstitum iri. *Obsides* igitur *revera oppignorantur* (§. 697.), *tamdiu retinendi, donec præstitum fuerit, quod debetur.* Quamobrem *accipienti competit jus obsides custodiendi, quantum sufficit, ne aufugere possint, nullum autem jus ad præstandas operas eosdem cogendi*, cum hoc esset idem ac p[illegible]nore uti (§. 702.). Quoniam vero nemini competit jus in vitam alterius (§. 411.); *vita obsidum oppignorari nequit*, consequenter *nonnisi libertas* (§. 77.), *non* tamen propterea *sunt servi* (§ 947.), *sed fiunt servi, non præstito eo, cujus causa dati* (§. 697.), *aut saltem captivi detinendi, interfici* vero *nequeunt*. Et ideo *obsides tales esse desinunt, si dans fidem*

dem fallit. Cumque *obsides* revera sint pignora; *in unam causam dati in aliam retinere possunt, nisi expresse aliter fuerit conventum* (§. 1150.). Et quia impensæ necessariæ in pignus factæ a constituente restituendæ (§. 703.), ac debita solvenda sunt (§. 751.); *qui obsides dedit, restituere tenetur impensas in alimenta eorum factas, & obses debita, quæ contraxit, solvere debet, antequam dimittatur.*

§. 1152.

Cum *qui obsidem dat*, obligetur ad id præstandum, cujus causa obses datur, & ad obsidem liberandum (§. 1151.); *ei, qui datur, se obligat ad eundem liberandum*, consequenter cum servus fiat, vel saltem ut captivus detineatur, si fides fallitur (§. *cit.*), *ad eum redimendum.* Et quia obsidem ire onus est, quod boni publici causa fertur, consequenter ad quod civis quivis obligatur, non saltem is qui obses datur (§. 1037.); *civitas aut ejus Rector incommodum obsidi, quod patitur, aut cognatis ejus repensare tenetur. Quodsi* vero *obses datus fuerit vel expromissor, vel fidejussor, vel sponsor* (de quo mox dicetur); per se

De obligatione, qua dans obsidi tenetur.

ſe patet, *non præſtito eo, cujus nomine datur, eum ex proprio facto teneri.*

§. 1153.

De ſanctitate fœderum.

Sanctum in Jure Gentium dicitur, quod ab omni violatione immune esſe jubet publica, vel communis gentium ſalus. Quamobrem cum fœdera pangantur boni publici cauſa (§. 1141.), & non modo ſicuti pacta cetera ſint ſervanda (§. 438.), verum etiam gentium maxime interſit ut ſerventur; *fœdera ſancta ſunt & gentibus ſancta habenda*: cumque in pangendis fœderibus non attendenda ſit religionis diverſitas; *ſanctitas fidei nullum reſpectum habet ad religionem gentis, cum qua fœdus initur.*

§. 1154.

De fide tacita.

Quando de negotio aliquo convenitur, in cetera omnia, quæ requiruntur, ut id conſtare poſſit, tacite conſentitur. Quamobrem *ſine quo id, in quod conſenſum eſt, conſtare non poteſt, id tacite conventum, vel promiſſum intelligitur.* Ita omni contractui beneficio ineſt indemnitas ejus, qui alteri gratis quid

præ-

præstat, ut qui salva obligatione, qua nemo locupletior fieri potest cum damno alterius (§. 271.), constare nequit. Dicitur autem *Fides tacita*, quæ consensu tacito nititur: & quæ ideo *non minus sancta esse debet, quam expressa*, quæ nimirum expresso consensu nititur.

§. 1155.

Potestate minores cum jus omne a summa habeant (§. 1140.); *nomine summæ nil promittere possunt, nisi vel expresso mandato, vel intra fines præpositionis suæ*, nec aliter *eos, quibus præpositi sunt, vel etiam potestatem summam aliis obligare possunt.* *De jure potestatum minorum.*

§. 1156.

Sponsio est pactum de re publica sine mandato potestatis summæ, nec intra fines præpositionis factum. Facile autem intelligitur, *sponsorem promittere se effecturum, ut potestas summa id, quod promittitur, ratum habeat*, consequenter *ad hoc se obligare* (§. 380.). Quoniam nemo alterum tertio obligare potest absque voluntate sua (§. 385.); *sponsio summam potestatem non obligat, nisi eandem ratihabeat, vel expresse, vel tacite, faciendo nimirum, postquam ea ipsi* *De sponsionibus.*

innotuit, quod ad aliam causam probabiliter referri nequit; multo minus itaque, si dissensum suum expresse declarat. Quoniam vero sponsor factum proprium promittit, non tantum alienum; *ratihabitione non secuta, sponsor tenetur ei, cui spopondit, ad id, quod interest* (§. 415.), consequenter *pro eo ipsi obligata sunt omnia sponsoris bona* (§. 705.), *ipsa* etiam *libertas* (§. 950.), ut scilicet si ex bonis satisfieri non possit, ipse dedatur in servitutem. *Quodsi* vero *sponsor certi quid promiserit ei, cui spopondit, præstare, si potestas summa sponsionem ratihabere recusaverit, ultra id eidem non tenetur* (§. 317.).

CAPUT VI.

DE MODO COMPONENDI CONTROVERSIAS GENTIUM.

§. 1157.

De controversiis & gravaminibus gentium. *Controversiæ Gentium & Rectorum civitatis* sunt contentiones eorundem de juribus sibi competentibus, aut injuria facta. *Gravamina* vero sunt querelæ de jure manifesto, sibi ab altera gente, vel Rectore civitatis denegato, vel

vel de injuria quacunque sibi facta, aut facienda. Unde facile patet, quænam gravamina sint justa, quænam injusta. Patet etiam *gravamina tolli, si genti alteri jus suum tribuatur, de injuria facta satisfiat, a facienda desistatur, aut, quando fides suspecta est, sufficienter caveatur:* cumque unicuique jus suum sit tribuendum (§. 86.), nec gens ulla alteram lædere, seu injuriam facere (§. 88.) debeat (§. 1089.); *gravamina tollere gens quælibet obligatur, si qua adversus ipsam quædam alteri sint.* Quoniam tamen jus suum quilibet remittere potest (§. 342.); *Gens* quoque *si velit, gravamina sua remittere potest.* Et quia gentes inter se utuntur jure naturali (§. 1088.); *controversiæ gentium eodem modo componendæ, que lites privatorum in statu naturali finiuntur,* consequenter *vel amicabiliter, vel per transactionem, vel per mediationem, vel per arbitrium,* ac propterea *conventus celebrare & in colloquium venire tenentur, aut decisio sorti committenda* (§. 790.).

§. 1158.

De bello transactionis

Enimvero *si quis in nullum istorum modorum consentire velit, vel facile præ-*

 videa-

causa licito. *videatur, eo modo controversiam terminatum non iri; offerenti competit jus belli in acceptare nolentem, quo hic ad transactionem adigatur* (§. 790.).

§. 1159.

An controversiæ vi armorum decidi possint. *Bellum per se non esse modum aptum decidendi controversias*, eodem modo patet, quo idem de duello ostendimus (§. 789.). Oppido igitur falluntur, qui sibi persuadent, Regum seu gentium controversias vi armorum esse decidendas, & ultimam victoriam æquivalere sententiæ a judice latæ.

§. 1160.

De jure talionis & jure puniendi. Cum jus talionis naturale nullum sit (§. 156.), gentes autem inter se utantur jure naturali (§. 1088.); *talio* quoque *inter gentes illicita.* Enimvero cum gentibus competat jus puniendi adversus injuriam factam (§. 1089.); *si gens alteri a se læsæ de injuria irreparabili satis facere nolit, aut satisfactum iri spes nulla videatur, læsa jure puniendi uti potest, adimendo scilicet res vel corporales vel incorporales*, veluti jura ad certos actus in territorio læsæ (§. 1048.).

§. 1161.

§. 1161.

De retorsione juris.

Retorsio juris dicitur constitutio, qua in subditos alterius gentis decernitur jus, quo ipsa utitur in subditos nostros seu est usus juris in subditos alterius gentis, qua ipsa utitur in nostros. Cum unicuique genti liberum sit statuere, quantum juris alteri concedere velit in territorio suo, prouti e re civitatis esse videtur (§. 976. 978.); *cuilibet genti liberum est jus retorquere.*

§. 1162.

De bonis civium pro debito civitatis obligatis.

Quoniam gentes inter se spectantur tanquam personæ singulares (§. 977.); *bona omnia sigulorum simul sumta respectu gentium exterarum habenda pro bonis gentium*, ac propterea *obligata sunt promiscue pro debitis civitatis* (§. 705.), consequenter *etiam bona privata Regis* (§. 1012.).

§. 1163.

De jure repressaliarum.

Cum gentibus idem competat jus, quod singulis in statu naturali (§. 1088.), bona autem omnia singulorum simul sumta respectu gentium exterarum habenda pro bonis gentium (§. 1162.); *si qua gens rem suam, vel civium suorum*

ab alia gente, quæ eandem detinet, vel alio quocunque modo debet, consequi non potest, seu gens hæc illi, vel civibus illius jus reddere denegat, expletio juris inter gentes licita, & rem civium quorumcunque eo fine capere licet (§. 793.). Hæc ablatio bonorum civium alterius gentis, vel Rectoris civitatis expletionis juris causa dicuntur *Repressaliæ*. Quamobrem patet, *repressalias inter gentes esse licitas, & jus repressaliarum non competere nisi gentibus, aut iis, qui jus gentis habent, Rectoribus scilicet civitatis*, consequenter *privatum jure repressaliarum uti non posse, nisi permissu Rectoris civitatis*.

§. 1164.

De androlepsia.

Cum in bonis civium contenta sit etiam eorum libertas naturalis (§. 207.); *libertas* quoque *civium singulorum, seu personæ ipsorum*, quibus hoc jus inhæret, *obligatæ sunt pro debitis civitatis* (§. 1163.), consequenter *si gens alteri, vel subditis ejus jus denegat, pignorationis causa etiam subditi alterius capi possunt*: cumque capiantur eo fine, ut gens ista permoveatur ad jus reddendum; *capi possunt personæ meritis, vel dignitate* *in*

in civitate eminentes, sexus cujuscunque, earumque liberi. Hæc civium captura pignorationis loco facta cum *Androlepsia*, seu *Viricapio* dicatur *androlepsia inter gentes licita.* Quoniam vero nonnisi civium libertas oppignoratur pro debitis civitatis; *si gens permoveri nequit ad jus reddendum*, eodem modo, quo de obsidibus (§. 1151.), patet, *captos aut servos fieri, aut tanquam captivos in carcere detineri posse, non autem interfici, aut pœna corporis afflictiva affici.*

§. 1165.

Quoniam repressaliæ (§. 1163.) & androlepsia licitæ sunt (§. 1164.); *si quis executioni repressaliarum & androlepsiæ resistit, in eum eadem licent, quæ defensori licita sunt* (§. 90.). *Vis* igitur in eo casu *æstimanda non ex eo, quod debetur, sed quod ad vim injustam; qua resistitur, depellendum sufficit.* *De eo, quod licet in resistentem repressaliis & androlepsiæ.*

§. 1166.

Cum naturaliter quilibet damnum datum resarcire teneatur (§. 270.); *qui causam dedit repressaliis, damna iis resarcire debet, quibus eam ob causam aliquid decedit*, atque *ut damnum datum resar-* *De damno per repressalias dato concivibus resarciendo.*

resarciatur, *superior curare debet.* Nemo scilicet civium pro altero solvere tenetur.

§. 1167.

Quando id de publico fieri debeat.

Cum Rector civitatis jure populi agat (§. 982.), consequenter populus per eum facere intelligatur, quicquid qua talis facit; *populus factum Rectoris civitatis qua talis pro suo agnoscere tenetur*, adeoque *etiam id*, *quo injuria infertur exteris*. Eadem nimirum ratio est obligationis, quæ ex maleficio, quam quæ ex fœderibus nascitur. Quamobrem *si facto suo, sive privatus jussu ipsius repressaliis causam dedit*, *damnum iis*, *quibus eam ob causam aliquid decedit*, *resarciendum est de publico* (§. 1166.).

§. 1168.

De repressaliarum & androlepsiæ effectu.

Quoniam repressaliæ in expletione juris consistunt (§. 1163); *per repressalias dominium rerum captarum acquiritur iis*, *quorum causa factæ*, *nisi quod restituendum*, *quod abundat* (§. 793.). Et cum *repressaliæ* (§. 1163.) & *androlepsia* licitæ sint (§. 1164.); *parti adversæ justam belli causam non dant* (§. 98.). Ex adverso autem cum per ista media jus tuum consequi debeas, quod a parte

ad-

adversa tibi denegatur (§. 1163. 1164.); *si per repressalias & androlepsiam jus tuum consequi non potes*, scilicet ut injuria facta reparetur, aut ob irreparabilem tibi satisfiat, *quæ illas licitas faciunt, justa belli causa sunt* (§. 98.).

CAPUT VII.

DE JURE BELLI GENTIUM.

§. 1169.

De belli divisione.

B*ellum publicum* dicitur, quod geritur inter gentes, seu auctoribus iis, qui summum imperium habent: *privatum* vero, quod geritur inter privatos propria auctoritate. *Mixtum* denique est, quod una ex parte est publicum, ex altera privatum, veluti si Rector civitatis bellum gerit cum subditis rebellibus. Vocatur autem *Bellum offensivum*, quod infertur ei, qui de bello inferendo non cogitabat: *defensivum* vero, quo quis se defendit adversus eum, qui ipsi bellum infert. Offensivi quædam species est *punitivum*, quo pœna sumitur ab altero; & *vindicativum*, quo jus nostrum & id, quod nobis debetur, consequi studemus.

§. 1170.

Quando bellum offensivum, punitivum & defensivum licitum.

Cum justa belli causa non sit nisi injuria facta, vel facienda (§. 98.); *bellum offensivum tum punitivum, quam vindicativum licitum est, si jus tuum fuerit certum, at de injuria irreparabili manifesta alter satisfacere nolit, nec id aliter consequi possis, & si id infertur alterum ad transactionem compellendi gratia in causa dubia* (§. 1158.), *bellum* vero *defensivum licitum est, quo adversus eum, qui bellum injustum infert, te defendis* (§. 1989.).

§. 1171.

De bellis utilitatis solius causa gestis.

Sola igitur *utilitas justa causa belli non est* (§. 1170.). Quamobrem cum *rationes suasoriæ* dicantur, quæ desumuntur ab utilitate, seu quibus evincitur e re nostra esse, ut bellum suscipiatur: in oppositione ad *justificas*, quæ desumuntur a jure ad bellum in casu dato nobis competente; & inter eas mediæ sint *quasi justificæ*, quæ, si rite expendantur, justificæ non sunt, sed saltem videntur; *injustum est bellum, quod ob rationes suasorias solas & quasi justificas suscipitur*. Quia naturæ humanæ repugnat nocere alteri commodi sui causa (§. 44.),

(§. 44.), consequenter ea immanitas, qua bellum per se delectat, cum tot hominum innocentium cædibus & laniationibus rerumque vastationibus conjunctum, humanam naturam repellit; *bellum humanum modum excedit, si quis nec rationibus justificis, nec suasoriis motus in bella fertur*, atque ideo *ferinum* dicitur. *Sunt* autem *rationes suasoriæ æquæ, quæ a fine civitatis desumuntur* (§. 976.).

§. 1172.

Quoniam genti cuilibet jus est augendi potentiam suam (§. 1102.), nec qui damnum dare potest, ideo dare vult; *potentia crescens vicinæ gentis & metus ex vicina potentia justa belli causa non est* (§. 1170. 1171). Quamobrem cum *Æquilibrium inter gentes* dicatur gentium plurium secundum potentiam ad se invicem relatarum status, quo potentiæ unius præpotentis, vel quarundam conjunctæ potentia conjuncta aliarum æqualis est; *sola conservatio æquilibrii inter gentes justa belli causa non est, ea tamen rationibus suasoriis accensenda, si de bello justo suscipiendo consultatur* (§. 1171.). *Quodsi* ergo *gens potentia* *De metu ex vicina potentia & conservatione æquilibrii.*

tia confisa manifesta consilia agitet de gentibus sibi subjiciendis, aut injustis armis securitatem publicam gentium turbare non veretur, cum quælibet gens se conservare debeat (§. 1093.), & gentibus universis competat jus cogendi turbatorem quietis publicæ, ne turbet (§. 1090.); *communi securitati consulere potentiamque crescentem labefactare licet.* Tum nimirum bellum hoc respectu defensivum justum est (§. 1169.).

§. 1173.

De sceleribus, atheismo & idololatria gentis.

Quoniam malum in se tale non est, ut puniri debeat (§. 1049.), nec ob errorem quis puniri possit (§. 1050.); *bellum punitivum in gentem licitum non est, quod jus naturæ immaniter violet, aut in Deum delinquit, vel quia atheismum, aut Deismum profitetur, vel idololatrica est.*

§. 1174.

De milite & jure conscribendi militem.

Milites dicuntur personæ, per quas autor belli vim infert parti alteri, cum qua bellum gerit: *Arma* vero res omnes, quibus ad vim alteri inferendam, aut eam a se avertendam utimur. Cum *potestatibus summis* competat jus belli (§. 1066.); iisdem quoque *competit*

petit

petit jus militem conſcribendi, atque hoc jus ad jura maieſtatica pertinet (§. *cit.*), *exercendum, prouti viſum fuerit ſuperiori, ſi nulla extet lex fundamentalis* (§. 984.), *ita tamen, ne bonum publicum aliquid inde capiat detrimenti* (§. 976.). Quoniam ſinguli obligantur ad defenſionem civitatis conferre, quod poſſunt (§. 972. 975.); *in caſu extremæ neceſſitatis operas militares præſtare tenentur ſubditi omnes, ad miniſterium bellorum apti* (§. 60.), *&*, vi poteſtatis eminentis, *ad id, compelli poſſunt inviti* (§. 1065.): aſt quia præter operas militares ad commune bonum promovendum aliæ adhuc præſtandæ ſunt (§. 972.), & ſumtus bellicos ſubminiſtrare tenentur ſubditi (§. 1037.); *extra caſum neceſſitatis milites conſcribendi inviti non ſunt, qui alias Reip. utiles ac neceſſarias operas præſtare & ad ſumtus bellicos contribuere poſſunt.* Peregrini, qui ſponte ſua nomen militiæ dant, dicuntur *Milites conductitii*; atque horum *obligatio ex pacto venit* (§. 438.), quod *Capitulatio* dicitur; & *in iis conventa ſunt ſervanda* (§. *cit.*). Cum vero jus conſcribendi militem ſit jus majeſtaticum, quod ab externa gente

violari

violari nequit (§. 1136.); *in territorio alieno sine consensu domini territorii militem conscribere non licet*: cumque hic non locum habeat potestas eminens (§. 1065.); *nec concessa libertate conducendi militem invitos conscribere licet.*

§. 1175.

De plagio. *Plagium* dicitur surreptio hominis, qui alterius cujusdam potestati subjectus est. Quoniam hominem potestati ejus, cui subjectus est, subducit & sibi jus quoddam in eum asserit plagiarius; *plagium cum furto convenit* (§. 263.), atque ideo *furtum hominum recte habetur.* Quamobrem patet, *qui subditos alienos dolose surreptos ad ministerium bellorum cogunt, plagium committere, & potestatem eminentem ejus, cujus sunt, subditi, violare*, consequenter *huic injuriam facere* (§. 87.), ideoque *justam bello causam dare, nisi de injuria facta satisfiat* (§. 1170.).

§. 1176.

De stipendiis militum & hospitiis militaribus. *Stipendium* dicitur æs, quod pro ministerio bellorum solvitur. Cum qui militiæ operam dant, alio modo nil acquirere possint; *stipendi militibus præcise solvenda.* Ob eandem rationem *ipsis non*

non modo debentur vestimenta, verum etiam cum habitatione indigeant, si belli causa in campis non commorantur, *hospitia personalia.* Cum hospitia ista pertineant ad munera publica (§. 1057), consequenter ad onera Reip. (§ 1037.); *singuli ædium possessores personali hospitio milites excipere obligantur pro modo facultatum* (§. *cit.*): ne tamen subditi nimium onerentur; *superior curæ habere debet, ne hospitia ista evadant nimis molesta, nec sint præter necessitatem sumtuosa, nec immunitas ab iisdem concedenda nisi personis, quibus ea in partem salarii, vel in præmium meritorum in Remp. imputari potest*; utpote privilegium nonnisi boni publici causa concedendum (§. 1047.).

§. 1177.

Cum obligationem naturalem, qua tam *Milites* cives, quam peregrini tenentur (§. 1174.), parum capiant milites homines plebeji, vel illiterati; *jurato promittere tenentur, quod ministerium bellorum a se susceptum deserere nolint* (§. 380. 446.), *& tanquam perjuri & perfidi gravius puniri possunt.* Patet autem, *qui desertores clam abducit, aut celat,* *De desertione militum.*

lat, plagium committere (§. 1175.), consequenter *qui quomodocunque ad desertionem concurrit, plagii participem fieri* (§. 26.).

§. 1178.

De præfectis militum. *Præfecti militum* dicuntur, quibus a potestate summa certum imperium in milites tributum & certæ functiones bellicæ demandatæ sunt. *Duces* autem excellenter dicuntur illi, quibus imperium in integrum exercitum tributum, seu summa belli commissa est. *Sunt* igitur *præfecti militum potestates minores, quorum alii aliis subjecti & a potestate summa longius remoti, alii vero eidem propiores pro diversitate juris, quo pollent: duces autem excellenter dicti summis potestatibus proximi.* Cum *Jus militare* dicantur leges, in quibus disponitur de iis, quæ a militibus eorumque præfectis fieri, aut non fieri debent, aut quæ iisdem permittuntur; *in eo* quoque agitur *de jure præfectorum militum, summorum etiam ducum eorumque officiis.*

§. 1179.

De auxiliis & subsidiis. *Auxilia*, vel etiam *copiæ auxiliares*, immo absolute *Auxiliares* dicuntur copiæ tam pedestres, quam equestres, quas genti

genti bellum gerenti mittit gens alia, cujus bellum non eſt. *Pecuniæ ſubſidiariæ* dicuntur, quæ genti bellum gerenti ſolvuntur a gente alia, cujus bellum non eſt, ut illa ſumtum in rem militarem facere poſſit. Dicuntur etiam hodie ſimpliciter *ſubſidia*. Naturaliter *gentes obligantur auxilia & ſubſidia mittere genti bellum juſtum gerenti & quocunque modo juvare eam in bello, quantum datur* (§. 1108.), *ut vero jus perfectum ad ea acquiratur* (§. 1089.), *fœdera pangenda ſunt* (§. 1141.), *utpote ſancta inter gentes habenda* (§. 1153.). Patet vero, *tum jus partis unius & obligationem alterius æſtimari debere ex iis, quæ in fœdere conventa fuerunt* (§. 317.).

§. 1180.

De ſpeciebus fœderum belli & caſu fœderis.

Fœdera belli offenſiva dicuntur, ſi auxilia & ſubſidia ſaltem promittuntur in bello offenſivo; *defenſiva*, ſi ſaltem in defenſivo; *offenſiva & defenſiva* ſimul ſi in utroque. *Caſus* autem *fœderis* vocatur concurſus circumſtantiarum, ſub quibus fœdus initum, ſive expreſſe fuerint dictæ, ſive tacite ſuppoſitæ. *His* igitur *ſimul exiſtentibus, caſus fœderis exiſtit*, & facile patet, *nonniſi eo exiſtente*

præstanda esse, quæ in fœdere promissa sunt (§. 318.). Quamobrem *si bellum geratur manifesto injustum, vel si conventa præstare debet, ipse iisdem indiget, casus fœderis non existit*; cum uterque in omni fœdere tacite exceptus intelligatur.

§. 1181.

De iis, qui in bello medii sunt. *In bello medii* dicuntur, qui neutri belligerantium parti adhærent; consequenter bello sese non immiscent. Dicuntur etiam vulgo *neutrales*; & ipsorum terræ vocantur *Terræ neutræ*. Quamvis vero vi libertatis naturalis (§. 1089.), *genti unicuique permittendum, ut sit in bello media* (§. 78.); ut tamen jus perfectum acquiratur ad neutralitatem, *fœdera cum belligerantium vel uno, vel utroque*, prout casus tulerit, *pangenda* (§. 1141. 1153.), quæ *Fœdera neutralitatis* appellantur, & præter id, sine quo fœdus istud concipi nequit, scilicet *ut in eo promittatur, quod, qui medius in bello esse vult, nolit partem adversam in bello juvare, ipsius autem, cum quo fœdus pangitur, nullo modo impetire motus, in iis* etiam *conveniri potest de aliis, quæ pars utraque e re sua esse judicaverit*. Quoniam vero fœdus neutralitatis non exten-

tendendum ultra limites suos & ea, de quibus specialiter conventum; *qui neutrarum partium sunt, utrique belligerantium parti debent, quæ jure gentium debentur extra bellum,* veluti *utriusque partis belligerantium militibus & subditis aditum in territorium suum & transitum per terras suas tutum concedendo, & ut justi negotii causa in eo commorentur & res, quibus indigent, æquo pretio sibi comparent permittendo* (§. 1131.), nisi expresse aliter conventum, scilicet ut utrique belligerantium parti non sit concedendum, quod alias erat permissum (§. 667.).

§. 1182.

Quoniam transitus ob justas causas per terras alterius est jus ex communione primæva residuum (§. 312.); *gens una copiis militaribus gentis alterius transitum sibi innoxium & transeuntibus tutum permittere debet.* Cum tamen judicium de eo, an sit innoxius, sit permittentis (§. 1089. 78.); *transitus petendus*, & quia innoxius non est, *si metuendum, ne is concedenti bellum inferat, vel sedem belli in terra pacata figat, aut alio modo noceat, contra quem conceditur,* **De transitu cum copiis militaribus.**

tur, denegari potest. Et eadem de caussa, *pro iis, quibus transiturus indiget*, cum per se pateat, quod ea transeunti denegari non possint, *justum is pretium solvere tenetur, quamvis transitus ipse, utpote naturaliter debitus, gratis sit concedendus.* Cum vero damna data sint resarcienda (§. 270.); *si transeuntes incolis damna dederint, is, cui transitus concessus, ea resarcire tenetur, & Rector civitatis curare debet, ut resarciantur iis, quibus data.* Ac ideo *transitum concedens, si metuit, eum non fore innoxium, aut præstationem æstimationis damni, si quod detur, ægre obtentum iri, eum concedere non tenetur nisi sufficienter a transeunte caveatur.*

§. 1183.

De belli denunciatione. *Denunciatio belli* est actus, quo parti adversæ significatur ab altera, quod jus suum vi armorum persequi velit. Dicitur etiam a nonnullis *Clarigatio*, quamvis ea apud Romanos ab illa erat distincta, ita ut parte adversa satisfactionem negante demum sequeretur denunciatio, quæ ideo clarigationi saltem eventualiter inerat. Est autem *denunciatio* vel *conditionata*, qua declaratur,

tur, bellum illatum iri, nisi res reddatur, aut de injuria facta satisfiat; vel *pura*, qua absque conditione significatur, bellum illatum iri. Naturaliter *opus non est, ut conditionatam sequatur pura*; cum per se pateat, altero jus denegante nobis aliud medium id consequendi non superesse, quam bellum. Satis etiam liquet, *in bello offensivo opus esse denunciatione, non vero in defensivo* (§. 1169.). Enimvero *si is, cui bellum denunciandum, nec legatos admittit, nec sit occasio mittendi epistolam, in bello* quoque *offensivo denunciatio omittenda* (§. 60.). Ast *talio*, utpote in se illicita (§. 156.), *non est justa causa omittendæ denunciationis*. Denique quia bellum denuncians parti adversæ non indulgere tenetur moram sibi damnosam (§. 269.); *nisi bello denunciato statim offerantur æquæ pacis conditiones, operationes bellicas sine mora inchoare licet.*

§. 1184.

Cum bellum publicum geratur inter gentes (§. 1169.); *si Rector civitatis unius bellum indicit Rectori civitatis alterius, publicum bellum indictum intelligitur toti genti a tota gente.* Quamobrem *De hostibus & rebus hostilibus.*

cum *Hostes* dicantur illi, quibus inter se bellum est, & eorum *Res hostiles*; *partis utriusque belligerantium subditi*, consequenter etiam *fœminæ*, *pueri*, *infantes*, *sunt numero hostium*, *eorumque res hostiles*, *quocunque in loco fuerint*. Cum tamen hostes non sint peregrini in territorio hostili commorantes, utpote non subditi hostis (§. 1137.); *res peregrinorum in territorio hostili deprehensæ hostiles non sunt*, sed cum probandum sit, eas esse peregrinorum, *hostiles præsumuntur*, *donec contrarium fuerit probatum*. Et quia res etiam incorporales hostium hostiles sunt, consequenter etiam jus ad ea; *quæ hosti debentur ab eo*, *qui hostis non est*, *eadem in numero rerum hostilium sunt*.

§. 1185.

De iis, qui hosti se associant.

Qui hosti meo se associat, *veluti auxilia aut subsidia mittendo*, *aut eum quocunque modo in bello adjuvando*, cum ad bellum ipsius concurrat, & ideo ejus particeps fiat (§. 26); *hostis meus est & res ejus hostiles sunt*, consequenter *quando bellum denunciatur*, *idem simul denunciatum intelligitur omnibus iis*, *qui hosti meo se associaturi sunt*. Quamobrem *si eidem* bel-

bellum inferre velis, denunciatione opus non est.

§. 1186.

Publicatio belli est significatio ejus ab eo facta, qui bellum suscepit, potestatibus summis aliis atque subditis suis; consequenter *publicatione opus est tam in bello defensivo, quam offensivo.* Cum publicatio non uno modo fieri possit, a voluntate publicantis unice dependet, quemnam eligere velit. *Publicari potest aliarum gentium Rectoribus vel per ministros*, quos publicans habet in aulis exteris, *vel per litteras ad eos missas, subditis autem vel per præcones, vel per rescripta, immo utriusque per scripturam typis expressam.* *De publicatione belli.*

§. 1187.

Scriptura typis expressa, qua bellum offensivum publicatur, dicitur *Manifestum*; qua bellum defensivum *Antimanifestum.* Quamobrem cum nemo videri nolit sine justa causa bellum gerere; *in manifesto exponendæ sunt rationes justificæ, in antimanifesto eædem refutandæ* (§. 1171.). Et quoniam superior subditis imperare potest, *quæ durante bello ab ipsis fieri, aut non fieri debeant* (§. 1043.); *De manifesto & antimanifesto.*

ea tam manifesto, quam antimanifesto simul inserenda. Quia expositio rationum justificarum saltem requirit recensionem factorum, et juris naturæ atque gentium applicationem, refutatio earundem demonstrationem falsitatis factorum, aut minus recte factæ juris applicationis; *a verbis & dictionibus, quæ odium & vindictæ cupidinem spirant, abstinendum.*

§. 1188.

De amore hostium. Cum gens gentem etiam inimicam amare ac diligere debeat tanquam seipsam (§. 1109.), & ab hac obligatione liberari non possit (§. 42.); *hostis* quoque *hostem amare ac diligere debet tanquam se ipsum.* Differt nimirum inimicus ab hoste (§. 137. 1184.).

CAPUT VIII.

DE JURE GENTIUM IN BELLO.

§. 1189.

De absentia juris in bello injusto. Qui *bellum injustum gerit*, ei nulla justa belli causa est (§. 1170.). *Quicquid* igitur *in bello facit, id illicitum*, consequenter *si hostes occidit, latroni; si res hostiles eripit, invasori & prædoni æquipara-*

paratur. Et quoniam *qui bellum injuſtum gerenti ſe aſſociat*, nullum jus in bello habere poteſt, utpote agens nomine ejus, cui ſe aſſociat; *quicquid agit, pariter ad rapinas, invaſiones & latrocinia referendum, aut ad actus, quibus ea promoventur.*

§. 1190.

Bellum juſtum geritur juris ſui conſequendi cauſa (§. 1170.). Quamobrem *qui bellum juſtum gerit, illi in bello licitum eſt, ſine quo jus ſuum conſequi nequit. Quod* vero *ad hunc finem conſequendum non facit, illicitum eſt.* Vi autem libertatis naturalis *judicium de eo, quod ad hunc finem conſequendum neceſſarium, belligeranti relinquendum* (§. 1089. 78.). Quoniam impenſas belli, quas maximas eſſe conſtat, pars adverſa vi injuſta cauſa (§. 1189.), conſequenter damna dat reſarcienda (§. 269. 270.); *bellum juſtum gerenti debentur impenſæ in bellum factæ.* Cumque vi injuſta continuo dentur damna & injuriæ novæ committantur (§. 269. 87.); *ob damna belligerator injuſtus tenetur juſto ad reſtitutionem rerum ablatarum, ſi adſunt, aut ad præſtandam æſtima-* *De jure in bello juſto.*

tionem earum, quæ non extant, & ob injurias in poenam (§. 1189.). Denique cum bellum, utpote post se trahens magnum malorum cumulum gentibus sit valde funestum, geratur propter pacem, & qui bellum justum gerit non aliud intendat, quam ut partem adversam adigat ad offerendas æquas pacis conditiones, prouti ex hactenus dictis haud obscure colligitur; *qui bellum justum gerit, ei etiam jus est ad ea, quæ hostem ad finiendum bellum permovere possunt.*

§. 1191.

De actibus & operationibus bellicis & hostilitatibus.

Quicquid hostis quomodocunque belli causa agit, *Actus bellicus* est: ast *Operatio bellica* vocatur actus bellicus, quo hosti vel rebus ejus vis actu infertur, vel ad vim inferendam, aut arcendam via sternitur. Operationes autem bellicæ, quibus hosti vel rebus ejus vis actu infertur, *Hostilitates* appellantur.

§. 1192.

De jure in personas.

Cum qui bellum injustum gerit injuriam intentet ei, cujus justum est bellum (§. 1189.), consequenter huic competat jus se defendendi (§. 1089.);

jus

jus in personas in bello justo nascitur ex defensione sui & rerum suarum, consequenter *æstimandum ex eo, quod necessarium est ad vim hostis depellendam* (§. 90.). Quamobrem *subditos eius, qui bellum iniustum gerit, quamdiu ab omni vi abstinent, nec animum vim inferendi produnt, interficere, aut alio modo in corpus eorum sævire non licet, neque in bello captos, vel sine conditione deditos licet interficere, nisi singulare præcesserit delictum, quo ad pœnam capitalem tenentur*: *multo minus* itaque *interficere licet vitam salvam paciscentes sive in prælio, sive in obsidione, nec repudianda hæc conditio. Idem tenendum de iis, qui in prælio arma deponunt*. Et quia interfectio medium licitum non est, si ea facere videatur ad reparationem juris nostri, prouti ex dictis apparet; *captivos, deditos, aut dedere se cupiëntes occidere, aut eorum corpora male tractare non licet, si terrore opus sit*. Immo ex modo, quo ius in personam hostium nascitur, etiam patet, *hostes interfici non posse, quod fortiter restitum sit, multo minus* autem *ea de causa interficere licet eos, qui ipsi non restiterunt*. Quodsi pertinaci resisten-

sisten-

ſiſtentia damna fuerint data & injuria facta irreparabilis; *jus eſt ad alia, quibus nobis ſatisfiat*, veluti *in* ~~*obligatione*~~ obsidione, *ut vel ſine conditione, vel durioribus conditionibus ſe dedere cogantur, ut certam pecuniæ ſummam ſolvant, ut urbes atque domus diripiendæ relinquantur.*

§. 1193.

De diminuendis viribus bellum injuſtum gerentis.

Cum in bello id agatur, ut pars adverſa ab eodem deſiſtere cogatur (§. 1190.); *quicquid facit ad imminuendas vires bellum injuſtum gerentis, id ei, qui juſtam bellandi cauſam habet, licitum*, conſequenter *hoſtes quoſcunque capere licet, tum quatenus quocunque modo reparationi juris ſui reſiſtunt, aut finem belli impediunt, tum per modum androlepſiæ* (§, 1164.), *ac* propterea *capere licet non modo milites eorumque præfectos, verum etiam fœminas illuſtres atque virgines, viros dignitate conſpicuos & adminiſtrationi Reip. vacantes & perſonas quaſcunque alias* (§. *cit.*).

§. 1194.

An captivi fiant ſervi.

Cum hoſtes capiantur, tum ne reparationi juris noſtri reſiſtant, tum ut pars adverſa permoveatur ad bellum finiendum & jus nobis reddendum (§. 1192.

1192. 1193.), ad hoc vero sufficit, ut detineantur, donec a suis liberentur; *captivi naturaliter non fiunt servi* (§. 947.): *intra pœnæ tamen meritum ob delictum in servitutem redigi possunt*, ademta scilicet libertate (§. 1048.). *Quodsi inter gentes belligerantes pactiones fuerint factæ de captivis redimentis*, cum standum sit conventis (§. 438.), *soluto pretio reddendi.*

§. 1195.

Vastatio rerum hostilium dicitur actus, quo eas perdendo hosti damnum datur, nullum vero inde nobis obvenit lucrum. Ea igitur *licita non est, nisi quatenus sine ea jus nostrum consequi non possumus, vel vires hostis inde diminuantur, nostræ augeantur, aut si fiat in justam pœnam* (§. 1170. 1193.). Hinc *agros hostiles corrumpere, fruges ac segetes in iisdem conculcare, ædificia diruere, hortos & vineas extirpare licet, si castrorum metatio, obsidio urbium ac prædia id exigunt: urbes* autem, *oppida, pagos excidere, aut vastare, postquam in potestatem nostram venerunt, non licet, nisi ob delictum, quod talem pœnam meretur.* Eodem modo intelligitur, *demolitio-*

De vastatione rerum.

litionem inunimentorum licitam esse, postquam expugnata fuerunt, ubi ea derelinquere visum fuerit, ast sepulchrorum & monumentorum sepulchralium, rerumque sacrarum vastationem illicitam esse. Cum nobis nullum competat jus in gentem alteram propter religionis diversitatem, si vel maxime sit idololatrica (§. 1173.); *nec res sacras vastare licet, quod superstitioni, aut idololatriæ inservire putantur.*

§. 1196.

De non permissis in territorio pacato. Quoniam in territorio alieno nemo sibi jus quoddam arrogare potest (§. 1121.); *in territorio pacato hostes & res hostiles capere non licet, nec per istud captivos & res captas ducere.* Pugnat idem cum fœdere neutralitatis, si quod initum (§. 1181.).

§. 1197.

De iis, qui ante bellum in territorium hostile venerunt. Quia peregrinis in territorio nostro commorantibus permissus est aditus tutus, & ideo abitus quoque tutus concedendus (§. 1131.); *quando bellum denunciatum, in publicatione peregrini, qui sunt cives hostium, intra tempus definitum discedere jubendi sunt, quo elapso pro hostibus habendi*, consequenter tan-

quam captivi detineri poſſunt (§. 1192.), ſed quia nemo obligari poteſt ultra id, quod in poteſtate eſt (§. 60.); *ſi quis vi majore impeditus*, veluti morbo, quo decumbit, *intra præſcriptum tempus diſcedere non poſſit, mora ipſi indulgenda.*

§. 1198.

De rebus mobilibus in territorio hoſtili.

Res hoſtiles mobiles in territorio ſuo cum capere liceat *intra debiti ac pœnæ modum* (§. 1190.); *confiſcare licet, ac prohibere debitoribus hoſtium, civibus ſuis, ne creditoribus durante bello debitum ſolvant, immo imperare, ut die ſolutionis veniente ſibi ſolvant.*

§. 1199.

De immobilibus.

Cum peregrinus, qui bona immobilia poſſidet in territorio alieno, qua poſſeſſor eorundem ſit ſubditus domini territorii (§, 1125.); *bona immobilia a peregrino in territorio hoſtili poſſeſſa reſpectu domini territorii res hoſtiles non ſunt, ſed reſpectu ejus, cujus eſt civis*, ſeu in cujus territorio *domicilium ſuum habet.*

§. 1200.

De contributionibus militaribus.

Quoniam bellum juſtum gerenti expenſæ etiam debentur (§. 1190.), collatio autem pecuniarum aliarum-

que

que rerum fungibilium ad sustentandum exercitum a subditis hostilibus facta *contributiones militares* dicuntur; *bellum justum gerenti competit jus contributiones militares imperandi & exigendi, pro modo tamen facultatum eorum, qui eas præstare tenentur* (§. 60.).

§. 1201.

De direptionibus. *Direptiones* sunt ablationes violentæ rerum mobilium ex hostilibus ædibus vel locis aliis, in quibus asservantur, vel absconduntur, a militibus factæ. *Direptionis* igitur, *si contributiones justa non præstentur*, cum fiant expletionis juris causa (§. 793.), *licitæ sunt, itemque si fiant intra pœnæ meritum* (§. 1190.). Attamen *in direptionibus urbium & domuum res, quæ direptionibus patent, vastandæ non sunt, nisi in justam pœnam* (§. 1195.).

§. 1202.

De præda. *Præda* dicuntur res mobiles hostiles in bello captæ a militibus; consequenter *deprædationes hostium in bello justo, quacunque occasione oblata, licitæ sunt* (§. 1200.), *& quæ in direptionibus auferuntur, in præda sunt* (§. 1201.). Quoniam vero in bello omnia fiunt jure *summæ potestatis* (§.

(§. 1169.); ejus quoque *præda est*, *nec militibus*, *qui res hostiles manu capiunt*, *neque* etiam *eorum præfectis*, immo *nec copiis auxiliaribus jus ullum ad prædam competit.* Quia tamen summa potestas de suo pro lubitu disponere potest (§. 195.); *quidnam juris militibus*, *aut eorum præfectis in prædam concedere velit*, *in ejus arbitrio positum est*, *& de præda cum mittente auxilia convenire potest.*

§. 1203.

An dolus in bello licitus & de stratagematis.

Cum simulatio, falsiloquium & dissimulatio communi nomine *Dolus* dicantur; *si dolo idem consequi datur*, *quod vi aperta licebat*, *quin is in bello licitus sit*, utpote minus nocumentum afferens vi aperta, *dubitandum non est*, *sed* quia promissa sunt servanda (§. 388.), & contra promittentem pro vero habendum, quod promittit (§. 318.), *nonnisi extra sermonem promittentem.* Quia *Stratagemata* sunt actus bellici improvisi, tam in vi, quam in dolo consistentes; eadem quoque *licita sunt.*

§ 1204.

De occupatione bellica.

Occupatio bellica est actus, quo vi armorum res hostiles, inprimis immobiles, veluti urbes ac terræ, rediguntur

in ſuam poteſtatem. Cum in bello juſto res omnes hoſti eripere liceat ob cauſas juſtas (§. 1190. 1193.); *occupatione bellica acquiritur dominium rerum hoſti ereptarum*: *res* autem *mobiles non ante occupatæ intelliguntur*, *quam de iisdem pro lubitu diſponi poſſit* (§. 200.), & quoniam imperium civile terris quaſi inhæret (§. 1125.), & tanquam res incorporalis dominio quoque ſubjici poteſt (§. 206.); *urbibus ac terris occupatis imperium* quoque *occupatum eſt*, conſequenter *qui in iisdem habitant fiunt ſubditi occupantis* (§. 996.), *hoſtes eſſe deſinunt* (§. 1184.), atque ideo *nihil eorum licet in eos, quæ licita erant in hoſtem, ſed ea ſaltem licita ſunt, quæ jure imperii in ſubditos*. Ceterum cum imperium contineat dominium gentis (§. 1130.), & dominium eminens atque poteſtatem eminentem (§. 1065.); *occupatis urbibus ac terris acquiritur dominium gentis, ſeu quicquid in dominio gentis in iſtis eſt, una cum dominio eminente & poteſtate eminente.*

§. 1205.

Quale imperium in vi- Cum imperium originarie ſit res populi propria (§. 979.), in ſeſpectatum

tum tale eſt, quale eſt in populo. Quamobrem *ſi occupatione bellica imperium acquiritur, tale in victos acquiritur, quale eſt in populo, niſi pactione aliter fuerit conventum, qua ſtandum* (§. 438.). Æquivalet nimirum legi fundamentali qua imperium in Rectorem civitatis transfertur (§. 989.). Quamobrem *ſi ſine pactione imperium acquirit victor, formam Reip. pro lubitu mutare poteſt & de modo habendi imperium itidem pro lubitu diſponere.* Quoniam vero in regno herili ſubditi omnes ſubeunt ſervitutem perſonalem (§. 997.); *imperio herili non ſubjiciuntur ſubditi niſi intra pœnæ juſtæ modum* (§. 1194.). *ctos acquiratur.*

§. 1206.

Qui vi hoſtis ſe non opponit, cum adverſus eum nulla defenſione opus ſit (§. 90.), *in eum* quoque *vis nulla hoſti competit* (§. 1192.). Quamobrem *ſtupra violenta militibus non permittenda*, præſertim cum & in ſe illicita ſint (§. 862.), *nec fontes veneno inficere licet*, ex quibus etiam aquas haurire contingit eos, qui vi hoſtium ſe non opponunt. *Quando hoſti non competat vis in perſonam.*

§. 1207.

De hoste veneno interficiendo. Cum vero in *hostem* quamdiu reparationi juris nostri resistit, tantundem liceat, quantum ad vim injustam depellendam sufficit (§. 90. 1192.); eum *veneno interimere licet*, consequenter *etiam in bello uti globis vel sagittis venenatis, immo aquas ita corrumpere sine veneno, ut bibi nequeant* (§. 1193.); cogere nimirum licet hostem, ut a vi injusta abstineat.

§. 1208.

De exploratoribus. *Exploratores* dicuntur, qui clam veniunt ad hostem, ut inquirant, quonam in statu sint res hostis & quidnam in nos moliatur: quod cum intersit nosse ad actus bellicos determinandos ad persequendum jus nostrum facientes; *exploratores mittere licet.* Ast cum noceant ei, ad quem mittuntur; *is cujus arma justa sunt, habet jus eosdem puniendi.*

§. 1209.

De percussoribus. *Percussor* vocatur, qui mercede conductus ex insidiis & dolo hostem interficit. Quamobrem cum dolus in bello licitus sit (§. 1203.); *immisso percussore interficere hostem, naturaliter non illicitum* (§. 1192.). *Deprehensos* autem *in*

pœnam

pœnam interficere potest belligerator justus (§. 1189. 1048.).

§. 1210.

Cum jus belli sit summæ potestatis (§. 1066. 1169.); *subditis belligerantis hostilitates sine mandato, aut concessione summæ potestatis, saltem tacita*, ut ratihabitio recte præsumatur, qui quod fit in bello magnum momentum habet, *permissæ non sunt*, immo *nec militibus sine jussu aut concessione præfectorum, qua intra limites functionis suæ imperare possunt.* *De hostilitatibus a privato susceptis.*

§. 1211.

Induciæ dicuntur suspensio actuum bellicorum ab utraque belligerantium parte intra tempus conventum. *Fiunt* itaque *pactione* (§. 438.), consequenter *quæ de iis conventa, iis standum* (§. *cit.*). *Per inducias bellum non finitur, etiamsi ad longius tempus fuerint contractæ, & iis finitis hostilitatibus statim locus est; non* vero *nova belli denunciatione opus* (§. 1183.). Ut de iis constet his, quorum nosse id interest; *quamprimum de induciis conventum, eædem publicandæ sunt.* Cum obligatio contrahentium veniat ex pacto; *induciarum contractu* *De induciis.*

perfecto contrahentes statim obligant: sed quod subditos obligare nequeant, nisi a momento publicationis, per se patet, *nisi expresse fuerit conventum, a quo die incipere debeant.* Dicuntur autem *Induciæ universales*, quibus omnes actus bellici suspenduntur; *particulares* vero, quibus saltem certæ. Cum omne jus in bello sit summæ potestatis (§. 1066. 1169.); *induciæ universales pangi nequeunt nisi a summis potestatibus: ast pangi possunt a minoribus intra fines functionis suæ* (§. 1155.). Cum *factum privati*, nisi fiat jussu summæ potestatis, aut ab eadem ratihabeatur, ei imputari nequeat (§. 26.); *inducias non rumpit, privatus tamen puniri debet & res raptæ restituendæ sunt*; cum alias ratihaberetur. Quia induciæ securitatem præstant tam personis, quam rebus; *induciarum tempore ire & redire ultro citroque licet, non vero loca incustodita occupare.* Ast cum *loca derelicta* hostis amplius habere nolit (§. 203.); ea *occupare licet.* Denique quia tempore induciarum omnia manere debent in eo statu, in quo sunt, consequenter nihil fieri in præjudicium hostis, quod fieri non poterat induciis non

non pactis; *durantibus induciis nec vallum tormentis hostis labefactatum reficere, nec auxilia aliaque necessaria urbi laborandi mittere, intra suos autem fines cum exercitu interius recedere, mœnia reficere & militem conscribere licet.*

§. 1212.

Commeatus dicitur jus secure hinc inde eundi, concessum vel personis, vel rebus: cuius *concessio privilegium est* (§. 1047.). Quoniam privilegium personæ datum ultra eam non extenditur (§. 400.); *commeatu personæ dato uti nequit alia persona, nec patri datus filium & uxorem comprehendit, ideoque cui venire permissum, is alium mittere nequit.* Quia vero perinde est, per quem res deferantur; *si commeatus rebus datus, eædem per alium, quam cujus sunt, in locum destinatum transferri possunt.* Quia commeatus totus pendet a voluntate concedentis, idque finis, cuius caussa datus, indicat; *cui abire vel transire datum, non & redire, & cui negotii cujusdam causa concessa securitas, ea concessa intelligitur, donec negotium fuerit finitum.* Similiter *si itineris causa conceditur commeatus, in ea etiam compre-* *De commeatu.*

benditur reditus, & sub eo etiam comprehenduntur res, quæ solitæ sunt ad iter assumi & famulus unus alterque, sine quo ire indecorum foret. Sed ne de eo lis oriatur, consultius est, ea in literis, quibus commeatus datur, diserte exprimi.

§. 1213.

De pretio redemtionis. Cum quilibet ius suum pro lubitu in alium transferre possit (§. 314.); *pretium quoque redemtionis captivi in alium transscribi potest.* Et quia pacta servanda (§. 438.); *conventio de pretio rescindi nequit, quia captus intelligitur locupletior, quam credebatur.* Cumque non occupetur, *quod captus clam penes se habet, aut ipsi non adimitur, ideoque ejusdem manet* (§. 1204.); *id in pretium redemtionis imputari potest.* Quoniam vero datur pro liberatione captivi; *si captus moriatur, pretio nondum soluto, antequam facultas abeundi data, vel in itinere, si ad hostes conducendus fuit, pretium non debetur*: ast debetur, *si in libertate moriatur, aut si in securitatem debiti tantummodo detineatur*, pignoris instar (§. 697). Denique cum captivum pro certo pretio dimittens tantummodo præstare teneatur securitatem reditus ad suos; *si, post-*

postquam ad suos rediit, denuo capiatur ab alio, pretio redemtionis nondum soluto, id bis debetur.

§. 1214.

Restitutio rerum & personarum ab hoste captarum & in potestatem gentis suæ venientium in statum pristinum *Postliminum* vocatur. Cum summa potestas subditos suos eorumque jura contra vim externam hostium defendere teneatur (§. 972.), nec injustus belligerator occupatione bellica naturaliter jus ullum in rebus captis & in personas captas acquirere possit (§. 1189.); *si res & personæ vi injusta ab hoste captæ ad suos redeunt, in statum pristinum utique restituuntur.* Atque hinc apparet, quatenus postliminum sit juris naturæ; quatenus vero sit juris gentium, mox dicetur. Enimvero *qui se, vel sua hosti dederunt*, cum eo ipso promiserint, se ejus esse velle, vel sua eius esse debere, ideoque ius eidem acquisitum auferri nequeat (§. 100.), *postlimino carent, itemque res, quæ fuerant ipsorum.* Ast *si personæ dimittantur, & res debitæ ab eodem deserantur*, cum eo ipso significet hostis, se eas habere nolle, jure

De postliminio, quatenus juris naturæ.

ipsius non amplius obstante; *postliminium habent.*

§. 1215.

De jure gentium voluntario in bello. Cum negotia inter gentes exitum habere debeant, uterque autem belligerantium prætendat causam justam sibi esse belli, & vi libertatis naturalis gentibus competentis (§. 1089.) a gentibus aliis permittendum, ut suo quælibet stet judicio (§. 78.), immo in causa plerumque dubia, id facile definiri non possit, ipsum autem bellum non sit aptum ad hanc controversiam decidendam (§. 1159.), multoque difficilius definiri queat, an belligerator licet justus jure suo in bello non abutatur (§. 1190. & *seqq.*), ac propterea id relinquendum sit conscientiæ ipsius (§. 78.); *ideo necesse est, ut bellum ab utraque parte quoad effectus habeatur pro justo*, ut uterque scilicet eodem jure utatur, & ideo quoque *uniuscujusque conscientiæ relinquatur, qui ad consecutionem juris sui necessarium videatur.* Atque in hoc consistit Jus gentium voluntarium in bello (§. 1090.).

§. 1216.

§. 1216.

Quoniam gentium, quæ nullius in bello partes sequuntur, nullum jus est decidendi de causa belli, vel num hæc, vel ista in bello jure fiant, aut non fiant (§. 1215.); *gentes, quæ bello sese non immiscent, facta utriusque pro justis, seu jure factis admittere tenentur*, ac ideo quoque *apud gentes pacatas jure gentium voluntario postliminium non est* (§. 1214.). Eodem autem jure *idem intelligitur commune utriusque belligerantium parti.* *De postliminio jure gentium.*

CAPUT IX.

DE PACE ET PACTIONE PACIS.

§. 1217.

Pax dicitur status, in quo nobis cum nemine bellum est; consequenter quia cum nemine per vim certandum (§. 98.); *in pace jure nostro quiete fruimur.* Cum gens nulla alteri injuriam facere debeat (§. 1089.), & curæ habere, ut controversias sine vi armorum componat (§. 1157.), consequenter nullam causam bello dare (§. 1158.); *gentes pacem inter se colere naturaliter obligan-* *De pace colenda.*

ligantur. Et quia homines in civitatem coivere, ut jure ſuo quiete fruantur, & tuto ab alio id conſequantur (§. 972.); *Rector* quoque *civitatis & ſubditis ſuis*, & quatenus ipſa natura gentes in civitatem maximam redegit (§. 1090.), *gentibus aliis hoc naturaliter debet, ut pacem omni modo conſervare ſtudeat*, conſequenter *non modo ipſe bellum vitare debet, quantum poteſt, verum etiam dare operam, ut diſſuadeat aliis, ne temere bellum ſuſcipiant.* Ex ipſa autem definitione pacis liquet, *induciarum tempore pacem non eſſe* (§. 1211.), *pace* autem *facta bellum finiri.*

§. 1218.

De turbatore quietis publicæ. *Turbator quietis publicæ* dicitur, qui bellis temerariis atque injuſtis laceſſit gentes alias. *Gentibus* igitur *quibusvis competit jus turbatores quietis publicæ cogendi, ne turbent* (§. 1090.). Quamobrem *ſi qua gens a turbatore quietis publicæ ſibi metuit, tempeſtive fœdera belli pangere debet cum aliis* (§. 1180.).

§. 1219.

Quamdiu bellum con- Cum *bellum juſtum* geratur juris ſui conſequendi cauſa (§. 1170.); *tamdiu* id

id *continuare licet, donec jus tuum fueris consecutus*, consequenter *donec in causa dubia alter vel transactionem offerat, vel oblatam acceptet* (§. *cit.*), *contra turbatorem vero quietis publicæ tamdiu, donec securitati futuræ sufficienter fuerit prospectum* (§. 1218.). Quodsi vero *belligerator unus ad offerendum, vel acceptandum æquas pacis conditiones permoveri nequit*; per se patet, *bellum esse continuandum, donec is totaliter fuerit victus*, ne scilicet resistere diutius possit. **tinuare liceat.**

§. 1220.

Quinam pacem facere possint.

Cum bellum sit summarum potestatum (§. 1169.); *pacem pangere nequeunt nisi summæ potestates.* Cum vero *Rex infans, vel impubes, aut imminutæ mentis*, veluti furiosus, vel mente captus administrationem imperii non habeat; ideo *pacem pangere nequit*, consequenter *pacem facere eorum est, quibus imperii administratio competit.* Quoniam invasor imperii, si ei fidem dederunt subditi, imperium summum habet, ac gentes exteræ stare tenentur iudicio gentis alterius (§. 1089.); *cum invasore imperii, si ei fidem dederunt subditi, pacem facere*

cere licet. Cum de regno patrimoniali Rex disponere possit pro lubitu (§.986); *si regnum fuerit patrimoniale, Rex captivus pacem facere potest*. Ast cum per captivitatem Regi adimatur liberum imperii exercitium, sitque verendum, ne in præiudicium gentis suæ promittere cogatur, quæ liber promissurus non erat; *si regnum patrimoniale non fuerit, Rex captivus pacem facere potest per eos, quibus administrationem imperii commisit, aut, ubi de ea nihil dispositum, qui proximam succedendi spem habet*. Et quia de re sua privata pro lubitu suo disponere potest (§. 195.); *pacem* quoque *facere potest promittendo rem suam privatam simpliciter*, seu pure, *publicam* vero *sub conditione ratihabitionis*.

§. 1221.

Quomodo, pax pangi possit.

Quoniam rigori iustitiæ convenit, ut cuilibet ius suum tribuatur; si in pangenda pace is observari deberet, de iustitia belli gesti sententia foret ferenda, & bellum iustum gerenti præstandum foret debitum, cuius causa bellum gestum, restituendæ impensæ in bellum factæ, ob iniurias in ipso bello

bello factas ipsi satisfaciendum (§.1190), quæ vero a belligeratore iusto ultra modum debiti occupata, alteri restituenda, & de iniuria abusu juris facta foret satisfaciendum(§ 271). Facile apparet, si hoc modo pax fieri deberet, negotium nullum exitum habiturum. Quamobrem *pax aliter fieri nequit, nisi per transactionem* (§. 764.), ideoque *in pactione pacis nec causa belli deciditur, nec deciduntur controversiæ, quæ de factis in bello moveri poterant, neutra parte alteram injustitiæ damnante, & rationes potissimum suasoriæ attenduntur.* Quoniam amnestia est injuriarum & offensionum antea factarum in sempiternum sancita oblivio (§. 1056.); *ea* quidem *naturaliter per se inest omni pacis pactioni, ut tamen perfecte debeatur, de eo primo omnium loco conveniendum* (§. 667.).

§. 1222.

Quomodo in pactione pacis conveniri possit

Cum in transactione standum sit eo, quod convenitur (§. 764.); *in pactione pacis conveniendum, vel ut omnia restituantur in eum locum, quo fuerant ante bellum, vel ut maneant eo, quo sunt loco, vel ut quædam in bello capta restituantur,*

ur,

tur, alia retineantur, & ut quædam alia præterea præstentur. Unde sequitur, *ut, de quibus nihil dictum, ea maneant, quo sunt loco.* Enimvero quia negotium exitum non haberet, ubi etiam res mobiles restituendæ forent; *si conventum fuerit, ut capta restituantur, sub iis mobiles non comprehenduntur, nisi de quibusdam expresse fuerit dictum.*

§. 1223.

Ad quæ amnestia extendi nequeat

Quia amnestia saltem pertinet ad ea, quæ in bello facta sunt (§. 1221.); *quæ ante bellum debita fuerunt, nec non injuriæ ante idem factæ, sed ob quas bellum non fuit gestum, aut etiam debita durante bello aliunde contracta, vel injuriæ extra bellum factæ, & quæ tempore belli privatis ex contractibus vel maleficio deberi cœperunt, per pacem remissa non intelliguntur.*

§. 1224.

De fructibus restituendis.

Cum pactione pacis facta statim incipiat ius eius, cui aliquid restituendum, nisi restitutio ad certum diem restricta (§. 438. 317.); *si res vi pacis restituendæ, restituendi quoque sunt fructus a die concessionis* (§. 228.).

§. 1225.

§. 1225.

Quia res talis restituenda, qualis in bello capta (§. 1222.); *si res vi pacis restituenda, jura quoque rei cohærentia restituenda*, ideoque *ante restitutionem munimenta, quæ erant, cum occuparentur, demoliri non licet*. Et *si vi pacis quædam restituenda in eum statum, quo fuerant ante bellum, status ultimus intelligitur, qui erat, cum inciperet bellum*; cum de eo cogitasse intelligantur paciscentes (§. 810.): *nisi is ad certum annum referatur* (§. 438.). *Quodsi in pactione pacis relatio fit ad alias præcedentes*, cum id brevitatis tantummodo causa fiat; *ea valebunt, quæ in his de re conventa expressius dicta sunt.* ***Nonnulla circa rei restitutionem notanda***

§. 1226.

In regno patrimoniali Rex disponere de imperio potest pro lubitu (§. 986.), consequenter *Rex tam totum, quam partem ejus sine populi consensu alienare potest.* Ast quia *in usufructuario* proprietas imperii penes populum manet (§. cit.); *ad alienationem requiritur populi consensus*, & quia universi obligantur parti ad ea, quæ ad salutem ejus promovendam faciunt (§. 975.); *consensus* ***De alienatione imperii per pacem & rerum privatarum.***

(*Wolfii Instit. J. N. & G.*) Ccc *ejus*

ejus partis, in quam sit alienatio, aut *saltem ejus ratihabitio, quæ factis declaratur, dum populus novo acquirenti sine ulla contradictione homagium præstat.* Enimvero *si jus pangendi pacem sine ulla restrictione in Regem translatum, populi consensum non demum requirere tenetur*; nulla scilicet lege fundamentali extante, ad cujus observantiam obligetur (§. 984.). *De rebus* autem *privatis & personis* vi dominii eminentis & potestatis eminentis, *prout casus tulerit, convenire potest* (§. 1065.).

§. 1227.

De effectu pacis. Cum transactione facta prætensio renovari nequeat & a lite discedatur (§. 764.); *pace facta, bellum finitur, nec propter eam causam, ob quam bellum gestum est, denuo bellum suscipi potest.*

§. 1228.

De sociis in bello. Quoniam cum sociis eorum, qui pacem pangunt, idem fuit bellum, quod inter hosce, de bello autem finiendo transigitur (§. 1221.); *in pactione pacis comprehenduntur etiam socii*, consequenter *amnestia ad ipsos* quoque *pertinet* (§. 1223.). Enimvero *si cum ipsis*

pecu-

peculiare fuerit bellum, cum ipsis quoque *pax expresse pangenda.*

§. 1229.

Pactio pacis, utpote utilitatis publicæ manentis causa facta, *fœdus reale est* (§. 1146.), ac propterea *populum* quoque *& successores obligat.* Enimvero *paciscentes statim obligat, quamprimum perfecta*; cum ex pacto veniat obligatio (§. 438.): *subditos* vero *& milites, quamprimum iisdem fuerit publicata*; cum de ea ante publicationem ipsis certo constare non possit.

De obligatione ex pactione pacis veniente.

§. 1230.

Pax rumpi dicitur, si pactio pacis non servetur, hoc est, si quis quid facit, quod vi ejusdem facere non poterat, nec debebat, aut non facit, quod vi ejusdem facere debebat ac poterat. Eodem sensu in genere *fœdus* quodlibet *rumpi* dicitur. *Rumpit* igitur *pacem, qui ob eandem causam, ob quam bellum gestum fuerat, vel ob ea, quæ in eodem facta fuerunt, vim bellicam infert* (§. 1227.), *etiam sociis in ea comprehensis* (§ 1228.): *non vero, si ob novam quandam causam* utpote ad quam pax non pertinet (§. 1221.)

De ruptura pacis.

1221.), consequenter *nec rumpitur*, *etiamsi post hac alii te associes, qui bellum ei, cum quo pacem fecisti, infert*; ob rationem eandem. Ex ipsa quoque definitione patet, *pacem non rumpi, si per te non stet, ut in pace promissum adimpleas*, veluti si ipse bello implicitus auxilia vel subsidia promissa mittere nequeas, aut res, quæ dari debebat, interierit. *Articuli pacis* dicuntur singulæ conventionis partes, quibus distingvuntur ea, de quibus sigillatim quidpiam fuit conventum. Sunt autem vel *connexi*, in quibus convenitur de rebus ad eandem causam pertinentibus; vel *diversi*, in quibus convenitur de rebus ad diversam causam spectantibus. Unde facile intelligitur, *si pax rumpitur in articulis diversis, eam in ceteris durare*: ex adverso autem, *si rumpitur ab uno in articulis connexis, nec alterum pacem servare amplius obligari*(§. 442.). Ast quoniam factum alienum nemini imputari potest, ad quod is non concurrit (§. 26.); *si subditi tui sine consensu tuo, vel subsecuta ratihabitione faciant, quod est contra pactionem pacis, pax non rumpitur*: ex adverso autem *rumpitur*, *si subditi tui* con-

contra articulos pacis læduntur a parte altera.

§. 1231.

Publicatio pacis eſt factum, quo tam militibus, quam ſubditis ſignificatur, pacem eſſe factam; conſequenter bellum finitam (§. 1227.). Quamobrem *militibus ſine mora publicanda* (§. 1174.): neceſſitas vero, quæ obtinet ex parte militum, cum non ſit eadem ex parte civium; *ſubditis publicari poteſt, quando commodum viſum fuerit.* *De publicatione pacis.*

§. 1232.

Rebelles dicuntur ſubditi, qui arma injuſta ſumunt adverſus Rectorem civitatis, nimirum ut eundem vel imperio exuant, vel ad certas conditiones acceptandas cogant. Atque is ſtatus *Rebellio* vocatur. *De rebellione.*

§. 1233.

Differt a rebellione *Bellum civile*, quo juſta arma adverſus Rectorem civitatis ſumunt ſubditi. *Licitum* igitur eſt *in omni caſu, in quo Rectori civitatis reſiſtere licet* (§. 1079.). *De bello civili.*

§. 1234.

De tumultu.

Differt a rebellione & bello civili *Tumultus*, in quo turba confluens vim infert magiſtratibus, aut alliis poteſtatibus minoribus, vel earum rebus, tum etiam privatis eorumque rebus, aut ſaltem inferre minatur. Cum per tumultum ſecuritas publica lædatur; *delictum publicum* ſive *crimen eſt* (§. 1030.). Quamobrem *tumultum excitantes, vel foventes, eidemque ſeſe immiſcentes*, cum ſint criminis rei; *pro diverſitate circumſtantiarum puniri poſſunt* (§. 1030. 1048.).

§. 1235.

De promiſſo rebellibus & tumultuantibus ſervando.

Quoniam *poteſtas ſumma rebellibus & tumultuantibus rebellionis aut tumultus ſedandi cauſa promittens*, cum ſalvo jure ſuo in rebelles & tumultuantes promittere non poſſit, jus ſuum remittere intelligitur (§. 337.); *ſi qua promittit, ea ſervanda ſunt* (§. 388.). Eodem modo patet, *hoſti, prædonibus & latronibus promiſſa ſervanda eſſe.* Quamobrem *ſi amneſtia promiſſa ſit, nullos eorum, quæ in rebellione & tumultu facta ſunt, accuſari, neve mulctari poteſt* (§. 1056.).

CAPUT

CAPUT X.

DE JURE LEGATIONUM.

§. 1236.

Legati dicuntur personæ, quæ a gente una, seu ejus Rectore, ad gentem aliam, seu Rectorem ejus publici negotii causa mittuntur. Quamobrem *legati naturaliter sunt mandatarii gentis suæ, seu Rectoris civitatis* (§. 551.), *& jus mittendi legatos summis potestatibus competit* (§. 1140.), *etiam inæquali fœdere junctis* (§. 1144.). *Legati quinam sint.*

§. 1237.

Agentes appellari solent personæ, quæ negotia privata Rectoris civitatis, vel etiam subditorum ipsius ejusdem nomine apud gentem aliam curant. Cum a voluntate constituentis dependeat, quænam negotia iis committere velit; *nil obstat, quo minus etiam negotia quædam publica minoris præsertim momenti Agentibus committantur.* *Agentes quinam sint.*

§. 1238.

Genti unicuique competit jus perfectum petendi ab altera gente officia *De jure mittendi & obli-*

gationes admittendi legatos.

humanitatis, nec impediri potest citra injuriam, quo minus petantur (§. 1108.): competit etiam jus pactiones ineundi cum alia gente, si ope & auxilio ejusdem indiget (§. 1095.), conjunctis viribus se statumque suum perficiendi (§. 1090.), ac ideo fœdera faciendi (§. 1141.). Obligantur quoque tollere gravamina, & controversiæ componendæ (§. 1157.), nec ad bellum, ad controversias decidendum per se minus aptum (§. 1159.), procedendum, aliaque media violenta (§. 1163. & *sqq.*), quamdiu nondum constat sine violentia injuriam factam reparari non posse (§. 1158.). Pangenda quoque sunt fœdera belli (§. 1180), & in bello emergunt casus, in quibus pactiones ineundæ, vel pars una alteri voluntatem suam significare tenetur. Immo ut a bello decedatur, pactiones pacis faciendæ (§. 1227.). *Legationes* igitur *necessariæ sunt & gentibus competit jus perfectum mittendi legatos ad gentes alias*: quod cum citra injuriam denegari non possit (§. 100.); *legati admittendi sunt ab eo, ad quem mittuntur*, consequenter *si non admittuntur, mittenti injuria fit* (§. 87.), *nisi id fiat in causa manifesta collisionis*

nis officii erga seipsam & erga gentes alias, veluti si legatus mittatur ad perturbandum civitatis statum, vel is fuerit criminis perduellionis reus.

§. 1239.

De legatis assiduis.

Legati assidui dicuntur, qui per plures annos in aulis exteris resident. Quoniam negotia gentium, ob quæ legationes necessariæ sunt (§. 1238.), nec quotidiana, nec continua sunt, legati præterea assidui quasi exploratorum numero sunt (§. 1208.); *jus habendi legatos assiduos in aulis exteris nec jus gentium necessarium* (§. 1088.), *nec voluntarium est* (§. 1090.), consequenter *legationes assiduæ*, nonnisi moribus quarundam gentium introductæ, *ad jus gentium consuetudinarium pertinent* (§. 1092.), ideoque *si non admittantur, mittere volenti injuria non fit* (§. 87.).

§. 1240.

Quales legati mittendi.

Cum Rector civitatis quilibet Rectorem civitatis alterius spectare debeat tanquam sibi æqualem (§. 1120.), legati autem mittantur, ut negotium tractent vel cum Rege ipso, vel cum primariis ejus ministris, quibus hæc cu-

ra demandata est, nomine mittentis (§. 1236.); *legati mittendi sunt, qui dignitate eminent in Rep. mittentis* (§. 54. 55.). Atque ita Jus naturale gentium consulit dignitati ejus, ad quem mittuntur.

§. 1241.

Quomodo excipiendi. Ob eandem rationem *legati honorifice excipiendi & tractandi*, cumque hæc obligatio a lege naturæ veniat (§. 1240), consequenter nemo ab ea se liberare possit (§. 42.), *etiamsi veniant ab hoste.* Quoniam itaque *legatis ab hoste missis, vel etiam ab eo, qui hostis non est, contumeliæ non imponendæ, nec iidem contemtui habendi* (§. 146. 51.), *ne quidem prætenso*, utpote quod nullum est (§. 156.), *jure talionis*; *contemtus* ideo *legatorum & multo magis contumeliæ ipsis impositæ injuria sunt* (§. 87.), *nec impune ferri debent* (§. 93.). Atque ita Jus naturale gentium consulit dignitati mittentis.

§. 1242.

De charactere repræsentativo. *Character repræsentativus legati* dicitur signum repræsentationis mittentis apud eum, ed quem mittitur. Cum naturaliter legati sint mandatarii Rectoris civitatis, a quo mittuntur (§. 1236.); *jure*

jure naturæ character repræsentativus consistit in facultate nomine ac jure potestatis summæ, a qua scilicet mittitur, *negotium aliquod publicum apud aliam potestatem summam gerendi*, consequenter *jure naturæ legatus non est quasi eadem persona moralis cum mittente*, ita ut perinde sit ac si mittens ipse esset præsens & is, ad quem mittitur, eundem spectare debeat tanquam personam sibi æqualem. Et quoniam *characteris repræsentativi*, qui consistit in facultate personam mittendis ferendi, nulla est necessitas sive ex negotio gerendo, sive ex dignitate mittentis, quæ sine eo salva esse potest (§. 1241.); nec *character repræsentativus ultra naturalem extensus juris gentium voluntarii est* (§. 1090.), & per consequens *si moribus introductus, juris gentium consuetudinarii* (§. 1092.), *si pactis, pactitii est* (§. 1091.). Quamobrem *quæ ex charactere isto deducuntur de legatis per necessariam consequentiam, ea nec juris naturæ, nec juris gentium voluntarii sunt, & multo minus ea, quæ gratis ad eum ampliandum adjiciuntur*. Ac propterea *gens nulla eum agnoscere tenetur, nisi ex pacto.*

§. 1243.

§. 1243.

De jure legati quoad actus privatos.

Cum legati non repræsentent mittentem nisi quoad actus ad negotium, cujus caussa missi, spectantes (§. 1242.); *quoad actus suos privatos spectari aliter nequeunt, quam tanquam peregrini in territorio alieno versantes*, consequenter *jure peregrinorum naturaliter censentur*. Ac ideo *quoad actus privatos cum comitatu & vasis seu rebus jure gentium naturali subsunt jurisdictioni loci tam civili, quam criminali* (§. 1132.), nec ulla adest ratio, cur jure gentium voluntario in his quicquam immutari debeat (§. 1090.). *Exterritorialitas* itaque, qua legati cum suo comitatu & vasis finguntur extra territorium sitæ, *juris gentium naturalis & voluntarii non est*, consequenter nec, quæ inde infertur, *sanctitas, seu inviolabilitas legati* quæ consistere debet in independentia legati ab imperio ejus, in cujus territorio commoratur, multo minus itaque, *ut habeat jurisdictionem in suum comitatum & ædibus, quas inhabitat, adhæreat jus asyli.* Quamobrem *istiusmodi jura aliter acquiri nequeunt quam pacto sive expresso, sive tacito* (§. 1089.), *salva*

tamen

tamen *exceptione in casu collisionis cum officio ejus, ad quem missus est legatus, erga gentem suam* (§. 64.).

§. 1244.

De inviolabilitate legati.

Quoniam peregrini æquiparantur civibus temporariis, quamdiu in territorio alieno commorantur (§. 1125.), nec Rector civitatis ferre debet, ut quis subditorum iis damnum det, aut injuriam faciat (§. 1134.); *legati, quatenus spectantur tanquam privati & tanquam peregrini in territorio alieno commorantes, tuti sunt ab injuriis communi peregrinorum* (§. 1028.) *& communi gentium jure.* Quoniam vero ut consulatur dignitati mittentis, *legati qua tales* honorifice excipiendi & tractandi (§. 1241.), ideoque injuria in ipsos illata gravior est in alium peregrinum illata, quatenus ea derivatur in mittentem; *ab injuriis* quoque *tuti sunt jure speciali legatorum.* Ac in eo *sanctitas legati naturalis consistit* (§. 1153.).

§. 1245.

De literis credentialibus.


Literæ credentiales dicuntur, quas mittens dat legato ad eum, ad quem mittitur, & in quibus eum legatum suum

ſuum declarat. Quoniam cum eo tractanda ſunt negotia certa (§. 1236.), conſequenter ei, ad quem mittitur, conſtare debet de voluntate mittentis; *legatus literis credentialibus inſtructus eſſe debet.*

§. 1246.

Jus pactitium & conſuetudinarium. *Si quæ gentes de certis juribus legationum & de modo honorifice tractandi legatos inter ſe convenerint, vel quædam moribus introduxerint*, cum ea nonniſi juris pactitii (§. 1091.), vel conſuetudinarii ſint (§. 1092.); *nonniſi paciſcentes obligant, vel eos, quorum longo uſu introducti ſunt hi mores, quamdiu voluerint* (§. 444. 1092.).

FINIS.





CONSPECTUS INSTITUTIONUM JURIS NATURÆ ET GENTIUM.

PARS I.

DE JURE NATURÆ IN GENERE ET OFFICIIS ERGA SE IPSUM, ERGA ALIOS ET ERGA DEUM.

PARS

CONSPECTVS.

PARS II.

DE DOMINIO ET JURIBUS ATQUE OBLIGATIONIBUS INDE NASCENTIBUS.

CAPUT

PARS III.

DE IMPERIO ET OBLIGATIONIBUS ATQUE JURIBUS INDE NASCENTIBUS.

SECTIO I.

DE IMPERIO PRIVATO.

SECTIO II.

DE IMPERIO PUBLICO, SEU JURE CIVITATIS.

PARS IV.

DE JURE GENTIUM.

FINIS CONSPECTUS.

INDEX.

INDEX.

Numerus §. *designat.*

Asseve-

Destina-

Emphy-

Inadi-

- - lapi-

N.

Pecca-


Pro-

S.

Spa-

T.

FINIS INDICIS.



Im Winterhalben Jahr 1766

von 9 Uhr bis 10. die logique.
von 10 — 11 d. Jus Naturae
von 11 — 12 die Institut:
von 1 — 2 Französisch
von 4 — 5 Französisch
von 8 bis 9 Sprachmeister

Im Sommerhalben Jahr 1766.

von 8 bis 9 die Pandecten
von 9 bis 10 d. Jus Naturae
von 10 — 11 die Pandecten
von 11 — 12 Institutiones
von 1 — 2 duplici u. triplici Numer
von 3 bis 4 die Reichs historie
von 4 bis 5 Französisch Collegium
von 7 bis 8 Sprachmeister

Im Winterhalben Jahr 1767.

von 8 Uhr bis 9. Anleitung Noten.
von 9 bis 10 die Pandecten
von 10 bis 11 . . . .
von 11 — 12 das Jus publicum
von 1 — Tisch . . . .
von 2 — 3 die Physic und Hist. Jur.
von 3 — 4 . . . . .
von 4 — 5 . . . . .
von 5 — 6 Sprachmeister


Im Sommerhalben Jahr 176[7]

von 8 bis 9
von 9 — 10
von 10 — 11
von 11 — 12
von 1 — 2 den ganzen
von 2 — 3 die Physic
von 3 bis 4 . . .
von 4 — 5 . . .
von 5 — 6 . . .
von 6 — 7 Sprachmeister

Im Winterhalbjahr 1767

von

Pandecten
Pandecten
Institutiones
Jus naturæ
Historiam Juris
Physic
Mathesin puram
Frantzösisch
Zeichenmeister



Chlodoveus

Theodoric | Chlodomir | Childebert | Chlotarius II
succedit in Austrasien †534 | in Orleans †520 | in paris | in Soisson
Theodobertus †548 | ohne descend. | †558 |
Theodobaldus †555 | | |

